Muñoz

Vale 8 r.

AVLI GELLII NOCTIVM ATTICARVM LIB. XIX.

(Nam octauus præter capita desideratur) pluribus locis quàm antehac integriores.

Cum Ascensianis scholiis, collectis ferè ex annotatis sanè doctorum hominum AEgidii Maserii Parisiensis, & Petri Mosellani Protogensis.



In officina Ioannis Roigny,
Mense Septembri. M.D.XXXVI.

Tabula in Nocteis Atticas, qua indicantur non solũ res & voces diligẽter ab Aulo Gellio disputatæ: sed & authorum quos citat fere nomina: & quibus non vulgariter aut ipse aut alius vsus est vocabula: etiam subinde in scholiis enarrata.

A

D

G

H

Q

FINIS INDICIS.

Sequitur Tabella serie literaria complurium, non tamen omnium, quæ Macrobius & eius conuiuæ impudenter ex hoc opere in Saturnaliorum cœnas & conuiuia transtulerunt, suppresso eius ita nomine vt non Gellii simiæ, sed manifestarii fures merito sint nuncupandi: quanquam fieri potest vt nonnulla ex eodem hauserint fonticulo. Vbi autem hæc Gellius & vbi Macrobius tractet, Index vtriusque prodet.

¶Acca Larentia.
Acetum non congelare.
A. Albini xenia.
Annales.historia.
Annibalis cauillatio.
Annulus in digito qui minimo proximus est.
Anteuorta. Postuorta.
Aqua niualis noxia.
Arena pro multis.
¶Bellaria.
Bidentes.
¶Coitus quid.
Conuiuarum numerus.
Cultus notatus.
¶Dicendi genera.
Die crastini, pristinique.
Dies nefasti.
Dies ciuilis.
Dies postridianus.
Dies atri.
Dierum constitutio varia.
¶Educationis vis.
Epicteti vita.
Epitritus, Hemiolius.
Eques & equito.
¶Fatum & fatalia.
¶Gustus voluptas.
¶Hersilia.
Hortensii mollities.
¶Iactare.
Illaudatus, & laudare.
¶Leges sumptuariæ.
Lituus.
¶Mature. Præmaturæ.
Mile.
Mys seu mus.
¶Noctu.
Non emo tanti pœnitere.
Numerus septenarius.
¶Oratores tres Athenien. Rom. legati.
Ostrea.
¶Papyrius Prætextatus.
Phœdon.
Plat. versiculi amatorii.
Plato de ebrietate.
Plato de potus dup. via.
Præcox.
Publii sententiæ præclaræ.
¶Quassare.
¶Religiosus.
Remittere animum.
¶Scropha.
Squallere.
¶Vadimonium.
Vecors & cætera à ve.
Versus Laberii de se ex xv. cap. lib. viii. Gellii, qui non extat &c.
Vestibulum.
Vexare.
Vina non congelascere.
Videndi ratio.
Virg. versus de Aetna.

FINIS.

Adagia seu prouerbia, prouerbialesque sententiæ quæ in Noctibus Atticis laudantur, serie literaria per Maserium collecta.

AB austris rem repetere.lib.16.cap.11.
Accii idem quod Titii.lib.3.cap.16.
Alba linea.lib.20.cap.11.
Amico ad aras vsq; opitulandū. lib.1.cap.3.
Anima ieiuna suauium datat. lib.2.cap.23.
Anticyram nauigare.lib.17.cap.15.
Argentanginam pati.lib.11.cap.9.
Asinus inter simias.lib.2.cap.23.
Asinus ad lyram,lib.3.cap.16
Audibis male si male dicis mihi.li.7.ca.17.
Aurum Tolosanum.lib.3.cap.9.
Austrum perculi.lib.16.cap.11.
Barbam video & pallium,& philosophū non video.lib.9.cap.2.
Bellum & odium niui indico.lib.19.cap.5.
Beneficium dando accepit qui digno dedit. Lib.17.cap.14.
Bis pueri senes. Lib.6.cap.5.
Blaterare optimus,dicere ineptissimus.Lib. 1.cap.15.
Campana superbia.Lib.1.cap.24.
Caninum prandium.lib.13.cap.29.
Caput sine lĩgua,pedaria sẽtẽtia. li.4.ca.18.
Cærite cæra dignus.lib.16.cap.13.
Centesimo adesse anno.lib.12.cap.7.
Classicus author.lib.7.cap.13.
Cui plus licet quàm par est,plus vult quàm licet.lib.17.cap.14.
Comes facundus in via pro vehiculo est. li. 17.cap.14.
Dimidium plus toto. Lib.18.cap.2.
Ego me curo,equū meū Statius.li.4.c.20.
Egregiam musicam quæ sit abscondita,eam esse nulli rei.lib.13.cap.29.
Equus Seianus.lib.3.cap.9.
Festina lente. Lib.10.cap.11.
Feras nõ culpes quod vitari nõ põt.li.17.ca.14.
Frugalitas miseria est rumoris boni. Lib.17.cap.14.
Frusto panis conductus aut loquetur aut tacebit.lib.1.cap.xv.
Furor fit læsa sæpius patiẽtia. lib17.cap.14.
Glauci & Diomedis armorum permutatio. Lib.2.cap.23.
Hæredis fletus sub persona risus est.li.17.cap.24.
Histiæus calceum consuit,quem Aristagoras induit. Lib.17.cap.9.
Homo minime malus.lib.3.cap.16.in fine
Illotis pedibus.lib.17.cap.5.in fine.
Imperia Māliana & Posthumiana.li.1.c.13
Indiserta prudẽtia stultæ loquacitati est præponenda. Lib.1.cap.15.
Infra classem homo lib. 7 cap.13.
Ingenia tempori collata.lib.13.cap.2.
In lente vnguentum.lib.13.cap.17.
Inter os & offam cadunt multa.li.13.ca.16
In vtramuis cubet aurem.lib.ii.cap.23.
Iouem lapidem iurat.lib.1.cap.21.
Ipsa dies quãdoq; parens,quandoque nouerca est. Lib.17.cap.12.etiam græce.
Iusiurãdū æris est alieni emplastrū.li.16.c.7
Lĩguæ thesaurus maximus ẽ hoĩ.li.1.c.15
Loquax magis quàm facundus. lib.1.ca.15.
Loquere verbis præsentibus.lib.1.cap.10.
Malo esse Dionysia q̃ ἄμουσος.lib.1.cap.5.
Malo pauper diuitibus quàm diues pauperibus præesse.lib.1.cap.14.
Malui compilari quàm vænire.lib.4.cap.8.
Malū cõsiliū cõsultori pessimum.li.4.cap.5.
Mala ad sese attrahens vt cæcias nubes. lib. 2.cap.22.
More vrsino fœtum lãbere.lib.17.cap.10.
Mortuaria glossaria.lib.18.cap.7.
Nemo ignorauit etiã priusquã Theognis nasceretur.lib.1.cap.3.
Nequid expectes amicos quod tu agere possis.lib.2.cap.29.
Nescis quid serus vesper vehat.lib.1.cap.22.
Nihil cum fidibus graculo.lib.20.cap.11.
Nihil cum amaracino sui.ibidem.
Nimiū altercãdo veritas amitt. li.17.ca.14.
Nõ viri cuiusq; est Corĩthū petere. li.1.ca.8
Nūq̃ tacet quẽ morbus tenet loquẽdi. lib.1 ca.15
Nūq̃ periculum sine periculo vincitur.lib. 17.cap.14.
ὄνοι λύρας Asini ad lyram. lib.3.cap.16.
Pedaria sñia caput sine lingua. li.4.ca.18
Pedarii senatores.ibidem.
Pœnitere tanti non emo.lib.1.cap.8.
Qui tacere nequit,loqui nescit. li.1.cap.15.
Satis loquẽtiæ,sapiẽtiæ parū.lib.1.cap.15
Sæpe etiã est holitor verba opportuna locutus.li.2.ca.6.vbi legitur,Sæpe etiã stultus.
Sine puluere victoria.lib.5.cap.6.
Sine controuersia disertus.lib. 9.cap.15.
Spartum seu lentiscū mãdentes.lib.17.ca.3.
Susque deque fero,& habeo.lib.16.cap.9.
Tãq̃ scopulū insolẽs vita verbū. li.1.c.10
Tollẽdū aut ferẽdū vxoris vitiū. li.1.cap.17
Tuberonis & Sotherici lecti.lib.12.cap.2.
Tunicata iuuentus.lib.7.cap.12.
Verba strepẽtiū graculorū similia.l.1.c.15
Veritas temporis filia.lib.12.cap.11.
Veritas amittitur nimiū altercãdo.l.17.c.14
Veterẽ ferẽdo iniuriã inuitas nouã ibidem.
Vir fugiens pugnabit denuo. lib.17.cap.20
Viue moribus præteritis.lib.1.cap.10.
Viuo mortuus inter viuos.lib.2.cap.23.
Vterus solariū mihi est.lib.3.cap.3.

Hæc Maserius:sed sunt, inquit,& alia aut adagii,aut sẽtẽtiæ insignis vim habẽtia:quæ diligens sibi adnotabit lector : iucundiora enim nobis sunt quæ ipsi nos inuenimus.

QVONIAM IN HIsce Atticis Noctibus Græcæ dictiones multæ, & versus ac loci complures Græci erant, ea omnia latina seorsum hic subnectenda curauimus, quando Gellius ipse græce tantum citarat, nec latina fecerat. Consuluimus autem cum ipsi Gellio, quem integrum impollutúmque esse voluimus, tum etiam studiosis omnibus, quando & emẽdati complures loci sunt, qui vitiati admodum erant.

Quæ in Lib. I.

ca.

1 ὁπόση ψυχῶν τε καὶ σωμάτων ἀνθρώποις περὶ εὐφυΐαν καὶ ἀρετὴν διαφορά.

Quanta sit animorum corporúmque inter homines differẽtia, quo ad ingenium virtutẽmque.

2 κυρτῶν τὰς σκαζούσας θεωρίας.

Laqueorum speculationes claudicantes.

ἀκώλυτος, ἀνεκβίαστος, ἀπαρεμπόδιστος, &c.

Solutus, inuiolatus, minime implicitus, liber, diues, felix.

εἰπέ μοι, περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν ἀκούεις, &c.

De bonis cedo & malis, audis ne illud?

Ad Ciconas Troia referẽs me vẽtus adegit.

τῶν ὄντων τὰ μέν ἐστιν ἀγαθά, τὰ δὲ κακά. &c.

Rerum quædam bona, quædam mala, quædam indifferentia sunt. Bona sane, virtutes: quæ vitii participant, mala. Indifferentia vero illa, quæ horum intermedia sunt, opes, coniugium, vita, mors, voluptas, labor: vnde nosti, inquit? Sic Hellanicus in AEgyptiacis tradit. Quid enim magis refert ita dicam, an Diogenem in moralibus, Chrysippumve, aut Cleanthem? Hoc itaque exquisiuisti, decretúmq; fecisti tuum. Expone quonam modo tempestatem in naui feras, nunquid eius distinctionis memineris, vbi instrepit ac stridet velum? & reclamabis si quis te ita alloquatur, repete age tu ea, quæ modo aiebas, num sit vitium naufragium facere? num particeps vitii sit, an non cõtra istũ baculum moueas? heus homo, quid mecum tibi? nos perimus, & ipse accedens ludis. Cæsar quoque si te delatum accersiuerit, quid agas?

3 εἰ δεῖ βοηθεῖν τῷ φίλῳ παρὰ τὸ δίκαιον. &c.

Nunquid oporteat contra iustitiam amico subuenire? & qua fini, & in cuiusmodi?

Δεῖ με συμπράττειν τοῖς φίλοις: ἀλλὰ μέχρι θεῶν

Opus est me amicis opitulari, sed vsque ad deos.

οὐκ οἶδ᾽ εἴ που τούτου τῷ γένει, &c.

Haud satis noui, si quid in hoc genere sit nobilius: & an quæcunque pars ad quantãcunque alterius partem comparata, eligenda magis sit. Verbi gratia, hoc modo, vt & nobilius ære aurum sit, & auri pars quælibet, portionis cuiuslibet æris comparatione sit pluris: verum nonnihil discriminis cum numerus, tũ vero magnitudo efficiet.

ἡ καλουμένη χάρις παρὰ τοῖς ἀνθρώποις τούτου.

Quæ gratia apud homines vocatur, hoc quidem est iuris diligentioris loco & tempore imminutio.

περὶ ψυχῆς. De anima.

Χείλων ὁ παλαιὸς ἀκούσας τινὸς λέγοντος, &c.

Chilo senior, cum quempiam dicentem audisset, nullum se inimicum habere, an nullum etiam amicum haberet, interrogauit: amicitias inimicitiasque inuicem consequi coniungique necesse esse arbitratus.

κόμψη χλαμὺς, καὶ μαλακοὶ χιτωνίσκοι. 5

Elegans vestis, & molles tuniculæ.

Ἄμουσος, ἀγροδίαιτος, ἀπρόσιτος.

Inelegans, agrestis, inaccessus.

ποιήσειν ἔσεσθαι, λέξειν ἔσεσθαι. 6

Futurum, dicturum.

εὐφωνία.

Voculatio.

ἐπιμελεία τῶν λέξεων.

Vocabulorum delectui diligenti.

οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐς Κόρινθον ἔσθ᾽ ὁ πλοῦς. 8

Non viri cuiusque est Corinthum petere.

μυριὰς δραχμὰς, ἢ τάλαντον.

Decem drachmarum milia, vel talentum.

οὐκ ὠνοῦμαι μυρίων δραχμῶν μεταμέλειαν.

Non emo milibus X drachmarum pœnitentiam.

ἐφυσιογνωμόνει.

Per naturæ indicia pensiculabat.

ἀκουστικοί.

Auditores.

ἐχεμυθία. Taciturnitas.

μαθηματικοί.

Disciplinis vacantes.

μαθήματα. Disciplinas.

φυσικοί. Naturales.

Ἀθεώρητοι, ἄμουσοι, ἀγεωμέτρητοι.

A cõtẽplatione geometrica penitus alieni.

κοινόβιον.

Contubernium.

καὶ μετὰ ταῦτα ἡ ξύνοδος ἦν, &c. 11

Post hæc congressum est: Argiui quidem sociique, acriter ac cum impetu adorientes: Lacedæmonii contra sub tibiarum præcentione pleno agmine maturantes, non adeo diuinæ rei gratia, verum vt æquabili numerosóque sensim ingressu conuenientes, pugnam capesserent, nec suos ordines distrahi sinerẽt: quod semper amplissimas copias

agere vbi congrediendum est,decet.
οἱ δ' ἄρ' ἴσαν σιγῇ μένεα πνείοντες ἀχαιοὶ, &c.
Ast ibant taciti spirantes robur Achiui,
Inq; vicē auxiliū cupida sibi mēte ferebāt.
διατί ἐπειδὰν πολεμεῖν μέλλωσι, πρὸς αὐλὸν &c.
Quamobrem vbi commissuri præliū sint, ad tibiæ modulos congrediantur? vt timidos minus honeste agentes iudicent.
καθήκοντα. Officia.
ἀλλ' ὅτε δὴ ὄπα τε μεγάλην ἐκ στήθεος ἵει.
Ast vbi iam magnam fudit de pectore vocem,
Dentis claustra tui vox qualis nata reliqt.
ἀμετροεπῆ ἀκριτόμυθον.
Loquentem sine iudicio & modo.
ἄκοσμα. Incompta.
ἀμετροεπὴς ἐκολῴα.
Supra modum loquitans conturbabat.
λαλεῖν ἄριστος, ἀδυνώτατος λέγειν.
Blaterare optimus, dicere ineptissimus.
Γλώσσης ὁ θησαυρὸς ἐν ἀνθρώποισιν ἄριστος. &c.
Optimus est homini linguæ thesaurus, & ingens
Gratia, quæ parcis mēsurat singula verbis.
οὐ λέγειν δεινός, ἀλλὰ σιγᾶν ἀδύνατος.
Non idoneus ad dicendum, sed ad tacendum impos.
ἀχαλίνων στομάτων, ἀνόμου τε ἀφροσύνας &c.
Effrenioris & exlegis demētiæ extremum infelicitas occupat.
ἄνθρωπον ἄγριον ποιὸν αὐθάδη στόμον &c.
Hominem agresti ferocia, ore temerario, effrenato, prodigo, petulanti: loquacem, futilem, & fusum per verborum congeriem ac fastum.
18 ἀπλατές. Longitudo illatabilis.
22 βιωφελῆ. Vitæ vtilia.
ἀκυρώτερον. Minus proprio.
25 ἐκεχειρίαν. Manibus temperationē.
ἐκεχειρίαν. Inducias. τύπους. Formas.
ὑπογραφάς. Descriptiones.
ὁρισμούς. Definitiones.
26 περὶ ἀοργησίας.
De non irascendo vel inirascibilitate.
ἀοργησίαν καὶ ἀναλγησίαν.
Inirascentiam & indolentiam.
ἀνάλγητον καὶ ἀναίσθητον. Hebetem ac stupētem.

Quæ in Lib. II.

ca. πολλάκις. Sæpenumero.
1 ἐξ ἡλίου εἰς ἥλιον ἑστήκει ἀτρεμέστερον τῶν πρέμνων
De sole ad solem erectior stipitibus arborum steterat.
ca. ἰχθὺν ἱερόν. Piscem pauperem.
3 πολλάκι καὶ κηπωρὸς ἀνὴρ μάλα καίριον εἶπεν.
6 Sæpe & holitor vir valde opportunū dixit
ἠΰτε μάντις ἀμύμων.
Fatur inculpabilis aruspex.
τὼ δ' οὐκ ἄκοντε πετέσθην.
Illi haud inuiti volarunt.
ἔνθ' οὐκ ἂν βρίζοντα ἴδοις ἀγαμέμνονα δῖον.
Tunc neque cernere erat torpentem Agamemnona diuum,
Nec pauidū, nec nolētem decernere ferro.
ὅρος τοῦ ἀλγοῦντος ὑπεξαίρεσις.
Hæc est definitio doloris detractio.
κατά. Secundum.
στέρησιν. Priuationem.
ἀδιάφορα. Indifferentia. 7
μέσα. Media.
ὑγιὲς νόμιμον διεζευγμένον.
Sanum legitimum disiunctum.
ὁ θάνατος οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. τὸ γὰρ διαλυθέν. 8
Mors nihil ad nos. nam dissolutum non sentit: quod autem nō sentit, nihil ad nos.
ὁ θάνατος ψυχῆς καὶ σώματος διάλυσις, &c.
Mors animæ & corporis dissolutio.
ὁ θάνατος ψυχῆς καὶ σώματος διάλυσις. &c.
Mors, animæ corporisq; est dissolutio. dissolutum autem non sentit, quod vero non sentit, nihil ad nos.
ὅρος τοῦ μεγέθους τῶν ἡδονῶν, ἡ παντὸς τοῦ &c. 9
Definitio magnitudinis voluptatum, omnis doloris sublatio.
παντὸς τοῦ ἀλγοῦντος.
Omnis dolentis.
παντὸς τοῦ ἀλγεινοῦ. Oīs rei anxiæ & tristis.
λέξεις τηρεῖ. Dictiones obseruat.
συναιρέσει. Coagmentatione. 17
Δοῦλος ἐπίκτητος γενόμην, καὶ σῶμα τ' ἀνάπηρος. 18
Seruus Epictetus fueram, qui corpore mancus,
Pauperie pressus, charus eram superis.
παραδείσους. Hortos.
μελισσῶνας. Apiaria mellariáque. 20
ἀμπελῶνας. Vineas.
δαφνῶνας. Laureta.
ἰσονύκτιος. AEquinoctialis. 22
ἰσημερινός. AEquidialis.
θεριναὶ τροπαί, καὶ χειμεριναί.
AEstiua solstitia & hyberna.
ἐτυμολογικοί. Rationem originis verbi interpretando indagantes.
ἠῷ ῥέων. Ab oriente sole fluens.
αἰθρηγενέτην. Serenitatem facientem.
ἀπὸ τῆς βοῆς. A boatu.
σὺν δ' εὖρός τ' ἔπεσε ζέφυρός τε νότος τε δυσαής,
Cūq; euro incubuit Zephyrusq; notusq; furentes.
Sudificúsque simul boreas mala plurima voluens.
κακὰ ἐφ' ἑαυτὸν ἕλκων ὡς ὁ καικίας νέφος. 23

Mala ad se attrahens, vt cæcias nubes.
ἀκρόασις ἐπιδεικτική.
Auscultatio sese ostentans.
ἐπ᾽ ἀμφοτέραν ἵν᾽ ἐπίκληρος ἣ μέλλει, &c.
In aurem vtranque, quandoquidem dotata est, cubet.
Re cōfecta, magnifica, & negocio inclyto,
Domo illam exturbat, cui male voluit maxime.
Vt omnes in Creobulæ faciem oculos cōuerterent,
Tū me cunctis motū vt faceret vxor hera,
Meoque demoraretur vultu, asinus inter simias fierem.
Quod autem hoc dictum? tacere volo.
Noctem mali autorem plurimi.
Me miserū, q Creobulā duxi, & talēta decē
Nanā mulierculā, cubitalē, cuius superbia,
Adeo intolerabilis est, Iouem Olympiū
Et Mineruam testor, non ancillulam potius officiosam, dicto citius.
Præsto hanc quispiam abigat quæso, at illam referat.
ἔχω δ᾽ ἐπίκληρον λαμίαν, οὐκ εἴρηκά σοι &c.
Lamiam hæreditatem duxi, quod non dixeram tibi.
Tum vero domus, atq; agrorum heram,
Vniuersórumque illius loco, hei quàm miserum & graue?
Difficilimū imo. At omnib. molesta est, non soli mihi,
Filio multo magis filiæque. prouinciam
Inexpugnabilem dicis certo scio.
ὦ τρὶς κακοδαίμων ὅστις ὢν πένης γαμεῖ &c.
Quam extreme infelix quisquis in egestate vxorem ducit,
Et quærit liberos, hei quātū est insciēs sui.
Quiq; neq; necessariū studiū rerum gerit,
Nisi quātū aliquid iugiter in vita deterat:
Neq; (licet res cogat) tectū præbere q t sibi,
Sed inops domo in ærumna vitam trahit,
Hyemem tolerās male, miseriæ oīs socius,
Bonorūq; vniuersorumq; insors ac carens.
Vnum equidem cum opprobrans, cūctos monitos volo.
25 ἀναλογίαν. Proportionem.
ἀνωμαλίαν. Inæqualitatem.
ἀνωμαλία. Inæqualitas.
26 ξανθὸς δὲ ὁ ἐρυθρὸς, καὶ πυῤῥὸς, καὶ φοινικοῦς.
Flauus autē, & ruber, & rubidus, & fuluus, & puniceus.
ὁ νίκην ἐπ᾽ ἀρετῇ ἀμφήριστον ἔθηκας.
Et virtute tua facta est victoria nutans.
27 ἑώρων δὲ αὐτὸν Φίλιππον πρὸς ὃν ἦμιν &c.
Videbā etiā ipsum Philippū quo cū certemus, pro imperio principatuq; oculo effossum, humero fractū, manu crureq; oblæsū, omne deniq; corporis mēbrū, quod fortuna auferre voluisset, id vltro offerētē, vt de cætero vitam cū honore & gloria ageret.
πᾶν ὅτι ἂν βουληθῇ μέρος ἡ τύχη τοῦ &c.
Omne deniq; corporis membrū, quod fortuna auferre voluisset, id vltro offerētem.
ἔνθα νότος πένθιο λυδῶνα εἰς λᾶαν ὠθεῖ. 33
Auster vbi īsanas vrget sub saxa procellas.
καὶ βορέης αἰθρηγενέτης μέγα κῦμα κυλίνδων.
Sudificusq; altos aquilo rotat īpete fluctus
λᾶαν ὠθεῖ. Lapidem propellit.
λᾶαν ἄνω ὠθεῖ. Lapidem sursum propellit.

Quæ in Lib. III.

ἑβδομάδα. Septimana. ca.
πλειάδας. Pleiadas. 10
πόλους. Polos. κρικωτῇ. Pertusa.
τὴν διὰ τεσσάρων συμφωνίαν.
Per quaternariam consonantiam.
ἑπτὰ πόλεις διερίζουσι περὶ ῥίζαν ὁμήρου &c. 14
Septē vrbes certāt de stirpe īsignis Homeri
Smyrna, Rhodos, Colophō, Salamin, Ius, Argos, Athenæ.
τὴν περὶ ὀρόπου δίκην. 15
De Oropo causam dicentem.
περὶ τροφῆς. De alimento. 16
πόσος ὁ τῆς τῶν ἀνθρώπων κυήσεως χρόνος.
Quātum est hominum gestationis tēpus.
γυνὴ κυεῖ δεκάμηνος. Mulier decimestris parit.
ἔστι δὲ καὶ οὐκ ἔστιν ὀκτάμηνος γένεσις.
Est autem, & non est octimestris partus.
ἔστι μὲν φαινόμενα ὡς ζῷα μετὰ τὴν &c.
Apparēt quidē veluti animalia post abortū, sed nequaq̄ sunt, quippe quæ statim vita excedant. Itaq; esse quidem tātisper imaginantur, sed potentia non sunt.
ὀδυσσεία. Vlyssea. ὄνοι λύρας. Asini ad lyram.
κατ᾽ ἀριστοτέλην. Secundum Aristotelem.
χαῖρε νῦν φιλότητι, περιπλομένου δ᾽ ἐνιαυτοῦ.
Nūc gaude dilecta, ast cū se euoluerit ānus,
Illustres (neq; enim diuum cubilia vana)
Natos nixa dabis.
περιπλομένου ἐνιαυτοῦ. Voluente anno.
γίνεται δὲ ἐν τούτοις καὶ πλείω, καὶ ἐλάσσω, &c.
In hisce vero & plura fiūt, & ex toto, & per partes. Dicimus etiam plura pluribus, & pauciora paucioribus.
τίμων. Timon. 17
σίλλος. Sillus.
τίμωνος. Timonis.
καὶ σὺ πλάτων καὶ γάρ σε μαθητὴν ὁ πόθος εἶχεν
Tuq; Plato. nam discipulū te dira cupido
Abstulit. exiguū redimis grādi ære libellū,
Scribere per quem orsus prædoctus abinde fuisti.
ἱπποκύων. Equi catella. 18

ca. Quæ in Lib. IIII.

2 περὶ νωδοῦ. De edentulo.

3 παλλαξ. Concubina.

5 ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.

Cōsultum male,consultori pessima res est.

11 καὶ κυάμων ἄπο χεῖρας ἔχειν ἀνιώντων ἔδεσθαι &c.

A fabulóq; manus tristâte amouit edêtes.
Hoc,vt Pythagoras iusserat,ipse loquor.

Πυθαγόρας δὲ τῶν ὀσπρείων μάλιστα &c.

Cum dicat Pythagoras in leguminibus fabam præcipue approbauit, motum enim maxime excitat, & aluum ciet,quamobrē ea maxime vtitur.

Δειλοὶ πάνδειλοι κυάμων ἄπο χεῖρας ἔχεσθαι.

Ah miseri à cyamo miseri subducite dextras.

Εἰς τὸ κυεῖν δεινοί, καὶ αἴτιοι τοῦ κυεῖν.

In ferendo vtero validi,causæque vteri ferendi.

Ἀριστοτέλης δὲ, μήτρας, καρδίας, καὶ &c.

Aristoteles à vulua,corde, & marina vrtica,atque id genus quibusdam aliis abstinere Pythagoricos dicit, cæterorum autem vsum habuisse.

13 περὶ λοιμῶν ἢ λογικῶν κανών.

De pestibus,aut rationalium regula.

15 Δυσχερὲς, χαλεπόν. Difficile & arduum.

Quæ in Lib. V.

ca. τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν.

3 Causam inferiorem,superiorem efficere.

9 Ὤνθρωπε μὴ κτεῖναι Κροῖσον.

Heus homo ne occide Crœsum.

10 Ἀντιστρέφοντα. Reciproca.

11 Ἤτοι καλὴν ἕξεις ἢ αἰσχράν. κἂν εἰ καλὴν &c.

Aut pulchram duces,aut deformē.Si pulchram,habebis cōmunem:sin turpem, habebis pœnam.neutrum autem bonū,non est igitur ducenda vxor.

Εἰ μὲν καλὴν ἕξω, οὐχ ἕξω ποινήν. εἰ δὲ αἰσχρὰν &c.

Si formosam ducam nō habebo pœnam: sin deformem,nō habebo cōmunem, ducenda igitur vxor.

ἀντιστρέφον.Reciprocū.πρότασις.Propositio.

Ἤτοι καλὴν ἕξω, ἢ αἰσχράν.

Aut pulchram duces,aut turpem.

κοινή. Communis.

ποινή. Pœna.

12 στερητικὸν μορίον. Priuātem particulam.

15 ἀσώματον. Incorporeum.

τὸ δρώμενον ἢ πάσχον σῶμά ἐστι.

Aut efficiens aut patiens corpus est.

τριχῆ διαστατόν. Triplici dimēsiōe distās.

οὐχ ἁπλῶς πληγὴ ἀέρος ἐστὶν ἡ φωνή. &c.

Non simpliciter plaga aeris vox est,nā digitus contractus quoque aerem percutit, nō tamē vocē facit,sed quanta plaga, & vehemens,& tanta,vt audibilis fiat.

ῥεῦμα λόγων. Flumen verborum.

ἐφημερίς. Diarium. 18

βάρβαρον. Barbarum. 20

σολοικον. Solœcum.

Quæ in Lib. VI.

περὶ προνοίας. De prouidentia. ca.

Εἰ τῶν ἀνθρώπων νόσοι κατὰ φύσιν γίνονται. 1

An hominum morbi secundum naturam proueniant.

κατὰ παρακολούθησιν. Per sequelam.

εἱμαρμένη Fatum.

φυσικὴν σύνταξιν τῶν ὅλων ἐξ ἀιδίου τῶν, &c. 2

Naturalem quendam ordinem omnium rerum,ex æterno aliis ad alia consequentibus,& incommutabili manente eiuscemodi complicatione.

Διὸ παρὰ τῶν πυθαγορείων οὕτως εἴρηται. &c.

Quambrem à Pythogoreis sic dicitur,
Noſces homines spontaneas haurire calamitates.

Quasi detrimēta singulis à seipsis fiant, & suo impetu delinquāt, & in īcōmoda ruāt sua,& ex sua electione & intentione.

Ὢ πόποι, οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται. &c.

Hei mihi,qd dānāt mortales numina cæli
Esse aiūt etenī per nos mala,cū tamē ipsis
Vecordi præter fatum sint mēte dolores.

Δὶς παῖδες οἱ γέροντες. Bis pueri senes. 5

τύνη δ' οἰωνοῖσι τανυπτερύγεσσι κελεύεις &c. 6

Me tu præpetibus parere volucrib. ipsum
Mādas,quas equidē temnoq;,aīoq; recuso.

πολυΐστωρ. Multiscius.

τὴν ἐξαίφνης φύσιν. Repētinam naturam. 8

παρμενίδης. Parmenides.

τὸ γὰρ ἐξαίφνης τοιοῦτόν τι ἔοικε σημαίνειν, &c.

Repente enim tale videtur quippiā significare,quod in alterum transeat.

τραγήματα Bellaria.

νουθεσία. Commonitio. 14

κόλασις. Animaduersio scilicet & punitio.

παραίνεσις. Monitio. τιμωρίαν. Pœnam.

παράδειγμα. Exemplum.

προσήκει δὲ παντὶ, τῷ μὲν τιμωρουμένῳ &c.

Id est aūt cōueniēs,vt q plectitur ab alio recte puniēte,melior fiat, & vtilitatē capiat, aut exēplo cæteris sit,quo vidētes alii male affectū,præ metu reddantur meliores.

παραιτοῦμαι. Deprecor,excuso.

Quæ in Lib.VII. 15

ῥαθυμότερον ῥαφῆ. Desidiosius iunctura. ca.

ἀναγώγως. Duriter. 2

εἰ γάρ σε ἔμελλεν, ὡς σὺ φῄς, κτείνειν πόσις. &c. 3

Nā si te occisurus erat (vt tu ais) maritus, te quoque occisurum esse oportuit,vt quā-

do tempus interponeretur.

6 αἰσθήσεις. Sensus.

ὄψιν. Visum.

ἀκοήν. Auditum.

γεῦσιν. Gustum.

ἁφήν. Tactum.

ὄσφρησιν Odoratum.

περὶ μνήμης. De memoria.

τὴν δὲ ἁφὴν, καὶ τὴν γεῦσιν πάντα ἔχει, πλὴν ἐνίων τῶν ἀτελῆ ζώων. Tactum vero & gustum omnia habent præter animantium imperfecta.

8 καὶ αὐτὸς δ' οὖν εἶδεν περὶ Δικαιαρχείαν &c.

Et quidē nos vidimus apud Puteolos Delphinum amantem mire puerum inclamatum à puero acciri. Quinetiā adnatās dorso puerū admittebat, ita vt pinnæ aculeos, velut vagina cōderet, ne dilectum sibi corpus laceraret, receptumq; equitis modo insidentem per magnum æquor per ducenta stadia deferret. Roma igitur, omnisq; Italia confluebat, vt piscem amoris causa vectorem pueri spectaret.

11 ἄσωτον. Prodigum.

ἢ ἀκόλαστον. Vel libidinosum.

ἢ ἀχρεῖον. Vel inutilem.

ἢ ἄχρηστον. Vel inutilem.

ἢ κακότροπον. Vel improbum.

ἢ μιαρόν. Vel scelestum.

χειριδωτοῖς. Tunicatis.

12 χειριδωτούς. Tunicatas.

χαρακτῆρας. Formas.

14 ἁδρόν, ἰσχνόν, μέσον. Sublime, tenue, mediū.

περὶ ἐδεσμάτων. De eduliis.

16 ἐπεὶ τί δεῖ βροτοῖσι πλὴν δυοῖν μόνων. &c.

Nā quid mortalibus sit vsus, præter duo illa modo, Cereris munus, & aquæ poculū? quæ adsunt ac nos queunt alere, quorū satias nunquam est: luxus autem sunt cæterarum epularum indagines.

ἡ δ' ἑτέρη θέρεϊ προρέει εἰκυῖα χαλάζῃ &c.

20 Grandinis est similis, ruit æstate altera, vel iam
Prægelidis niuibus, aut glaciei humore coactæ.

λᾶαν ἄνω ὤθεσκε ποτὶ λόφον.

Saxum sursum impellebat ad cumulum.

Quæ in Lib.VIII.

7 περὶ τῆς μνήμης. De memoria ac mente.

Quæ in Lib.IX.

ἐμποδὼν ἔχειν. Incurrere aliquid.

ca. ἐκποδὼν ποιεῖσθαι. Auertere, atq; depellere.

1 εἰς ἄρτους. In panes.

3 ἄξιος οὖν ὅδ' ἐν ἀργυρίου. Dignus igitur est argē-
4 to.

ἀνήκοος. Qui non audierit.

ἀνθρωποφάγους. Carne humana vescentes.

σαρκὸς εὐσταθὲς κατάστημα. 5

Corporis constantem habitum.

μανείην μᾶλλον, ἢ ἡσθείην.

Insanirem potius quàm oblectarer.

ἡδονῆς τέλος πόρνης δόγμα. ἄπεστω &c.

Voluptatis finis meretricis decretum est. tolle Venerē, nullū meretricis erit decretū.

τῷ γὰρ μυρίων καὶ πεντακισχιλίων &c. 8

Enimuero qui decē milibus, & quindecim milibus vestimentorum egeat, is quo minus indigeat, fieri non potest. Cum enim plus quàm habeam, egeo, detrahens ex iis quæ habeo, acquiesco.

βάλλει καὶ μάλοισι τὸν αἰπόλον ἁ Κλεαρίστα &c. 9

Me petit pomis caprarium Clearistæ filia,
Capras propellētem, suaue quid canit, insusurrat.

Τίτυρ' ἐμὶν τὸ καλὸν πεφιλαμένε βόσκε &c.

Pasce adamate mihi pulchre heus Tityre capras,
Et potū ad fonteis age Tityre, sed coleatū
Hūc Afrū, rufūmq; caue, ne cornua vibret.

οἵη δ' Ἄρτεμις εἶσι κατ' οὔρεος ἰοχέαιρα &c.

Mōtib. it qualis studiosa Diana pharetræ,
Aut per Taygeti spatiosa iuga aut Erymanthi
Et nūc gestit apro, nūc ceruo diua volucri.
Stant circum nymphæ agrestes Ioue coelite natæ,
Inq; agris ludūt, Latonæ pectora gaudent.
Frōte dea ante oēs ceruice prominet alta.
Et pulchras omnes inter clarissima fulget.
Talibus ī famulis virgo ītemerata decebat.

γέγηθε δέ τε φρένα Λητώ.

Latonæ pectora gaudent.

ῥεῖα δ' ἀριγνώτη πέλεται, καλαὶ δέ τε πᾶσαι.

Pulchras omnes inter clarissima fulget.

παρθενίην ζώνην, καὶ λέκτροιο θεσμόν. 10

Virgineū soluit cæstum, legemque cubilis.

ὃ ἔργα φιλοτήσια. Et munus amoris.

οἳ μὲν ἄρ' ἐν τρητοῖσι κατεύνασαν ἐν λεχέεσσιν

Inque toris illi sculptis cepere soporem.

ἄπορον. Dubium. 15

Quæ in Lib.X.

τρίτον καὶ τέταρτον. Tertium & quartum. ca.

φύσει τὰ ὀνόματα ἢ θέσει. 1

Natura ne nomina sint an positu. 4

τὴν εἴσω θάλασσαν. Internum mare. 7

ἀνατομάς. Dissectiones. 10

σπεῦδε βραδέως. Festina tarde. 11

Ἀρχύτας Ταραντῖνος φιλόσοφος ἅμα &c. 12

Archytas Tarentinus philosophus pariter & mechanicus vir, colūbā ligneā fecit volātē, quæ si vnq̄ subsedisset, præterea nō exurgebat. Hactenus enim.

16 κατὰ πρόληψιν — Per anticipationem.

17 ἀσωτίαν τε. — Luxumque.

19 σὺ δὲ μὴ λέγε ὡς γέγονεν οὕτω πολλάκις ἀλλ᾽.&c

Verum ne dicas, ſic eſſe actum ſæpenumero, ſed hoc fieri ſic dicere. Nō enim ſi quid aliquando contra leges actum iam eſt, tuque id ſecutus es, propterea iure queas euadere: quinimo eo magis iccirco in te debeat ſtatui. Vt enim ſi prius in aliquem foret animaduerſum, tu minime hæc ſcriberes: ita ſi ipſe in præſentia punieris, nequaquam deinceps alius ſcribet.

22 φιλοσοφία γάρ τοι ἐστὶν ὦ Σώκρατες, χάριεν ἄν τις αὐτοῦ μετρίως ἅψηται ἐν τῇ ἡλικίᾳ. &c.

Philoſophia ſane o Sacrates, res eſt elegās, ſi modice quiſpiam per ætatem attigerit: at ſi ſupra modum tempus in ea contriuerit, hominum eſt corruptela. Nam ſi quis vel amœno ſit acrique ingenio, vltraque ætatem philoſophetur, neceſſum eſt eum rerum omnium eſſe imperitum, quarum vſum calleat oportet, quisqs honeſtus probusque eſt futurus. Legum enim ciuilium peritia & orationis, vacat: quibus, in actionibus ac commerciis cum hominibus, tū priuatim tum publice vti conuenit. Voluptatum item, atque cupiditatum humanarum, & morum euadunt prorſus inſolentes. Cum itaque in illam quāpiam incidūt priuatam publicamve actionem, habentur deridiculi: perinde ac viri ciuiles ipſi, vbi veſtra adeunt ſtudia & diſputationes, irridentur. Accidit iis enim illud Euripidis: Qua in re clarus quiſque eſt, ad eam properat: & diei partem illi plurimā impertit, in qua ipſe ſe exuperet: contrà, in qua ſtupidior ac nihil ſit, inde effugit, eāque contemnit: alteram vero ſui beneuolentia commendat, arbitrans ita ſeſe laudare. Sed præſtat (ſicuti opinor) vtriuſque eſſe participem: philoſophiæ inquā, quoad illius honeſtas ſinit, diſciplinæ gratia compotem fieri. Neq; turpe habetur adoleſcentem philoſophari. At cum grandis iam natu philoſophatur, ridicula res o Socrates geritur. Atq; equidem ita penes philoſophantes afficior, veluti erga balbutientes ludenteſque. Cum enim puerulum videam, cui decorum adhuc eſt, ſic lingua balbutientem ac ludentem, demulceor, reſque mihi quidem feſtiua & liberalis videtur, puerilique ætati congruens: Quod ſi volubiliter puerulum loquentem audiā, acerba quæpiam res mihi oboritur, & aures meæ moleſtia afficiuntur, videturque neſcio quid eſſe ſeruile. At ſi quis virū audierit balbutientem, aut ludentem videat, res videtur & deridenda & puerilis & denique digna verberibus. Ita equidem afficior ſane eorum qui philoſophantur ratione. Vbi enim in adoleſcente philoſophiam aſpicio, oblector exoſculorque, & id mihi videtur perdecere, ingenuū quoque ac liberalem hunc eſſe hominem iudico: è contrario, ſi non philoſophatur, illiberalem, & ſeſe nūquam re vlla dignum, vel honeſta vel ingenua arbitrantem. Verum cum ſeniorem iam hominem philoſophantem adhuc, necdum facientem finem perſentio, verberibus egere commodūm vir ille mihi videtur. Quod enim modo dixi, id homini iſti accidit, vt ſi ſit admodum ingenioſus, vilis atque abiectus efficiatur, cum mediam ciuitatem forumque defugiat, in quo poeta inquit viros excellere. Abdat ſe vero, & vitæ reliquum cum adoleſcentulis tribus aut quatuor degat, in angulorum aliquo cōmurmurans, ingenuum aut quicquam magnū dignumve haud vnquam loquatur. Equidem o Socrates, pro mea erga te beneuolentia atque humanitate, videre mihi videor affici in præſentia eodem modo, quo Zethus reſpectu Amphionis apud Euripidem, cuius modo mentionem feci. Etenim mihi quoque eiuſmodi quædam tecum vt fabuler, in mentem venit, qualia cum fratre ille. Neglectui habes o Socrates ea quæ debes curare, animique naturam tui vſque adeo nobilem puerili quodam ornamento condecoras, nec foro ſenatuive orationis quicquam rectæ affers neque probabilem aut conſentientem vllam rationem inueniſti, neque vero pro aliis conſilium integrum cepiſti. Atqui amice Socrates, quod ægre ne feras velim, (loquor enim tua cauſa ſumma cū beneuolentia) an tibi non turpe videatur, ita te gerere, vt ego te habere exiſtimo, & cæteros qui vltra iuſtum pergant philoſophari? Nam ſi quis te nunc, aut alium eiuſmodi quemlibet ad carcerem rapiat, iniuriam te quidem intuliſſe arguēs, qui culpa omnino vaces, noſti ne te mini me habiturum quonam te pacto tuearis? Sed vertigine vexeris, ac conſilii inops oſcites quid dicas, quid agas. In iudicio item ſuggeſtum conſcendens, ſi improbus admodum ac nequam aduerſarius tuus ſit, mori de facili queas, ſi te ille capitali deferat crimine. Verum quonam pacto Socrates hoc ſapientis ſit, ſi qua res aliquem

præstantem ingenio virum nacta, deteriorem illum effecerit? qui neque sibiipsi auxilio esse possit, periculisque extremis liberare, neque se nec alium quenquam, sed ab inimicis bonorum omnium facultate spoliari necesse sit, & palam quidem infelicem degerere. Liceat enim quenquam agrestius vera dicere: si quis in genam te percusserit, pœnas nõ det. Sed heus vir bone, mihi obtempera, atque à redargutionibus istis te abstine, rerumque elegãtiam cole, & eam sane vnde recte sentire videare, aliis missa faciens ista arguta siue deliramenta, siue nugalia deceat appellare: quibus efficiatur, vt domos inanes habites: atque sequens non eos, qui exigua ista reprehendunt, sed illos potius à quibus & facultates, & gloria, & bona alia permulta possidentur.

24 εἰς τετάρτην, καὶ εἰς πέμπτην.
In quartam & in quintam.

Quæ in Lib. XI.

ca. ἰταλοί. Vituli.
1 κατ' ἀντίφρασιν. Per contrariam dictionem.
4 τὸ δὲ ἀξίωμα κἂν κακῶς λέγῃ τὸ σόν. &c.
Autoritas vero, & si male dicat, tua
Persuadebit. nam ab inexistimatis profici
scens oratio,
Et ab existimatis, eadem haudquaquã tan
tundem valet.
ἀντὶ ἀδοξούντων. Pro eo quod inexistimatis.
ἀντὶ δοκούντων. Pro existimatis.
ἀδοξοῦσι. Inæstimati sunt.
ἐνδοξοῦσι. Existimati sunt.
5 σκεπτικοί. Commentantes.
οὐ μᾶλλον οὕτως ἔχει τόδε ἢ ἐκείνως ἢ οὐδετέρως.
Haud magis sic se hoc q̃ illo habet modo, aut quàm neutro.
πυῤῥωνίων τρόπων. Pyrrhonicorum modorum.
σκεπτικοί, ἐφεκτικοί, ἀπορητικοί.
Commentantes, obligantes, ambigentes.
τῶν πρός τι. Eorum quæ ad aliquid.
ὀψιμαθίαν. Tardidiscentiam.
7 ἐν πωλουμένοις. In vendentibus.
ἀπειρόκαλος. Ineptus.
συνάγχειν. Anginam pati.
9 συνάγχην. Anginam.
ἀργυράγχην. Argentanginam.
15 παραγωγάς. Deductiones & deriuationes.
ἐμμελῶς. Ingeniose & apte.
περὶ πολυπραγμοσύνης. De curiositate.
16 πολυφιλίαν. Multorum amicitiam
πολυτροπίαν. Multiplices ac varios mores.
πολυσαρκίαν. Corpulentiam.
πολυπραγμοσύνην. Curiositatem.

Que in Lib. XII.

οὐκ ἄρα σοί γε πατὴρ ἦν ἱππότα Πηλεύς, &c. ca.
Non eques ipse pater fuerat tibi mehercu 1
le Peleus,
Non Thetis est genitrix: glaucum te protulit æquor,
Aeriæque rupes, mens quòd tibi dura, ferox est.
ἐνθυμήματι. Commentatione. ca.
κῶλον. Laxum intestinum. 2
ἀμαθέστερόν πως εἰπὲ, καὶ σαφέστερον λέγε.
Indoctius rudiusq; quodam modo loquere, & apertius ac clarius fare.
τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν. Primigenia.
ἀναλγησία. Indolentia.
ἀπάθεια. Impassibilitas.
κάκιον εἶναι τὸ ἀδικεῖν τοῦ ἀδικεῖσθαι. 9
Peius esse iniuriam facere quàm peccare.
πρὸς ταῦτα κρύπτε μηδὲν ὡς ἅπανθ' ὁρῶν. &c 11
Nihil occulte, quando cuncta tuens,
Et cuncta audiens, omnia reuelabit dies.

Quæ in Lib. XIII.

ἀνθ' ἑνὸς ὑπηκόου, τὴν πεπρωμένην καὶ φύσιν. ca.
Pro vno subiecto, fatum & naturam. 1
μὴ καὶ ὑπὲρ μοῖραν δόμον ἄϊδος εἰσαφίκηαι.
Neve obstante domum fato penetrabis auerni.
περὶ στεφάνου. De corona.
ὁ μὲν τοῖς γονεῦσι νομίζων μόνον γεγενῆσθαι, &c.
Nam qui parentibus tantum se natum putat, fatalem, atque spontis suæ mortem manet. Qui vero etiã patriæ ob id, ne in seruitutem redactam illam videat, occumbere præoptabit.
τὴν πεπρωμένην καὶ τὸν αὐτόματον θάνατον.
Fatalem, & spontis suæ mortem.
Αὐτόματος θάνατος. Spontanea mors.
ἥδιον ὁ λέσβιος. Suauius Lesbium. ca.
προσῳδίας. Accentus. 5
ἡ δὲ δὴ λέαινα, ἐὸν ἰσχυρότατον καὶ θρασύτατον, ca.
ἅπαξ ἐν τῷ, &c. 6
Cum autem animaliũ acerrimum sit leæ- 7
na & audacissimum, semel omnino in vita & vnum parit. Enitendo enim, cum fœtu pariter matricem proiicit. Rei vero huiusce causa est, quod cũ in matrice manens motitari incipit catulus, motus ille vnguiculis præmunitus ferarum lõge omnium acutissimis matricem discerpit: tũ in maius continuo augescens, multo magis dilanians prodit. Instante vero iam nixu, prorsum relinquitur eorum integrum & sanum nihil.
ἐπίκοινον. Promiscuum.
εἰ δὴ καὶ ὥς τις πλέων περὶ οἴσει πέκωσιν, &c.

Vtq; leo in sylua stabat sua pignora circũ.
Cui manus occurset catulos nemus inter agenti,
Venatrix accincta virum.
πυκνὰ μάλα στενάχων, ὥς τε λὶς ἠϋγένειος &c.
Crebra gemens nimium, tanquam leo viribus ingens
Faucibus, absenti venator si catulũ audax
Abripuit denso ĩ saltu, dolet acre, sequẽsq;
Deĩde nemus versat, scrutãs vestigia si quo
Versa viri ĩueniat, rapit illũ bilis amara.
λέων δ' ὅτι μὴ ὀχεύει ὄπισθεν, καὶ ἔστιν ὀπισθουρητικὸν εἴρηται πρότερον, &c.
Leonem auersum coire, vrinãq; retro reddere, dictum iam est. Coit, & parit, non omni tempore, singulis tamen annis vere parit, & magna ex parte geminos. Sed cũ plurimos, sex catulos, nonnunq̃ etiã vnũ. Quod de leæna fertur, vuluam cum partu emittere, delira fabula est, facta ex ea causa, quod rarũ genus hoc animalis est: nec rationem cur ita esset comperire autor ille fabulæ poterat. Rarum hoc enim est, nec multis nascitur locis, sed Europæ totius ea parte solum, quæ inter Acheloum amnem & Nessum est. Parit leæna quoq; adeo paruos, vt vix post secũdum mensem incipiãt ingredi. Leones terræ Syriæ quinquies vita pariunt, primum quinq;, post vero subinde pauciores, deinde steriles degunt. Caret leæna iuba. maris hæc propria est. Dentes eos tantũmodo mutat leo, qui canini vocãtur, quatuor: duos superius, totidẽ inferius, idque sexto mense ætatis fit.
9 παιδέκτας. Promiscua & omnimoda continentes.
οὐκ ἀπὸ τῶν ὑῶν. Non à suibus.
ὕειν. Pluere.
11 ἐτύμῳ. Veriloquio.
βιωφελῆ. Vitæ vtilitatibus conducentia.
πέμμασιν. Placentis, concoctione.
πέψει. Panibus secundæ mensæ.
16 παροιμιώδης. Prouerbio tritus.
πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος καὶ χείλεος ἄκρου.
Multa cadũt inter calicẽ supremaq; labra.
17 σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν ξυνουσίᾳ.
Sapiẽtes tyranni sunt cõgressu sapiẽtum.
αἴας ὁ λοκρός. Aiax Locrensis.
γέρων γέροντα παιδαγωγήσω σ' ἐγώ.
Senex senem ego teipsum erudiero.
φιλοκτήτης. Philoctetа.
ἐν τῷ πυρφόρῳ προμηθεῖ.
In ignigero Prometheo.
σιγῶν τε ὅπου δεῖ, καὶ λέγων τὰ καίρια.
Tacẽsq; vbi opus est, & opportuna loquẽs
σιγῶν θ' ὅπου δεῖ, καὶ λέγειν ἀσφαλές.
Silere vbi opus est, & tuto loqui.
εὐφωνία. Vocalitas. 19
ἀέρα βαθεῖαν. Caliginẽ & nebulã profundã.
κολοιούς τε ψῆράς τε. Graculosque sturnosq;.
ψηρῶν. Sturnorum.
τῶν δ' ὥς τε ψαρῶν νέφος ἔρχεται ἠὲ κολοιῶν.
Horũ, vt de sturnis it nubes, graculis ve.
κρηπῖδας. Crepidulas.
νηρεΐδας. Nereidas.
σκιαμαχία. Vmbratilis pugna.
κριομαχία Arietum pugna.
δὶς ταὐτὸν ἡμῖν εἶπεν ὁ σοφὸς αἰσχύλος, &c. 23
Bis idem nobis dixit sapiens Aeschylus.
Venio enim ad terram, inquit, & accedo postliminio.
At venio idẽ est, quod accedo postliminio:
Ita per iouem atque si quis vicino dixerit,
Accommoda tu mactram, vel si libet, arcam panariam.
μάκτρα καὶ κάρδοπος. Mactra, & arca panaria.
ἀπομνημονεύειν. Commemorare.
ἕκτορα δ' ἐκ βελέων ὕπαγε Ζεὺς, ἔκ τε κονίης.
Hectora de iaculis, de puluere Iuppiter, & de
Cæde virum abduixt, de sanguine, deque tumultu.
ὑσμῖναί τε, μάχαι τε, φόνοι τ', ἀνδροκτασίαι τε.
Prælia, cõflictus, cædes hominũq; necatus
μηκέτι παῖδε φίλω πολεμίζετε, μηδὲ μάχεσθον.
Neu dulces pueri pugnate, aut cernite ferro.
μνηστῆρες δ' ἄρα τηλεμάχῳ θάνατόν τε μόρον τε.
Telemachoq; proci letũ fatumq; profecto.
θάνατον καὶ μόρον. Letum & fatum.
πολεμίζετε, καὶ μάχεσθον. Bellate, & pugnate.
βάσκ' ἴθι οὖλε ὄνειρε. καὶ, βάσκ' ἴθ' ἶρι ταχεῖα.
Vade, i somnum agens. & alibi. Vade, & perge Iri citata.
ἐκ παλλήλου. Ex geminatione.
προσῳδίαν. Voculationem. 24
γλαύκῳ, καὶ νηρεῖ τε εἰναλίῳ μελικέρτῃ. 25
Glauco, Nereique, atque maris genio Melicertæ.
νεωτερικώτερος. Audacior & iuuenilior.
ταῦρον δ' ἀλφειῷ, ταῦρον δὲ ποσειδάωνι.
Taurum autem Alpheo, Neptuno tum quoque taurum.
ἐμφατικώτερον. Expressius. 27
ἐν τῇ φακῇ μύρον. In lente vnguentum.
πρόσωπον. Personam. 28

Quæ in Lib. XIIII.

παχυμέστερον. Crassius & pinguiori Minerua. ca. 1
λογικὰ ζῶα. Rationalia animalia.
νευρόσπαστα. Neruis mouentia. ca.
παιδείας δ' οὐκ ὀρθῶς ἥφθαι τὰ πάντων. 3

Institutionē autē minime recte attigisse.

4 περὶ καλοῦ, καὶ ἡδονῆς. De honesto, & voluptate.

παρθένος δὲ εἶναι λέγεται, κατὰ σύμβολον, &c. Dicitur virgo esse, indicio eam esse incorruptā, improbis nunq̄ concedere, nō orationem modestam, non precationem, nō adulationem, nō deniq; quicq̄ aliud pati. Quas ob res merito tristis etiā ac cōtracta fronte pingitur, vultu graui, aspectu contē to & toruo, vt iniustis terrorem incutiat, iustis fiduciam præbeat: quādo huiuscemodi facies iustis grata, iniustis molesta est.

6 Σειρῆνες. Sirenes.

Εὐρύκλεια. Euryclia.

ἐν τῇ ἔσω θαλάσσῃ. In interiore mari.

κατ' ἀρίσταρχον. Iuxta Aristarchum.

ἐν τῇ ἔξω κατὰ κράτητα. In exteriore iuxta Cratetem.

ἰσόψηφοι. Pares.

παραστιχίς. Continua series.

ἠμαθία. Emathia.

αἱμονία. Hæmonia.

ποσειδώνιον. Neptunium, & locus Neptuni.

ὄναιό σου. Proficiat tibi.

ταύτης τῆς πολυμαθίας. Huius multiuagæ disciplinæ gratia.

ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται. Aedibus in nostris quæ recta aut praua geruntur. Quæ in Lib. XV.

αὐέρυσαν μὲν πρῶτα, καὶ ἔσφαξαν καὶ ἔδειραν. Prima supinarunt, necuere, exuta dedere Pellibus, absq; sono, & muti.

7 ἀνδρὸς μὲν τόδε σῆμα πάλαι κατατεθνηῶτος. Ecce viri tumulum, qui pridem à lumine cessit. Abstulit hunc factis præclarum splendidus Hector. Quondam ita quis dicet, mea nunquā gloria cadet.

8 ἀνδραγαθούντων ὑμῶν, καὶ διαδεχομένων. Fortiter ac viriliter agentibus vobis, atque succedētibus, suscipiētibusq; stationē meā.

10 περὶ ψυχῆς. De anima.

14 εἰσεπράξατό με ἀργύριον. Exegit à me argētū.

19 περὶ ἐδεσμάτων. De eduliis.

20 ἐν ταῖς προτέραις θεσμοφοριαζούσαις. In prioribus thesmophoriis.

νῦν οὖν ἁπάσαις παραινῶ, καὶ λέγω &c.
Omneis igitur nunc admoneo, & dico
Virum hunccine vlcisci, multis de causis.
Agrestia eteni quædā matronæ agit, vt qui
In agrestibus enutritus oleribus sit.

ὁ δὲ ἀναξαγόρου τρόφιμος ἀρχαίου &c.
At Anaxagoræ alumnus veteris ille
Durus quidem ad salutandum videtur
Et ridēdi exosus, & iocari ne ad vinū qdē
Consuetus. verum quicquid scripserit, id
A melle & sirenibus profluit.

οὔποτε σὸν μνῆμα εὐριπίδης ὄλειτό που. Nulla ætate tua Euripides monumenta peribunt.

ἀναβιοῦται. Reuiuiscit. 25

λόγος ἐν ᾧ τεθέντων τινῶν, ἕτερόν τι τῶν κειμένων ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει διὰ τῶν κειμένων. 26 Oratio, in qua positis quibusdam, aliud qd à positis necessario consequitur per ea quæ posita sunt.

κατ' ἀνδροτίωνος, καὶ κατὰ τιμοκράτους. 28 In Androtionem, & in Timocratem.

πολιορκητής. Vrbium expugnator. 31

Quæ in Lib. XVI.

ἐνθυμημάτιον. Commentatiunculam. ca.

ἄν τι πράξῃς καλὸν μετὰ πόνου, ὁ μὲν πόνος, &c. 1 Si cum labore honesti quippiam egeris, labor abit, honestum manet. Si cū voluptate turpe feceris quippiā, quod suaue est, abit: quod turpe est, manet.

διαιρέσεων. Diuisionum. 3

ἐλογιζόμεθα οὖν παρὰ τὴν ἰσχυρὰν σύμπτωσιν &c. Cogitabamus itaque propter nimiam vētris compressionem summam esse inediā: nam & ii qui sponte abstinēt cibo, primis temporibus fame afficiuntur, post autem minus.

εἰθισμένοι δέ εἰσι καὶ οἱ σκύθαι ὅταν διά τινα &c. Scythæ etiam consueuerunt, si quando cu iuspiam rei causa inediam ferre coguntur, latioribus fasciis ventrem cohibere, quasi ita fames minus eos infestet. Ventre autem fere pleno, quia nulla in eo sit inanitas, fit ne esuriant. Dum autem venter compressus admodum est, caret inanitate.

ἄπορον δὲ καὶ δεόμενον ἐπισκέψεως, &c. Dubium est indigensque considerationis, tum in hoc, tum in cæteris famelicis, quare in frigoribus magis huiuscemodi casus accidat, quàm serenis temporibus.

οὐδετέρως. Neutro scilicet. 7

εἰσαγωγάς. Introductiones. 8

περὶ ἀξιωμάτων. Pronunciatorum.

ἀξίωμα. Pronunciatum.

λεκτὸν αὐτοτελές, ἀποφαντὸν ὅσον ἐφ' ἑαυτῷ. Dicibile per se perfectum, enunciabile quātum ex semetipso.

ἀξίωμα. Propositum.

συνημμένον ἀξίωμα. Connexum pronunciatum.

συμπεπλεγμένον. Copulatum.

παραδιεζευγμένον. Vitiose disiunctum.

ἀδιαφορεῖν. Indifferens esse. 9

ἀπὸ τοῦ ἔρρειν. A pereundo. 11

ἔρρε κακὴ γλήνη. Pereas mala pupilla oculi.

ἔῤῥε ἐκ νήσου Θάσου ἐλέγχιστε ζωόντων.
Ocyus o pereas viuorum ex insula abusus.
βάσκανον. Inuidum.
βασκαίνειν. Inuidere.
φανερώτερον ἀπὸ τοῦ φαίνεσθαι ὠδὶ δὴ χρηστότερον
Facile apparens ab apparendo ad id,quod melius ac benignius est.
18 ὀπτική. Perspectiua.
κανονική. Regularis.
ῥυθμός. Modus,numerus.
μέλος. Modulatio,cantus.
κανονικῆς. Regularis.
μετρική. Dimensiua.

ca. Quæ in Lib. XVII.

2 σολοικον. Solœcismi vitium.
θεῖναι εἰς μέσον. Ponere in medium.
ἐφόδιον. Viaticum.
τεμενῶν ἱερά. Templorum sacra.
3 καὶ δὴ δοῦρα σέσηπε νεῶν, καὶ σπάρτα λέλυνται
Et ligna eputrent ratium, & sparta in cariem sunt.
σπάρτους. Ex agris satos.
4 κηφισιεὺς ὤν, ἐκ διοπείθους πατρός, &c.
Cephisieus genere ex Diopete patre.
Quinq; & centum cum scripsisset fabulas, Fato est defunctus,annos duos natus & quinquaginta.
5 τεχνικοί. Artificiales.
ἀποδεικτικῶς. Demonstratiuo.
ἀμφισβητούμενον,ἀντὶ ὁμολογουμένου
Dubium pro confesso & certo.
ἀπόδειξιν. Expressionem & demonstrationem.
μὴ γελᾶτε, ἔνι τοὔλαιον, ἀλλ' οὐκ ἴστε οἷα, &c.
8 Ne ridete,inest oleum:verum vos nescitis qualis matutino diluculo hodie rigor fuerit,itaque gelu concretum est.
αἴθοπα οἶνον. Calidum vinum.
9 σκυτάλη. Lorũ quo epistolæ inuoluũtur.
10 τᾶς ἐρεύγονται μὲν ἀπλάτου πυρὸς ἁγνόταται &c.
A qua sane eructantur inaccessi ignis purissimi ex imis fontes.Flumina vero interdiu quidem inundant fluctum feruẽtẽ fumi. At per noctes punicea proglomerata flamma ad profundum ponti ferunt solũ, cum strepitu illa Vulcani fluenta serpentia emittit sæuissima, monstrum profecto tum visu,tum auditu mirabile.
ῥόον καπνοῦ αἴθωνα. Fluxum fumi calidum.
κρουνούς. Fluenta. ἀκύρως. Improprie.
11 τραχεῖα. Dura.
τόν τε πνεύμονα οἴνῳ· τὸ γὰρ ἄκρον περιτέλλεται.
Pulmonem vino,summum enim contrahitur.
ἡ κάτω κοιλία. Inferior venter, & aluus.
τραχεῖα ἀρτηρία. Aspera arteria.

ἐπιγλωττίς. Apposita lingula.
τὴν τραχεῖαν ἀρτηρίαν. Asperam arteriam.
ἄλλοτε μητρυιὴ πέλει ἡμέρη, ἄλλοτε μήτηρ. 12
Ipsa dies quandoque parens, quandoq; nouerca est.
μία μητρυιά, δύο μητέρες.
Vna nouerca,duæ matres.
ἄνευ τοῦ πράττειν μέχρι τοῦ λέγειν. 19
Sine vlla actione ad dicendum parati.
ἄνθρωπε τοῦ βάλλεις, σκέψαι &c.
Homo vbi iã mittis,considera nũquid purgatum vas sit? Nam si ad inanem opinionem ea inuergas,prorsum interierint. Sin conputrescant,in vrinam aut acetum vertentur,aut si quid iis ipsis est deterius.
κυνικώτερον. Magis cynicum.
ἀνέχου καὶ ἀπέχου. Patere, & abstine.
πᾶσα γὰρ πρᾶξις ὧδε ἔχει. &c. 20
Omnis enim actio sic sese habet. Nã ipsa quantum in semetipsa agitur, neque honesta,neque turpis est: quemadmodum sunt quæ nunc nos ipsi facimus,aut bibere,aut loqui,aut disputare. Non enim est horum honestum per seipsum quicquam,sed in actione,vt quidem est actum,eiusmodi euenit. Nam honeste gestum & recte,honestũ fit,contra vero turpe. Eodem pacto & amare ipsum,& amor,non omnis quidem honestus est, neque commendatione omnis dignus, verum is, qui amare honeste nos adhortatur.
ἐνθύμημα. Commentum.
ὁδοῦ πάρεργον. Superuacanee,extra itineris propositum, quasi ex diuerticulo.
ἀπαίδευτος. Ineruditus.
συγχρονισμούς. Contemporationes. 12
ἀνὴρ ὁ φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται.
Vir fugiens & denuo pugnabit.

Quæ in Lib. XVIII.

τῆς πολιτείας. Reipublicæ. ca.
κοινὰς τὰς γυναῖκας. Communes mulieres. 1
νήπιοι οὐδ' ἴσασιν ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντός &c.
Ignorant stolidi, q̃ toto sit medium plus, Ac quanta vtilitas in malua & asphodelo sit.
μοχθηροὺς καὶ φορτικούς. Improbos atq; graues
ἀναγνώστην. Lectorem. 4
σοφιστεία. Inani sapientia. 5
ἐπιμαίνεσθαι. Furere, insanire. 6
μελαγχολία. Atra bilis. 7
ἀλλὰ ἐὰν σχεδόν τι τὸ πάθος τοῦτο ἡρωϊκόν.
Et affectionem fere hanc heroicam esse.
μήτε καιροῦ, μήτε μέτρου. Neque temporis,neque modi.
ὁμοιοτέλευτα, καὶ ὁμοιόπτωτα.
Similiter finientia, & similiter cadentia. 8

ὁμοιοτέλευτα, καὶ ἰσοκατάληκτα, καὶ &c.
Similiter finientia, & æqualiter desinētia, & comparia, & similiter cadentia.
ἀπειρόκαλοι. Inepti.
6 Ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα. Dic mihi musa virū
ἔσπετε νῦν μοῦσαι, Pādite nunc Musæ mihi
ἀπὸ τοῦ ἕπεσθαι, καὶ εἰπεῖν.
Ab eo quod est sequi, & dicere.
01 ἐὰν ἅψῃ αὐτοῦ τοῦ φλεβός.
Si attrectaris venam eius.
Ἀγγεῖον. Vas, & conceptaculum.
Σφυγμός. Pulsus.
Σφυγμός, ἐστὶ διαστολὴ καὶ συστολὴ ἀδιαιρέτος
Pulsus, est disparatio & contractio indiuisibilis arteriæ & cordis.
Σφυγμός, ἐστὶ παλμὸς, ἢ ζέσις φλεβὸς ἢ ἀρτηρίας. Pulsus est subsultatio, & palpitatio vel ebullitio venæ & arteriæ.

ca. Quæ in Lib. XIX.

1 Διαλέξεων. Disputationum.
Ζήνωνος. Zenonis.
Συγκαταθέσεις. Assensiones.
τὰς τοιαύτας φαντασίας.
Eiusmodi imaginationes.
οὐ συγκατατίθεται οὐδὲ προσεπιδοξάζει
Non assentit, neque coopinatur.
καὶ προσεπιδοξάζει. Et coopinatur.
οὐ συγκατατίθεται. Non approbat.
αἰσθήσεις. Sensus.
2 ἀκολάστους, Libidinosos, & intemperantes.
ἀκρατεῖς. Incontinentes.
ἀκολάστους. Incastigatos.
Διατί οἱ κατὰ τὴν ἁφῆς ἢ γεύσεως. &c.
Cur non incontinentes eos appellare solemus, qui voluptate contrectandi aut gustādi exuperantur? Nā qui immodice re vtuntur venerea, & qui luxu delectātur ciborū, incontinentes vocamus. Ciborum tamen non eadem ratio est, sed partim linguam, partim gulam, sua mouent suauitate. Vnde Philoxenus gruis collum à diis immortalibus sibi dari optabat. At vero qui in videndo audiendove modum excedūt, non eodē vocabulo significamus, an quoniam voluptates sensibus hisce accommodatas, cōmunes cū cæteris animantibus habemus? Ergo vt communes spernimus & notamus, solasque omnium, aut maxime probro damus. Itaque hominem iis deditum reprehendimus, & incontinentem intemperātemque appellamus, quod victus à teterrimo voluptatum genere ducitur. Sed cum sentiendi genera quinque sint, cætera animalia duobus tātum quæ modo dixi, voluptatem sibi acquirunt: cæteris vel nihil omnino delectantur, vel per accidens ita afficiuntur. Quod enim videt, aut olfacit, tantisper gaudet quoad gustus tactusve fruiscatur. Cumque genus idipsum concupiscendi expleuit, illorum quoque suauitas desiit: vt nobis salsamenti odor cum indigemus, suauis est: vbi satiati repletique sumus, amplius suauis non est. Rosæ autem odor semper suauis est.
τὴν συνουσίαν εἶναι μικρὰν ἐπιληψίαν.
Coitum esse paruum morbum comitialē.
ψυχροποιητικήν. Frigus facientem. 4
τὸ δὲ πῦρ διαχαλᾷ τὸ πεπηγός, ὥσπερ ἥλιος τὴν χιόνα. Ignis autem concretum resoluit, & gelu constrictum, vt niuem sol.
Διατί τὰ ἀπὸ χιόνος καὶ κρυστάλλων ὕδατα. &c. 5
Cur aquæ ex niue glacieve liquatæ sint vitiosæ? an quia, cum aqua quævis gelu concrescit, pars tenuissima difflatur, & leuissima euaporatur? Indicium illud est, quod deliquata fit minor quàm antea fuerit, quàm cōcresceret. Cū itaq; quod salubrius est defuerit, deterius sit quod relinquitur necesse est.
Διατί οἱ μὲν αἰσχυνόμενοι ἐρυθριῶσιν, &c. 6
Quam ob causam erubescūt quos puduit, pallent qui metuunt, cum istæ affectiones similes inter se sint? An quoniam pudefactis sanguis de corde in omnes corporis partes diffunditur, ita vt superficiem occupet: metu vero perculsis cōtrahitur ad cor, ita vt cæteris partibus defiat?
αἰσχύνη ἐστὶ φόβος δικαίου ψόγου.
Pudor iustæ vituperationis est timor.
ἀκύρως, ἢ κατ' ἀντίφασιν. 7
Improprie, vel per oblocutionem.
ἑνικῶς. Singulariter.
ἀπαραμύθητον. Absq; consolatione. 8
πληθυντικῶς. Pluratiue.
ἀνακρεόντεια, 9
Anacreontia, & anacreontis versus.
ἐλεγεῖα. Elegos, hoc est lugubria carmina.
ἐρωτικά. Amatoria, dulcia, & venusta.
τὸν ἄργυρον τορεύσας. &c.

Argentum tornans
Fabrica Vulcane mihi,
Non hominem armatum.
Quid enim cum bellis mihi?
Sed cauum poculum cude
Quantum vales maxime.
Inq; eo neque astra
Neque plaustra facias.
Nam quid cum Pleiadibus,
Quid cum Boote mihi?
Vites fabrica quæso intus,

Et racemos pariter.
Aureosque pulchre calcantis.
Comites Lyæi.
Amoremque excude simul.
Luxu, prodigalitate.
Inuenustatis.

11 τὴν ψυχὴν Ἀγάθωνα φιλῶν ἐπὶ χείλεσιν ἔσχον. ἦλθε γὰρ ἡ τλήμων, ὡς διαβησομένη.

Suauia dans Agathoni animam ipsa in labra tenebam.

Aegra etenim properãs tanquam abitura sint.

οὐκ ἄμουσος. Non inelegans.
12 ἀπάθειαν. Traquillitatem.
πάθη. Passiones. ἀκλαής. Minime plorãs.

Quæ in Lib. XX.

ca. οἱ περὶ τὸν Διόνυσον τεχνῖται.
3 Liberi patris artifices.
προβλήματα ἐγκύκλια.
Quæstiones circulares.
Διὰ τί οἱ διονυσιακοὶ τεχνῖται ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ &c
Cur genus id hominum, quod Dionysiacos technitas, id est artifices bacchanales, appellamus, improbis esse moribus magna ex parte consueuerunt? An quia minime sese studio sapientiæ dedunt? eo scilicet quod in artibus necessariis magnam partem ætatis suæ consumunt, vitam plurimum traducunt incontinẽter, partim etiã tum inopia, quod quidem vtrunque vitia & gignit & auget.

4 ἐξωτερικά. Extraria, vel extrinseca,
ἀκροαματικά. Ausculatoria.
ἀκροαματικήν. Ausculatoriam.
ἐξωτερικάς. Extrarias.
δειλινὸν περίπατον. Pomeridianam ambulationem.

ἑωθινόν. Dilucularia.
ἐξωτερικοί. Extrarii.
ἀκροαματικοί. Ausculatorii.
ἀκροαματικάς Ausculatorias.
ἀκροαματικούς. Ausculatorios.

Ἀλέξανδρος Ἀριστοτέλει εὖ πράττειν
οὐκ ὀρθῶς ἐποίησας ἐκδοὺς τοὺς ἀκροαματικούς.

Alexander Aristoteli salutem.

Haud recte fecisti, quod ausculatorios libros edideris. In qua enim re à cæteris nos item præstabimus, si disciplinæ in quibus eruditi sumus, omnium omnino sint cõmunes? Equidem malim in rerum vsu optimarum, quàm in facultatibus anteire. Vale.

Aristoteles regi Alexandro salutem.

Scripsisti ad me de libris ausculatoriis, inter arcana illos condi putans oportere: sed tu eos & esse editos, & minime editos scito. Cognobiles enim iis tantum erunt, qui nos audiunt. Vale

ἐπιμελοῦμαι ὑμῶν, καὶ κήδομαι ὑμετέρων.
Habeo curam vestrum, & cõsulo rebus vestris.

ὑμετέρων Vestri. 5
συμπάθειαν. Consensum. 11
κηρίον. Fauum.
κέρας ἀμαλθείας. Copiæ cornu.
πινακίδιον. Indicem.
ἐγχειρίδιον. Pugillarem aut tabellam.
διατριβάς. Exercitationes, & studia.
περὶ ποικίλας ἱστορίης. De varia historia.
βιβλιοθήκην. Librariam.
ἐποπτειδῶν. Spectaculorum.
συγγραφήν. Historiam.

FINIS.

Iodoci Badii Ascensij in A.Gellii Noctes Atticas lucernulæ,ab amicis fere,præsertim Aegidio Maserio in decursu,eidem aliis occupato,traditæ:& rursum per eundem nõ parum auctæ, & ab ipso Ascensio ex integro recognitæ ad lucernam Petri Mosellani.

Titulos esse ab A. Gellio. præpositos. Aulus Gellius,an Agellius.

QVali proportione &c.Epitomen hanc primi capitis à quibusdam nuper inofficiose subductam suo loco reposuimus:rati id eidem iuris esse quod reliquis, omnesque ab authore ipso præpositas:vsqueadeo vt sine hoc titulo,vetus primi capitis lectio vacillaret: nam vbi nunc legitur, longitudinisque Herculis: vetusta exemplaria habent, longitudinisque eius:eius inquam,cuius in titulo meminerat,Herculis. De nomine autem authoris grammatici certant. Nam Quintianus in fine epog. inter reliqua quæsita, hoc quoque interserit: vtrum Agellius an Aulus Gellius dicatur harum Noctium author:nec nodum soluit. Hieronymus etiam Aleander cum hunc prælegeret,idem quæri docuit:sed vt Aulus Gellius dicatur plausibilius esse censuit. quod & Baptistæ Pio visum est, qui in Aulularíam Plauti ait miserrime falli qui Agellium hunc dici contendũt ab agello, in errorem lapsi duce Prisciano non bene lecto,aut male intellecto. Ego sane Aulum Gelliũ omnino appellitem:cum etiam in huius operis libro.xiiij.cap.ij. Gellius quidam nomine non Agellius citetur. Errorem vero quorundam qui in declamando Agellium citant, ortum puto ex ignoratione antiquæ scripturæ,qua prænomina, aut singulis,aut binis,aut ternis elementis præsignari solebant: vt A. Aulus,P.Publius.Vnde sunt tam imperiti vt Paulum Persium pronuncient, vbi docti, Publium Aulum Persium.Simile erratum adnotauit (inquit Maserius) interpres D. Augustini de ciu. dei cap.v.lib.i. vbi pro C.i.Caio aut Cæsare:Catonis nomen suppositum est.

Scitum. Scite.

ASCEN. Plutarchus. Scripsit ergo post Plutarchum,qui vixit tempore Traiani, Gellius.Quẽ scribit.Scribimus vtcunque:Conscribimus accurate:sed ea differentia neque hic neque aliubi sæpe obseruatur.Scite subtiliterque:in toto opere hoc peculiare est Gellio,vt aduerbia scite & concinne collocet. Scitum vt Vallen.& aliorũ interpretationẽ prætercam,est quod præ se fert scientiã, vt scitus puer apud Terentium,quasi arte quadam formatus,pulcher & venustus.Scitæ quæstiones Platonis, sic factæ vt sciret interrogatus quid respondeat.Scite ergo.i.ex arte quadam & scientia subtiliterque.i.non crassa(vt aiunt) Minerua,sed subtili indagine.Ratiocinatum.i.posuisse rationem.i.supputationem & calculum:discurrendo à pari numero pedum & impari mensura stadiorum,ad imparitatem pedũ Herculis & aliorum.Quo circa vt prius adnotaui,licet fortasse minus bene scriptum sit,adhuc pene sum in ea sententia, vt bene sit repositum pedes sexcẽtos, vbi in Beroaldino erat ducẽtos: licet eam lectionem etiam Crinitus sequatur, Inducor autem duabus ratiunculis,quarum altera est forma dicendi: Nam in dissimili nunquã ponimus particulam quoque,quæ valet quod etiam:sed aduersatiuam vtpote sed,vero,autem,porro. Cum ergo dicat,cætera quoque stadia in terris Græciæ ab aliis post ea instituta. pedum quidem esse numero sexcentûm.sed tamen esse aliquantulum breuiora:credam non præposuisse longum pedes ducentos. Deinde quæ est altera ratiuncula,si ducentos scripserit,opus sit,vt herculani pedes singuli tres aliorum exhibeãt: quorum symmetria monstrosum papæ hominem constitueret.Et siquis dicat,non esse contra opinionem multorum,Herculani corporis vix tertiam partem assecutos cæteros homines:nã si verum est quod Pausanias asserit,Herculem fuisse quatuor cubitis & pede longiorẽ, videtur eis Hercules multo lõgior fuisse cæteris:& ideo fictum esse quòd Atlantis vice cœlum sustinuerit.Sed hæc nihil me mouent. Nam Pausanias nihil diuersum à Solino dicit.cũ enim cubitus sit sesquipes, & quatuor cubiti sex pedes constituunt, quæ iusta est hominis mensura,Hercules vno tantum pede eã superarit,& ita septima parte longius erat Herculis quàm aliorum stadium.Quod de cœlo sustentato dicitur,fabulosum est,& alium prætendẽs sensum,vtpote quòd Astronomiæ fuerit peritus.Nõ itaque assentior Crinito.cuius in lib.xxi.cap.x.de dis.ho. hæc sunt verba,Sciendum est nomen ipsius stadii diuersum ac multiplex fuisse tum spatio inter se dissimili.præcipue autem nominatur Olympicum,Pythicum,& Italicũ.Nam pythicum quidem pedibus mil lenis finitur,Olympicum pedibus.cccc.Italicum pedibus.cxxxv.Sic enim Censorinus refert,qui de Natalitio ad Cerellium scripsit.Neque me latet,Herculis quoque stadium ab antiquis celebratum, quo ducenti pedes haberentur.quod ipsum stadii spatium Hercules suis pedibus metatus est Pisis apud Iouẽ Olympicum,de quo Plutarchus, & in Atticis Gellius meminerunt.Neque desunt etiam authores, qui tradant octauam partem milliarii ipso stadio fere contineri.Hæc & plura Crinitus.Redeo ad authorem. Numero sexcentũ.Sic fere cum numerali loquũtur per syncopen:vt sit sexentûm pro sexcẽtorũ: sed Plinius frequẽter sic distributiua forma vtitur ac si dicas sexcenum. Vt vero recẽtius adnotauit Maserius, Sexcentũ dixit Luc.xxx.ait Marcellus.Maximus argẽti sexcẽtũ ac mille reliquit.Idẽ,Quid vero est si centũ ac ducentũ possideas si milliũ. Etsi legitur apud Noniũ,Si argẽti:cũ,si,trahẽdũ sit ad secũdũ exẽplũ,vnde tractũ conspicitur.Aliquantulũ breuiora.sic & alii idonei locuti notati sint.Terẽtius in eunucho, Eius frater erat ad rem paulũ auidior.Sic legitur & illud Iuuenalis:Quantũ sublimior Atlas &c.Sed receptius authore Valla dixeris,aliquantulo breuiora.nõ dicit quãto breuiora,quocirca nõ possumus definire,sed si sexcẽtis pollicibus breuiora dixisset, dixero Herculis pedem pollice cæteris maiorem, quod vero similius est quàm vt ter tãtus dicatur.Addit Mase. Parrasius ex Heraclide asserit Herculem fuisse quatuor cubitis & pede longiorem,si mendũ liber non continet.Solinus in lib.de memor. ait,Herculis magnitudinem fuisse intra septem pedes.Alii mensuram adaugent.Secundum competẽtiam.i.symmetriam, modificatus est. idest commensus.sup.spatium pedis Herculani.alioquin redundaret secundum. Signandæ autem sunt voces,ad principium modulandaque passiua à modulor deponentali, & hic modificatus actiua à modificor,ita supra metatum,pro eo quod est mensum. Sane eleganter dicit collegit, quod vulgo diceretur intulit aut conclusit.Nam colligere est concludere ex præmissis,vt apud Horatium. Mendose colligis &c. & collectio,conclusio.Hæc pueris,quibus operam nauo.

Sexcẽtos &c. Quoque.

Herculanũ corpus

Stadiũ Pythicum, Olympicũ Italicum. Herculanum. Sexcentũ

Aliquantulũ breuiora.

Modulandus. Modificatus. Metatus. Colligo. Collectio.

AVLI GELLII NOCTIVM ATTICARVM COMMENTARIORVM

LIBER PRIMVS.

Quali proportione, quibúsque collectionibus Plutarchus ratiocinatum esse Pythagoram philosophum dixerit, de comprehendenda corporis proceritate qua fuit Hercules, cum vitam inter homines viueret. CAPVT I.

PLVTARCHVS in libro quem scribit, ὁπόση ψυχῶν καὶ σωμάτων ἀνθρώποις περὶ εὐφυΐαν καὶ ἀρετὴν διαφορὰ, scitè subtiliterq; ratiocinatum Pythagoram philosophũ dicit, in reperienda modulandáq; status longitudinisque Herculis præstantia. Nam cum fere cõstaret curriculum stadii, quod est Pisæ apud Iouem Olympium, Herculem pedibus suis metatum, idque fecisse longum pedes sexcentos: cætera quoque stadia in terris Græciæ ab aliis postea instituta, pedum quidem esse numero sexcentûm, sed tamen esse aliquantulum breuiora: facile intellexit modum spatiúmque plantæ Herculis, ratione proportionis habita, tanto fuisse quàm aliorum procerius, quãto Olympicum stadium longius esset quàm cætera. Cõprehensa autẽ mensura Herculani pedis, secundum naturalem membrorum omnium inter se competentiam modificatus est. Atque ita id collegit, quod erat consequens, tanto fuisse Herculem corpore excelsiorem quàm alios, quanto Olympicum stadium cæteris pari numero factis anteiret.

id est: Quanta sit animorũ corporũq; inter homines differentia, quoad ingeniũ virtuteq;

ASCENSIVS. Herodes Att. Hũc Ruffus Perinthius vocat Sophistam, Græcorum linguam, & regẽ orationis. Cuius pater Atticus, vt author est Philostratus, mnam quotannis viritim Atheniensibus legauit. Herodes.
Vir & Græca &c. Elegãs & peculiaris est Gellio particulæ &, in rebus paribus geminatio. Ei vrbi, scilicet Athenis, quod melius, quàm eius pro suas, si de Herode loquatur: & quàm eis, quia dubium esset ad magistros ne an ad Athenis referatur. Concesserãt, id est simul profecti fuerant: est enim Roma pro aduerbio Et.
de loco. sed relatiuum qui, modestiæ gratia, solum refert complures alios: alioqui dixisset concesseramus. Cui nomen est Cephysia: bene etiam dixeris Cui Cephysiæ nomen est: verum Strabo lib. ix. Cephesiam nominat vnam ex duodecim vrbibus quas Cecrops rex per populum habitandas digessit: forte aliam putes: quia villam non vrbem aut ciuitatem vocat. Villa enim est etiam vnica in agro aut pago domus. Lucorum, id est syluarum incæduarum, sic dictorum, vt Datho placet, quòd lucis aut luminis diuini participes essent. certe superstitio prisca eos dæmonibus ac manibus consecrauit: ideóque Iudæis vetiti erant. Ambulacris, ea forma fit à supino, qua à lauatu lauacrum, à simulatu simulacrum, quocirca penultima in omnibus longa est, sicut & in inuolucrũ ab inuolutu. Sane Volaterranus in Phil. Peribolon vocat quo locus cingitur. Posticum, id est posteriorem partem & exitum. Horat. Atria seruantem postico falle clientem. AEdium, domus non sacræ: nam sacra singulariter dicitur. Aquis vndique canoris: vnde, Nec percussa iuuant fluctu tam littora, nec quæ Saxosas inter decurrunt flumina valles: Virg. in Buco. & Ouid. Aspice labẽtes iucundo murmure riuos. nimis tamen poetice aquæ dicerentur canoræ, vnde mallem distinguere vt sit canoris atque auibus. Adolescens: Politiano placet adulescens. Loquacior impendio, id est quàm satis esset. Impendium enim est operæprecium negocio impendendum. Insubide, præcipitanter, priusquam subiret aut in mentẽ veniret quid diceret. Eámque lectionem esse veriorem quàm si insolite legas, arguit nõ oscitanter Mase. noster ex illis Macrobij verbis lib. vij. Satur. Ipsam vero vidẽdi naturam non insubide introspexit Epicurus. Non insubide, id est non dormitanter sed vigilanter. Et hic contra insubide. i. multũ subanter & negligenter: siue à subando dicatur, eo quòd sues dum subant. i. ineunt, tam lente agant vt dormitare videatur. quocirca apte Maro, Tardi venere subulci: quia custodes agmini sunt in gressu similes: & hoc modo in particula augeret: aut vt dixi insubide, id est non subeundo nec præmeditando, vt neget: sed quia sic potius insubito dixerit, malim à subando deducere. Præ se vno, id est in comparatione sui. Gentemque omnem togatam, id est Romanam. Virg. in. j. Romanos rerum dominos gentemque togatam. Nam toga est Romanorum propria, vt pallium Græcorum: ideóque fabulæ latino argumento togatæ dicũtur: Græcanico palliatæ. Griphos capturas. Rem ethicam. i. moralem. Vitiorum fraudes: quia vt dicit Flaccus, decipimur specie recti: & ita fraude vitiorum dulciter irrepentium. Sunt tamen qui reposuerunt sordes. Nulli vlli, videtur redundare vlli: sed maiorem vim habent particulæ vllus & vsquam, quàm solæ negationes, licet non minus dicere videantur, vt AEneid. ij. Nunquam omnes hodie moriemur inulti. Sat videri potuit, nunquam: adiecit tamen hodie: sicut hic Nulli. Est tamen & euidens ratio cur adijciatur. Nam dicendo nulli vlli excludit omnes qui modo vni & non plures sint. Cum flaret, id est efflaret, glorias, id est iactantiolas inanes. Pertæduissent. Insusitate vtitur hoc verbo personaliter. Sed & rara est ea vox impersonali: pertæsum est frequens. vt AEneid. iiij. Si non pertæsum thalami tædæque fuisset. Theoremata sunt speculationes. Isagogæ introductiones. Incessuit ab incesso. tamen sunt qui incessi formandum putent, nec desunt qui incessiui. Construitur autem cum dandi & accusandi casibus, vt incessit mihi libido; & incessit me ille verbis acribus aut pugnis. Fuligine, obfuscatione, qualem vim habe-

[Marginal notes: Herodes. — Et. — Cephysia. — Villa. — Luci. — Ambulacrum. — Lauacrum — AEdes. — Adolescẽs — Insubide. — Togati, & Togatæ fabulæ. — Nulli vlli. — Flare glorias. — Pertæduissent. — Incesso.]

ret & fuligo ex fumario derasa,& in oculos obiecta.Festiuiter,festiuum aduerbium,quia præcessit seuere: vt sciamus vitandam similium syllabarum incidentiam . In huiusmodi philosophos cecinit sic Archithrenius Gallus , At sunt philosophi qui nudum nomen & vmbram Numinis arripiunt : qui vix libasse Mineruam exhausisse putant : tenuisque scientia pectus Erigit . & properata pudent insignia musas . Raptáque temporibus nubit.sed adultera,laurus.Vbi pudent ponitur personaliter : vt apud eundem pœnitet cum dicit,& emptorem mox pœnitet empta voluptas:& in hoc cap.pertæduissent:sed aliud est regimen. Ad Ciconas &c.adagialiter dictum.i.de malo in peius.Sunt enim Cicones populi in Thracia ferocissimi. Sic qui è vulgo ad Stoicos se recipiunt simulate,peiores fiunt.Vitij participant,id est partem capiunt.Sane quod interpres in accusandi casu vertit,Diogenem in Moralibus,Chrysippumve,aut Cleãthem:litera in nominandi posuit,sed parui refert.

Ab Herode Attico Consulari viro tempestiue deprompta in quendam iactabundum & gloriosum adolescentem,specie tantum philosophiæ sectatorem,verba Epicteti Stoici, quibus festiuiter à vero Stoico seiunxit vulgus loquacium nebulonũ, qui se Stoicos nuncuparent.

CAPVT II.

HERODES Atticus vir & Græca facundia,& Consulari honore præditus arcessebat sæpe nos,cum apud magistros Athenis essemus, in villas ei vrbi proximas , me & clarissimum virum Seruilianum , complurésque alios nostrates,qui Roma in Græciam ad capiendum ingenii cultum cõcesserant. Atque ibi tunc cum essemus apud eum in villa , cui nomen est Cephysia,& æstu anni,& sidere autumni flagrantissimo,propulsabamus caloris incommoda lucorum vmbra ingentium,longis ambulacris & mollibus ædium posticum refrigerantibus lauacris nitidis,& abundis,& collucentibus,totiusq; villæ venustate aquis vndique canoris atque auibus personante.Erat ibidem nobiscum simul adolescens, philosophiæ sectator:disciplinæ,vt ipse dicebat,Stoicæ:sed loquacior impendio & próptior. Is plerunque in conuiuio sermonibus,qui post epulas haberi solét, multa atque immodica de philosophiæ doctrinis intempestiue atque insubide disserebat:præque se vno cæteros omneis linguæ Atticæ principes,gentémque omnem togatam,totúmque nomen Latinum,rudes esse & agrestes prædicabat. Atq; interea vocabulis haud facile cognitis, syllogismorum captionúmque dialecticarum laquei strepebat , κυρτῶν τὰς σκαζούσας θεωρίας, aliósque id genus griphos neminem posse dicens nisi se dissoluere . Rem vero ethicam,naturámque humani ingenii,virtutumque origines,officiáque earum confinia,aut contra morborum vitiorumque fraudes,animorumque labes ac pestilétias asseuerabat nulli esse vlli magis ea omnia explorata,comperta, meditatáque.Cruciatibus autem doloribusque corporis,& periculis mortẽ minitãtibus, habitũ statúmq; vitæ beatæ,quam se esse adeptum putabat,neque lædi neque minui existimabat.ac ne oris quoque & vultus serenitatẽ Stoici hominis,vnquam vlla posse ægritudine obnubilari.Has ille inanes cum flaret glorias,iámque omnes finem cuperent,verbisq; eius defatigati pertæduissent: tum Herodes græca,cuius plurimus ei mos fuit,oratione vtens, Permitte(inquit)philosophorum amplissime,quoniam respõdere nos tibi quos idiotas vocas, non quimus,recitari ex libro,quid de huiuscemodi magniloquentia vestra senserit dixeritque Epictetus Stoicorum maximus:iussitque proferri Dissertationum Epicteti digestarum ab Arriano primum librum,in quo ille venerandus senex iuuenes,qui se Stoicos appellabant,neque frugi,neque operæ probæ,sed theorematibus tantum nugalibus , & puerilium isagogarũ commentationibus dilatrantes,obiurgatione iusta incessuit . Lecta igitur sunt ex libro, qui prolatus est,ea quæ addidit. Quibus verbis Epictetus seuere simul ac festiuiter seiunxit atque diuisit à vero atque syncero Stoico,qui esset proculdubio ἀκώλυτος, ἀνεκβίαστος, ἀπαρεμπόδιστος , ἐλεύθερος , εὔπορος, εὐδαίμων, vulgus aliud nebulonum hominum,qui se Stoicos nuncuparent,vltróque verborum & argutiarum fuligine ob oculos audientium iacta,sanctissimæ disciplinæ nomen ementirentur.

Laqueorũ speculationes claudicantes.

Epicteti dissertatio

Incessuit.

εἰπέ μοι, περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν ἀκούεις;

Ἰλιόθεν με φέρων ἄνεμος Κικόνεσσι πέλασσεν. τῶν ὄντων τὰ μέν ἐστιν ἀγαθά. τὰ δέ, κακά. τὰ δέ, ἀδιάφορα. ἀγαθὰ μὲν οὖν, ἀρεταί. κακὰ δέ, τὰ μετέχοντα κακίας. ἀδιάφορα δέ, τὰ μεταξὺ τούτων, πλοῦτος, συζυγία, ζωή, θάνατος, ἡδονή, πόνος. πόθεν οἶδας; οὕτως Ἑλλάνικος λέγει ἐν τοῖς Αἰγυπτιακοῖς. τί γὰρ διαφέρει τοῦτο εἰπεῖν, ἢ ὅτι Διογένης ἐν τῇ ἠθικῇ, ἢ Χρύσιππος, ἢ Κλεάνθης, βεβασάνικας οὖν αὐτῶν καὶ δόγμα σαυτοῦ πεποίησαι. δείκνυε πῶς εἴωθας ἐν πλοίῳ χειμάζεσθαι, μέμνησαι ταύτης τῆς διαιρέσεως ὅταν ψοφήσῃ τὸ ἱστίον; καὶ ἀνακραυγήσῃ, ἐάν σοι τις οὕτω πως παραστὰς εἴπῃ, λέγε μοι σὺ ἃ πρώην ἔλε-

γες. μὴ κακία ἐστὶ τὸ ναυαγῆσαι, μὴ τῆς κακίας μετέχον; οὐκ ἄρα ξύλον ἐνσείσεις; αὐτὸ τί ἡμῖν, καὶ σοι ἄνθρωπε; ἀπολλύμεθα, καὶ σὺ ἐλθὼν παίζεις. ἐὰν δέ σε ὁ καῖσαρ μεταπέμψηται κατηγορούμενον;

ASCEN. Quonam vſque.i.vſque ad quem modum. Contra legem,contráque ius.Crinitus in fine x.de ho.diſ.de iudicio ferendo inter duos dicit Biantem Prieneum dicere ſolitum , malle ſe inter inimicos quàm inter amicos de re aliqua ſtatuere. Nam ex amicis,inquit,alterum prorſus immicum habueris: ex inimicis vero alterum amicum.Quocirca melius ac potius cenſeri debet amicum ſibi adipiſci in proferendo iudicio,aut à rebus iudicandis penitus abſtinere,niſi ex profeſſo veritas ipſa fidei patrocinetur: cuius cauſa(vt Academici aſſerunt)nullæ quidem contentiones aut inimicitiæ re fugiendæ ſunt. Satis inquit ſcite.quia verbum,inquit,non pertinet ad nomen Chilo:lego pro inquit ſcite,inquiſite:quia mox ponetur in hoc capite vox inquiſitus.Quia autem poſt Græcum ſubdit:Ea verba ſignificant:manifeſtũ eſt(vt iam dixi)Gellium non conſueuiſſe Græca interpretari,cum id alibi non dicat: ideóque ne bis fere idem dicatur,aliorum interpretationem ad marginem traduximus.Strictim.i.compendioſe:à ſtringẽdis rebus ſumpta metaphora : ſtringere enim eſt integumenta & ſuperflua demere.vnde ſtringit gladium qui è vagina eum eximit:ſtringit virgam qui frondem aut corticem demit.Curſim.i.in tranſcurſu quaſi aliud agendo, vt canis viſo Crocodilo Nilum bibit.Ea verba Ciceronis,ſunt in Lælio ſeu de amicitia eius. Vt cum,id eſt quando.tum.i.tunc.Non enim ponuntur hic cum & tum ſub elegantia Vallen.Quatenus.i.quouſque.Refert.i.ad rem facit. Quaque fini.i.& ad quam vſque finem . Nam finis etiam fœmi.eſt:vt AEneid.ij.Hæc finis Priami.ſed ſignandus ablatiuus in i:eo quòd videtur aduerbiaſcere.Nemo ignorauit,priuſquã Theognis naſceretur.Prouerbij vim hoc habet de re manifeſtaria,quæ tamen ab aliquo vt ab eo primum excogitata proponitur.Sunt qui legant ignorat,ſed cum ſequenti melius quadrat ignorauit.Theognis fuit author grauiſſimus & antiquiſſimus:cuius ſentẽtia,Iuſtitia virtutes omnes complectitur:cuius meminit Cæl. ca.xlvj.lib.xij.dicens,Nam & Theognis iuſtitiam continere virtutes omnes comprobat . meminit & cap. ix.lib.iiij.& Eraſm.cclxxvj. prouerb.primæ Chil. Hunc dicunt Elegias ſcriptitaſſe . Alijs legitur Theognes,vt à Volaterrano lib.ix.qui hypothecas ſcripſit quæ adhuc extant, & Megarenſis fuit.de qua re vide Moſellanũ.Dixerit:rectius diſſeruit.Sed his quoque:lego,Sed is quoque.Singillatim.i.per ſingula.AEſtimat.lego exiſtimat.i.iudicat.Summatim.i.per ſummam . Periclis dictum vt prouerbiale recitat Eraſm. prouerb.cxij.tertiæ Chil.Eſt autem aureum:ad deos vſque inſeruiẽdum amicis,id eſt ſic ne lædatur deus, vt quid fiat contra præcepta eius. Quod & Cicero(quãuis eum eleuet Gellius)ſatis dixiſſe videtur,præcipiens,ne quid ab amico inhoneſtum petatur:aut amicitiæ cauſa fiat. Omnia enim honeſta quæ vere honeſta,ſunt præceptis diuinis conſona.Alij legunt βωμῶν , id eſt vſque ad aras.i.iuſiurandum.Et quaſi lacuna.i.vorago ſordium capax:in quam qui inciderit difficulter emergit:cui voci conſonat ſolidatur. Maſerius tamen noſter legit laſciuia famæ,eámque lectionem authoritate Quintiani defendit in tertium Argonauticorũ ad principiũ fo.xlvij.Mihi lacuna placet.ſit lectori libera per me electio. Quanquã idẽ Maſerius hoc dictum noſtrum ſic retractauit.Lego ſane laſciuia,legámque,nec Quintiani fulcior authoritate in Valerium Flaccum,quando non extet Quintiani interpretatio(quam viderim)licet pro amoris indicio multa mihi oſtenderit opuſcula,inter quæ ſplendidas in Gellianas noctes lucernas , quas eminus vt campum virentem ſpectare potui,non quæ latebant intus.fateor tamen in Flaccum id prolixius à Quintiano tractari:quod indignũ puto à docto prætermitti. Nec minus cohærere crediderim laſciuiam cum ſolidari,quàm laciniã vel lacunã,quãdo inſolido ſit animo qui laſciuit,vt plerũque eſt videre,ſi nihil aliud occurrit.Verum (vt multis diſſero in Valerium Flaccum)facit immenſa amici vtilitas , quæ laſciuiẽtis eſt animi cauſa,vt nulla videatur indigna laſciuia,& ſiqua eſt ſolidetur(vt ita loquar)cõſtẽtque ſibi.Hæc ad me dedit Maſerius:neque hæc modo,ſed fere omnia quæ ſuperiori editioni adiecimus. De officioſo autẽ mẽdacio vitando adnotauit idẽ Maſerius illud Plato.iij.de repub.lib.Veritas quoque(inquit)ſectãda magnopere eſt.Si enim vt paulo ante rectiſſime dicebamus,deo indecẽs & inutile mendacium eſt.hominibúſque vtile,vt vtãtur eo quaſi condimento atque medicamine:nulli dubium eſt quin huiuſmodi ſententia medicis danda ſit:& ab imprudẽtibus remouẽda.De qua ſententia quid Origenes ſenſerit,quidque diuus Hieronymus ſi vis agnoſcere,lege D.Hieronymi.xxxviij.cap.tertij tractatus contra Ruffinum. Neque nominibus moueri nos oportet.Cicero certe in.iij. Offic.multũ & non ab re mouetur,qui exiſtimat honeſtum & vtile non ſeparanda , vſqueadeo vt vtile ab honeſto metiendum cenſeat: atque eatenus quidlibet eſſe vtile quatenus honeſtum:quæ ſi ſegreges,vt vtilia cenſeas quæcunque vtilia videntur etiam ſi honeſta nõ ſint:tunc in minimo gradu honeſtum,in ſummo vtile ſuperet.Hac,inquit,fini ames, tanquam forte fortuna oſurus.Hoc dictum in Lælio Cicero vehemẽter improbat.Diuus tamen Auguſtinus in Epiſtola quadã ad D.Hieronymum ait,Quis denique amicus non formidetur quaſi futurus inimicus,ſi potuit inter Hieronymum & Ruffinum hoc quod nos plangimus exoriri? O miſera & miſeranda conditio.o infida in voluntatibus amicorum ſcientia præſentium.vbi nulla eſt præſcientia futurorum.

Iudicandũ inter inimicos.

Veritatis ergô inimicitiæ ſuſcipiendæ.

Strictim.

Fini.

Prouerb.

Ignouit.

Theognis

Veritas tenenda.

Quòd Chilo Lacedæmonius conſilium anceps pro ſalute amici cepit:quódque eſt circũſpecte & anxie conſiderandũ,an pro vtilitatibus amicorũ delinquẽdũ aliquãdo ſit:notatáq; inibi & relata quæ Theophraſtus & M.Cicero ſuper ea re ſcripſerũt. CAP. III.

CHILO præſtabilis homo ſapientiæ, Quonam vſque debuerit contra legem contráq; ius pro amico progredi,dubitauit.eaq; res in fine quoq; vitæ ipſo animum eius anxit.Et alii deinceps multi philoſophiæ ſectatores, vt in libris eorum ſcriptum eſt,ſatis inquiſite, ſatisque ſolicite quæſierũt, vt verbis quæ ſcripta ſunt ipſis vtar, εἰ δεῖ βοηθεῖν τῷ φίλῳ παρὰ τὸ δίκαιον,

ἢ μέχρι πόσου καὶ ποῖα. Ea verba significant quæsisse eos, an contra ius, contrâve morem, faciendum pro amico sit, & in qualibus, & in quibus causis, & quênam adusque modũ.

Theophr. lib. de Amicitia.

Super hac quæstione tum ab aliis, sicuti dixi, multis, tum vel diligentissime à Theophrasto disputatur, viro in philosophia peripatetica modestissimo, doctissimóque. Eáque disputatio scripta est, si recte meminimus, in libro eius de amicitia primo. Eũ librum M. Cicero videtur legisse, cum ipse quoque librum de Amicitia componeret, & cætera quidem quæ sumenda à Theophrasto existimauit, vt ingenium facundiáque eius fuit, sumpsit, & transposuit commodissime aptissiméque. Hunc autem locum, de quo satis quæsitum esse dixi, omnium rerum aliarum difficillimum, strictim atque cursim trãsgressus est. neque ea, quæ à Theophrasto pensiculate atq; enucleate scripta sunt, executus est: sed anxietate illa, & quasi morositate disputationis prætermissa, genus ipsum rei tãtum paucis verbis notauit. Ea verba Ciceronis, si recensere quis vellet, apposui,

Cic. de Amicitia.

HIS igitur finibus vtendum esse arbitror, vt cum emendati mores amicorum sunt, tum sit inter eos omnium rerum, consiliorum, voluntatum, sine vlla exceptione communitas: vt etiam si qua fortuna acciderit, vt minus iustæ voluntates amicorum adiuuandæ sint, in quibus eorum aut caput agatur, aut fama, declinãdum sit de via: modo ne summa turpitudo sequatur. Est enim quatenus amicitiæ venia dari possit. Cum agetur, inquit, aut caput amici, aut fama, declinandum est de via, vt etiam nonnunquam voluntatem illius adiuuemus. Sed cuiusmodi declinatio ista esse debeat, qualisque ad adiuuandum digressio, & in quanta voluntatis amici iniquitate, non dicit. Quid autem refert scire me in huiusmodi periculis amicorum, si non magna me turpitudo secutura est, de via recta esse declinãdum: nisi id quoque me docuerit, quam putet magnam turpitudinem: & cum decessero de via, quousque digredi debeam? Est enim, inquit, quatenus dari amicitiæ venia possit. Hoc immo ipsum est, quod maxime discendum est, quódque ab iis, qui doceãt, minime dicitur, quatenus, quáq; fini dari amicitiæ venia debeat. CHILO ille sapiẽs, de quo paulo ante dixi, conseruandi amici causa, de via declinauit. Sed video quousq; progressus est. Falsum enim pro amici salute consilium dedit. Idipsum tamen in fine quoque vitæ, an iure posset reprehendi culparique, dubitauit. Contra patriã, inquit Cicero, arma pro amico sumenda non sunt. Hoc profecto nemo ignorauit, & priusquam Theognis (vt Lucilius ait) nasceretur.

Priusquã Theognis nasceretur

Sed id quæro, id desidero, cum pro amico contra ius, & contra quàm licet, salua tamen libertate atque pace, faciendum est, & cum de via (sicut ipse ait) declinãdum est: quid, & quãtũ, & in quali causa, & quonamusq; id fieri debuit. PERICLES ille Atheniensis, egregius vir ingenio, bonisque omnibus disciplinis ornatus, in vna quidẽ specie, sed planius tamen, quid existimaret, professus est. Nam cum amicus eum rogaret, vt pro re causáque eius falsum deieraret: his ad eum verbis vsus est, Δεῖ μὲν συμπράττειν τοῖς φίλοις, ἀλλὰ μέχρι *θεῶν.

Deierare.
*βωμῶν
Quatenus amicis obsequendũ.

Theophrastus in eo, quem dixi libro, inquisitius quidem super hac re ipsa & exactius pressiúsque quàm Cicero disseruit. Sed is quoque in docendo, nó de vnoquoque facto singillatim existimat, neque certis exẽplorum documentis, sed generibus rerum summatim vniuersimque vtitur, ad hunc ferme modum: Parua, inquit, & tenuis vel turpitudo vel infamia subeunda est, si ea re magna vtilitas amico quæri potest. rependitur quippe & compensatur leue damnum delibatæ honestatis maiore alia grauioreque in adiuuando amico honestate: minimaque illa labes, & quasi lasciuia famæ imminentis, partarum amico vtilitatum ratione solidatur. Neq; nominibus, inquit, moueri nos oportet, quòd paria genere ipso non sunt, honestas meæ famæ, & rei amici vtilitas. Ponderibus hæc enim, potestatibusque præsentibus, non vocabulorum appellationibus, neque dignitatibus gentium diidicanda sunt. Nam cum in rebus aut paribus, aut non longe secus, vtilitas amici & honestas nostra consistit, honestas proculdubio præponderat. cum vero amici vtilitas nimio est amplior, honestatis autem nostræ in re non graui leuis iactura est: tunc quod vtile amico est, id primum illo, quod honestum nobis est, fit plenius. sicuti magnum pondus æris, parua lamina auri fit preciosius. Verba adeo ipsa Theophrasti super ea re adscripsi, οὐκ οἶδ' εἴπου τοῦτο τῷ γένει τιμιώτερον ἤδη, καὶ ὁτιοῦν ἂν ᾖ μέρος τούτου πρὸς τὸ τηλίκον θατέρου συγκρινόμενον αἱρετὸν ἔσται. λέγω δ' οἷον, οὐ καὶ χρυσίον τιμιώτερον χαλκοῦ, καὶ τηλικὸν τοῦ χρυσίου πρὸς τὸ τηλικὸν χαλκοῦ μέγεθος ἀντιπαραβαλλόμενον πλέον δόξει. ἀλλὰ ποιήσει τινὰ ῥοπὴν καὶ τὸ πλῆθος καὶ τὸ μέγεθος. Phauorinus quoque philosophus huiuscemodi indulgentiam gratiæ, tempestiuius laxato paulum, permissóque subtili iustitiæ examine, his verbis definiuit, Ἡ καλου-

μὲν ἡ χάρις παρὰ τοῖς ἀνθρώποις, τούτου δ᾽ ἐστὶν ὕφεσις ἀκριβείας ἐν δέοντι. Post deinde idem Theophrast.ad hanc ferme sententiam disseruit.Has tamen,inquit,& paruitates rerum,& magnitudines,atque has omneis officiorũ æstimationes,alia nonnunquam momenta extrinsecus,atq; aliæ quasi appendices personarũ,& causarũ,& temporum,& circunstantiæ ipsius necessitates,quas includere in præcepta difficile est,moderãtur & regunt, & quasi gubernant,& nũc ratas efficiunt,nunc irritas.Hæc talia quæ Theophrastus satis caute,& solicite,& religiose,causa differendi magis disputandiq; diligentia , quàm cum decernẽdi sentẽtia atq; fiducia disseruit:quoniam profecto causas scientiæ,corporum varietates,dissertationũq; & differentiarũ ignorantes,directum atq; perpetuum,distinctúmq; in rebus singulis præceptum,quod ego in prima tractatus istius parte desiderare dixeram,non capiunt.Eius autem Chilonis,à quo disputatiunculæ huius initiũ fecimus,cum alia quædam sunt monita vtilia atque prudẽtia,tum id maxime exploratæ vtilitatis est, ꝙ duas ferocissimas affectiones amoris atque odii,intra modũ tantum coercuit.Hac,inquit,fini ames,tanquam forte fortuna osurus:hac itidem tenus oderis, tanq̃ fortasse post amaturus.Super hoc eodem Chilone Plutarchus philosophus in libro περὶ ψυχῆς verbis ita scripsit, Χείλων ὁ παλαιὸς ἀκούσας τινὸς λέγοντος μηδένα ἔχειν ἐχθρὸν, ἠρώτησεν εἰ καὶ μηδένα φίλον ἔχει, νομίζων ἐξ ἀνάγκης ἐπακολουθεῖν καὶ συνεπάγεσθαι φιλίαις καὶ ἀπεχθείας.

Dissertationes.

Bianti in Lælio Cicero hanc sentẽtiam ascripsit.

ASCEN. Quàm teuuiter,id est subtiliter & ad minimi vsque discussionem.non tenuiter.i.modice. Rhetor est qui oratoriam docet.Orator qui exercet in veris actionibus . Vtiliore ac delectabili,euphoniæ causa pro vtili dicit vtiliore:quia diuersos alioqui gradus non coniungeret.Elegantiarum cura. Non semper igitur damnabiles elegantiæ.Omnia antiquiora.i.aliquatenus antiqua.Ad amussim.i.ad seuerum examen. Videntúrque duæ particulæ , Examussim vna:nisi falsò,pro ex amussi legatur. Enthymemate.Enthymema commentũ vocant & cõmentationem syllogismumve rhetoricum , aut potius syllogismi partẽ ait Quintilianus.Nam nõ tot partibus clauditur quot syllogismus:vt si dicatur,sol hic lucet, ergo hic dies est:animal currit,ergo mouetur &c.Ciceronis pro Plancio sententia etiam in tertio Offic.habetur.

Quàm tenuiter curioséque explorauerit Antonius Iulianus in oratione M.Tullii verbi ab eo commutati argutiam.

CAPVT IIII.

ANTONIVS Iulianus Rhetor perquam fuit honesti atq; amœni ingenii,doctrina quoq; ista vtiliore ac delectabili, veterumq; elegantiarũ cura & memoria multa fuit. Ad hæc scripta omnia antiquiora tã curiose spectabat,aut virtutes pẽsitabat,aut vitia rimabatur,vt iudicium factũ esse ad amussim diceres.Is Iulianus super eo enthymemate,quod est in oratione M.Tullii,quam pro Cn.Plãco dixit,ita existimauit.Sed verba prius de quibus iudicium ab eo factum est,ipsa ponam,Quanq̃ dissimilis est pecuniæ debitio & gratiæ. nã qui pecuniam dissoluit,statim non habet id quod reddidit:qui autem debet,æs retinet alienũ. Gratiam autem & qui refert,habet:& qui habet,in eo ipso quòd habet,refert. Neque ego nunc Planco desinam debere,si hoc soluero : nec minus ei reddere voluntate ipsa,si hoc molestiæ non accidisset . Crispum sane(inquit) agmen orationis, rotundũq;,ac modulo ipso numerorum venustum:sed,quod cum venia legendum sit,verbi paulum immutati, vt sententiæ fides salua esset.nanque debitione gratiæ & pecuniæ collata, verbũ vtrobiq; seruari posset.Ita enim recte opposita inter sese gratiæ pecuniæque debitio videbitur,si & pecunia quidem deberi dicatur,& gratia . Sed quid eueniat in pecunia debita,solutáve: quid contra in gratia debita redditáve,debitionis verbo vtrinque seruato,disseratur.Cicero autem(inquit)cum gratiæ pecuniæque debitionem dissimilem esse dixisset,eiúsq; sententiæ rationem redderet,verbũ debet in pecunia ponit,in gratia habet subiicit,pro debet.Ita enim dicit,Gratiam autẽ & qui refert,habet: & qui habet,in eo ipso quòd habet, refert . Sed id verbum habet , cum proposita comparatione non satis conuenit . debitio enim gratiæ,non habitio,cum pecunia confertur . Atque ideo consequens quidem fuerat sic dicere,& qui debet,in eo ipso quòd debet,refert . quod absurdum & nimis coactũ foret,si nondum redditam gratiã,eo ipso redditam diceret,quia debetur . Immutauit ergo,inquit,& subdidit verbum ei verbo,quod omiserat,finitimum:vt videatur & sensum debitionis collatæ non reliquisse , & concinnitatem sententiæ retinuisse. Ad hunc modum Iulianus enodabat diiudicabãtque veterum scriptorum sententias, quas apud eum adolescentes lectitabant.

Anto.Iulianus.

Elegantiarum.

Gratiã habẽs refert.

ASCEN. Demosthenē traditū sup.est,alij legunt tradūt,vtrūque stare potest, sed quod alij habēt, probro datū:non placet. Nam ad Græca χλανὶς ὸ χιτωνίσκοι respicit: ideóque aut data in neutro,aut dati in masculino legendū est. Hoc caput Crinitus cap.ix.lib.vj.suppresso authore sibi vendicat. Vt vero Mas.superadnotauit,Demosthenes dictus Machæropæus,ab inuidis batalus & argas, voce primū aspera ab histrione Satyro pulchre emendata formatáque,intelligens quantum gratiæ apta pronunciatio afferret locutioni. Quotidie cuniculū ingressus,gestū motúque corporis fingebat, & vocē exercebat:& abrasa parte capitis se treis aut saltē duos menses domi continebat,quo sibi exeundi facultatē præriperet:plus labore & exercitatione valens,quàm vel natura vel ingenio.proptereáque ex tempore minus freqūeter locutus est.quare Pytheas dicebat Demosthenis enthymema olere lucernā.oēs tamen præter Demadē superasse dicitur Theophrasti iudicio:qui Demosthenē asseruit Athenis dignū: Demadem supra Athenas. Hortensij autē meminit Cornelius Tac.de Pomponio Attico sic scribens, Vtebatur autē intime Q.Hortensio, qui his tēporibus principatū eloquētiæ tenebat, vt intelligi non posset vter eū plus diligeret Cicero an Hortensius:& id quod erat difficillimum efficiebat,vt inter quos tantæ laudis esset æmulatio, nulla intercesset obtrectatio,essētque virorū talium copula. Et hic vt vult Gellius solœcismū (vt cum Quintiliano agam)manibus faciebat,nec sine vitio manus mouebat. Hortensij in habitu plus decoro mollis memi nit & Macrob.in.iij.Satur.hæc Mas.qui addidit & hoc. Dionysiæ saltatriculæ ita meminit Cæl.in.vj. Erat Callipides tragœdiarū histrio non mediocriter quidem,velut etiā saltatricula Dionysia inter homines clarus,verū ipse ea re se plurimū mirabatur. De nimio cultu viris vitando dicit Phædra Ouidiana, Sint procul à nobis iuuenes vt fœmina cōpti. Fine coli modico forma virilis amat. Quod autem dicitur omnibus ferme oratoribus ætatis suæ,nisi Marco Tullio clarior,intelligendum est cæteris,alioqui seipso clarior diceretur:sicut illud Papinij,Et melior sis quæso deis,videlicet cæteris.

(Margin: Demosthenes. Hortēsius. Dionysia.)

Quòd Demosthenes rhetor cultu corporis,atque vestitu probris obnoxio, infamique munditia fuit.quodq; item Hortensius orator ob eiusmodi munditias, gestúmq; in agēdo histrionicum,Dionysiæ saltatriculæ cognomento compellatus est. CAP. V.

(Margin: Demosthenis cultus. Hortēsius. L.Torquatus. Dionysia.)

DEMOSTHENEM tradūt,& vestitu, cæteróq; cultu corporis nitido, venustóq;,nimisq; accurato fuisse. hinc etiam κόμψη illa χλανὶς ὴ μαλακοὶ χιτωνίσκοι ab æmulis aduersariisq; probro dati. hinc etiā turpib. indignisq; in eū verbis non temperatum,cum parum vir ore quoque polluto diceretur. Ad eundē modum HORTENSIVS omnibus ferme oratoribus ætatis suæ,nisi Marco Tullio,clarior:qui quum multa munditia,& circūspectè compositéq; indutus & amictus esset,manúsque eius inter agendum forent argutæ admodum & gestuosæ,maledictis appellationibúsq; probrosis iactatus est:multáq; in eū quasi in histrionem in ipsis causis atq; iudiciis dicta sunt. Sed cum L. Torquatus subagresti homo ingenio & infestiuo,grauius acerbiúsque apud concilium iudicum, cum de causa Syllæ quæreretur,non iam histrionem eum esse diceret sed gesticulariā, Dionysiámq; eū notissimæ saltatriculæ nomine appellaret:tum voce molli atque demissa Hortensius, Dionysia,inquit,Dionysia malo equidē esse,quàm quod tu Torquate ἄμουσος,ἀγροδίαιτος, ἀπρόσιτος.

(Margin: Careo. Vxor quid)

ASCEN. In censura.i.cum esset censor. Careremus,vacaremus:nam caremus proprie re chara quā habere vellemus,vt visum est Vallæ dicenti lib.v. Carere proprie est vacare quibus indiges,quod significauit Cicero cum inquit,Satiatis vero & expletis iucundius est carere quàm frui: quanquam non caret is qui non desiderat. Improprie tamen dicimus cares culpa,cares periculo, cares damno. Hæc ille. In quæ Mas. Non minus erudite posuit Gellius carere quàm ipse Cicero ad Petum, Nihil esse sapientis præstare quàm culpam,qua videor mihi dupliciter carere. Idem ad Tyronem, Is etsi mihi nunciauit te plane febri carere,& belle habere &c. Idem alibi,Et si hoc vitium, ego me hoc carere non confiteor. Et Quintilian. ipse quem tanti facit Valla, in secundo ait ex Cæsaris dicto sumptum: Carendum non solum crimine turpitudinis,verumetiam suspitione. Idem,Et dum satis putant vitio carere. Et in.vij.magisque vitijs carere. Idē in eodē,Nam prima virtus est vitio carere. Quare nec Metelli,nec Gellij locutionē improbandā putarim. Mas. Vt nec cū illis satis cōmode:quia malū est mulier,non est domus sine malo,vt de origine Satyrarum scriptū est in Persium. Addit Mas. Philæmon dicere solebat vxorem esse malū necessarium: Theodectes vero quid senectuti simile. vtrūque siquidem cupimus adsequi,tandem assecuti dolemus atque angimur. Simonides autem ait esse viri naufragium,domus tempestatem,quietis impedimentum, vitæ captiuitatem,pœnam quotidianam,pugnam sumptuosam,beluam cōtubernalem, canem ornatam. Hesiodus præterea in Theogonia docet fœminarum genus pessimum à Pandora fluxisse, & felicem coniugij expertem:Nec tamen hi persuadere potuerunt quin ad nuptias conuolarint plerique quas commendāt non pauci. Nam & sapientissimus Aristoteles docuit ducendam esse vxorem non solum liberorum, sed & victus gratia & auxilij. Athenæúsque ait mulierem genus esse sociale, nec domum esse perfectā sine ea. Et Theognes subscribit nihil dulcius muliere proba. Addit Athenæus Lacedæmonios treis leges de cōiugio tulisse:primam,qua eum damnabant qui vxorem non duceret:Secundam,qui sero. Tertiam,qui nō bene. Constat etiam Censores quosdam Romanos ad fiscum, & in ærarium retulisse eos,qui ad senectutem cælibes peruenerant:quam tamen censuram aut legem situ & squallore longóque tempore antiquatā reno-

uauit Augustus. Hæc & plura Volaterranus. De ijs quæ matrimonium dissuadent, perpetuámque commendant virginitatem habes ex Diuo Hieronymo contra Iouinianum libros plusculos. Et idẽ ad Eustochiũ Epistola.xvj.mulierũ molestias enumerat. Neque adhortari magis: sup. videbatur sic dicendo: nam si ad verbum oportuisse reduxeris, non bona fuerit sententia: & quia præmissum est verbum videbatur, facile subauditur. Non adhibere debent. Horatius in Epistolis, Det vitam, det opes, æquum mi animũ ipse parabo. Vterque errat: quia neque volentis neque currentis, sed miserentis est dei. sine gratia enim virtutem gratam, aut animum æquum habere non possumus. Sed forte intellexit Metellus, deum non adhibere inuitis & repugnantibus. Et Horatius se paraturum quantum in se esset. Neque magnopere tamen obsistã, vtrunque cum ethnici fuerint, errare potuisse: sed ne in errorem illiciant præmonui. Virginitas.

Verba ex oratione Metelli Numidici, quam dixit ad populum in Censura, cum eum ad vxores ducendas adhortaretur: eáque oratio quam ob causam reprehensa, & quo contra modo defensa sit. CAPVT VI.

MVLTIS & eruditis viris audientibus legebatur oratio Metelli Numidici, grauis ac diserti viri, quam in Censura dixit ad populum, de ducẽdis vxoribus, cum eum ad matrimonia capessenda adhortaretur. In ea oratione ita scriptũ fuit, SI sine vxore possemus Quirites esse, omnes ea molestia careremus. Sed quoniam ita natura tradidit, vt nec cum illis satis cõmode, nec sine illis vllo modo viui possit, saluti perpetuæ potius quàm breui voluptati consulendum. Videbatur quibusdam Metellum Censorem, cui cõsilium esset ad vxores ducendas populum hortari, non oportuisse de molestia incommodisque perpetuis rei vxoriæ confiteri: neque adhortari magis, quàm dissuadere absterrereque. Sed cõtra illud potius orationem debuisse sumi dicebant, vt & nullas plerũque esse in matrimoniis molestias asseueraret: & siquæ tamen accidere nonnunquam viderentur, paruas & leues facilésque esse toleratu diceret: maioribúsque eas emolumentis & voluptatibus obliterari, easdemque ipsas neque omnibus, neque naturæ vitio, sed quorundam maritorum culpa & iniustitia euenire. T. autem Castritius recte atque condigne Metellum esse locutum existimabat. Aliter, inquit, Censor loqui debet, aliter rhetor. Rhetori concessum est sententiis vti falsis, audacibus, subdolis, captiosis, si modo verisimiles sint, & possint ad mouendos hominum animos qualicunque astu irrepere. Propterea turpe esse ait rhetori, si quid in mala causa destitutum atque impugnatum relinquat. Sed enim Metellum, inquit, sanctum virum, illa grauitate & fide præditum, cum tanto honore atque vitæ digni tate apud Pop. Rom. loquentẽ, nihil decuit aliud dicere, quàm quod verum sibi esse atq; omnibus videbatur: præsertim cum super ea re diceret quæ quotidiana intelligẽtia & cõmuni peruulgatóque vitæ vsu comprehenderetur. De molestia igitur cunctis hominibus notissima confessus, eáq; confessione fidem sedulitatis veritatisq; commeritus: tum denique facile & procliuiter, quod fuit rerum omnium validissimum atq; verissimum persuasit, ciuitatem saluam esse sine matrimoniorũ frequẽtia non posse. Hoc quoq; aliud ex eadem oratione Metelli dignũ esse existimauimus assidua lectione, non hercle minus q̃ quæ à grauissimis philosophis scripta sunt. Verba Metelli hæc sunt, Dii immortales plurimũ possunt, sed non plus velle debent nobis quàm parentes. At parentes, si pergunt liberi errare, bonis exhæredant. Quid ergo nos à diis immortalibus diutius expectemus, nisi malis rationibus finem facimus? Iisdem deos propitios esse æquum est, qui sibi aduersarii non sunt. Dii immortales virtutem approbare, non adhibere debent.

Oratio alios alia decet. Rhetor.

Procliuiter.

Metelli sententia. exheredandi qui se corrigere nolunt

ASCEN. Rem præsidio sperant futurum. Hanc lectionem & ei similes comprobat etiam Nestor pluribus exemplis. Neque tamen censeam cuiquam sic modo loquendum: sed eum modũ admissum fuisse, ante animaduersum discrimẽ supini & participij: quorum vtroque pro futuro infinitiui vtimur: sed supino, cum sit verbum, sine numero casu aut genere nominis: participio cum omnibus illis. Itaque nunc diceremus sperãt futurã. Quia tamen sic eum locutũ affirmet Gell. non omnino damnẽ qui sic subinde loquantur. mallem tamen grammatice loqui. Ad hæc Mase. Ioã. Bapt. Pius in quartum Lucretij ait verbum esse infinitiuum esse suspendendum, cum dicitur, suspendendum frenos. Item, Multa quærendnm. Qua loquendi figura addit Plautum in Amph. vsum cum dicit, Iustam rem & facilem esse oratam à vobis volo. Citat idem hæc Ciceronis verba, quæ Gellius profert, & alia multa ex Cassina Plauti, ex Varrone, ex Lucilio. Virg. pacem Troiano ab Rege petendũ. Sed hæc videntur dicta quòd à transitiuis oriantur postulantibus accusatiuum, etiamsi fiant impersonalia, vt petitur pacem & petendum est pacem. Quare nõ improbandus est Alexander cum ait, Matthæum legitur. Addo, inquit, etiam nonnullos ita excipere locutiones sequentes, præsente nobis, absente legatis. Sunt enim participia sub infinitiuo interdum contenta: ergo Rem futurum.

non subiecta numero. Plautus in Amphit. Teret. in Eunucho, & plerique alij alibi vsi sunt. Si quis autem vellet arguere declinari participialia verba, genera sequi, casus regere, & ijs omnibus subseruire quæ adferunt grammatici: non noui quid essent Plautinis leporibus responsuri, cum dicit, tactio hanc rē. Quicquid est, puto locutionem esse latinissimam, hanc rem spero futurum præsidio, & præsente nobis id factū est. Hæc Mas. De quibus cum multa sint, non possem semel pronūciare quid sentiam: sed vt seorsum de singulis: loquendi formam, rem spero futurum, existimo olim fuisse latinam magis quàm grammaticam: sed posteaquàm per grammaticos traditum est discrimen inter participia & supina, puto neminē idoneorum id priscum loquendi genus secutum. illam vero, pacem Troiano ab Rege petēdum: & latinam censeo & grammaticam, sed non amusis venustiorem videri si dixeris petendam. Neque tamen continuo si gerundia habent actiuorum in regendo accusatiuo vim, eam ad impersonalia transferre censeam. At illam iustam rem & facilem esse oratam à vobis: si vera est lectio oratam, nō opus est purgemus, cum sit latina sane & non minus grammatica. nam venuste dixeris id exoratum velim, hanc rē factā oportuit, illam factā non decuit. Neque ex ea concluseris impersonalibus vim regendi accusatiuum competere. At si oratum legatur: id recte, verum antique dictum fuerit, & vix altero loco simili comprobatum. De absente nobis, satis ex Donato disputat Despoterius. de ea locutione, quid tibi hanc tactio est, dicam priscos verbalibus gerundiorum vim dedisse, ac si resoluerint, tactionem per tangendi ausum vel audaciam. Sane non oscitanter adnotandum quod idem Mas. addit: apud Marcellum illud Plautinum in Amph. Non vero mihi in mentem fuit, sic legi: Numero mihi in mentem fuit: quo etiam modo Io. Bapt. Pius legendum censet. εὐφωνία vox quæ Prisciano dicitur sonoritas bona: interpreti huius loci voculatio: at Quintiliano nitidius & purius, vocalitas. Quod vero Cicero dixit in potestatem, credam Græcos imitatum: qui ἐν cum dandi casu, εἰς cum accusandi construunt, cum pro vtraque dicamus in, sicut in & intra diuersis præponimus.

Quamplu ribus. Videbatur quàm pluribus. Sic Mancinellus legit, & Maserio placet: Valla tamen compluribus legendum aut scribendum censuerit. Verum, quia contra præceptum Vallæ adnotaui quàm pro valde cum positiuo positum, & plures non semper comparatiui vocem, non inficias eam sic à Gellio scriptum: sicque legendum, parce tamen imitandum. Quin liber emendatus esset. legatur, emendandus, aut inemēdatus. In Plauti comœdia mœchus: forte quòd in Casina & alibi rem obscœnam ridens ad eam quasi ad mœchiam lubricos incitat. Solœcismus. In hoc notatur à Quintiano Gellius, quòd qui negat Solœcismum satis latine dici, eo nomine hic vtatur.

Gracchus. Gracchum sunt qui contendant sine h scribēdum, quibus Cælius reclamat.

Valetudo. Valetudo. Sic Horatius secundam producēs ab infinitiuo valere aut verbo vale. A validus autem formaretur valitudo aut validitas. Quibus altero. Ne vt multi Antithesim putes, & dictum quibus pro quorum. sic construe: habet sed duos, quibus ait sup. se occisurum altero te, altero villicum.

In hisce verbis Ciceronis ex oratione quinta in Verrem, Hanc sibi rem sperant præsidio futurum, nec mendam esse nec vitium: Errareque istos, qui bonos violant libros, & futuram scribunt. Atque ibi de quodam alio Ciceronis verbo dictum, quod probe scriptum, perperam mutatur: & aspersa pauca de modulis numerisque orationis, quos Cicero auide sectatus est.

CAPVT VII.

IN ORATIONE Ciceronis quinta in Verrem libro spectatæ fidei, Tyroniana cura atq; disciplina facto, ita scriptum fuit, HOmines tenues obscuro loco nati, nauigant, adeūtq; ad ea loca, quæ nūquam antea adiuerant, vbi neque noti essent quo venerunt, neque semper cum cognitoribus esse possunt. Hac vna tantum fiducia ciuitatis, non modo apud nostros magistratus, qui & legum & existimationis periculo continentur: neque apud ciues solum Romanos, qui & sermonis & iuris, & multarum rerum societate iuncti sunt, fore se tutos arbitrantur, sed quocunque venerint, hanc sibi rem præsidio sperant futurum.

Futurum esse. Videbatur compluribus in extremo verbo menda esse: debuisse enim scribi putabant, non futurum, sed futuram: neque dubitabant, quin liber emendandus esset, ne vt in Plauti comœdia mœchus, (sic enim mendæ suæ illudebant) ita in Ciceronis

Solœcis mus. oratione solœcismus esset manifestarius. Aderat ibi forte amicus noster, homo lectione multa exercitus, cui pleraque omnia veterum literarum quæsita, meditata, euigilatáque erant. Is libro inspecto ait, nullum esse in eo verbo neque mendum, neq; vitium, Ciceronem probe ac venuste locutum. Nam futurum, inquit, non refertur ad

Mendum. rem, sicut legentibus temere & incuriose videtur: neque pro participio positum est, sed verbum est indefinitum, quod Græci appellant ἀπαρέμφατον, neque numeris, neque generibus præseruiens, sed liberum vndique & impromiscuū est. Quali C. Gracchus verbo vsus est in oratione, cuius titulus est, de Q. Popilio circum conciliabula: in qua ita

Dicturū. scriptum est, Credo ego inimicos meos hoc dicturum. Inimicos, inquit, dicturū, & nō dicturos. Videtūr ne ea ratione positū esse apud Gracchū dicturū, qua est apud Cic. futurū?

ſicut in Græca oratione ſine vlla vitii ſuſpitione, omnibus numeris generibuſque ſine diſcrimine attribuuntur huiuſmodi verba ποιήσειν, ἔσεσθαι, λέξειν, & ſimilia. In Q. quoque Quadrigarii tertio Annali verba hæc eſſe dixit, Dum hi conciderentur, hoſtium copias ibi occupatas futurum. In. XII. Annali eiuſdem Quadrigarii principium libri ſic ſcriptum, Si pro tua bonitate, & noſtra voluntate, tibi valetudo ſuppetit, eſt quod ſperemus deos bonis benefacturum. Item in Valerii Antiatis lib. IIII & XX ſimili modo ſcriptum Benefacturum. eſſe, Si hæ res diuinæ factæ, recteque perlitatæ eſſent, aruſpices dixerunt omnia ex ſententia proceſſurum. Proceſſurum. Plautus etiam in Caſina, cum de puella loqueretur, occiſurum dixit, nõ occiſuram, his verbis, Occiſurũ.

Etiámne habet Caſina gladium? habet, ſed duos:
Quibus altero te occiſurum ait, altero villicum.

Item Laberius in Gemellis, Non putaui, inquit, hoc eam facturum. Non ergo iſti omnes ſolœciſmus quid eſſet, ignorauerunt: ſed & Gracchus dicturum, & Quadrigarius futurum & benefacturum, & Plautus occiſurum, & Antias proceſſurum, & Laberius facturum, indefinito modo dixerunt. qui modus neque in numeros, neque in perſonas, neque in genera, neque in tempora diſtrahitur: ſed omnia iſtæc vna eademque declinatione complectitur. Sicuti M. Cicero dixit futurum, non virili genere, neque neutro (ſolœciſmus enim foret plane) ſed verbo vſus eſt ab omni neceſſitate generum abſoluto. Idem autem ille amicus noſter in eiuſdem M. Tullii Ciceronis oratione, quæ eſt de imperio Cn. Põpeii, ita ſcriptum eſſe à Cicerone dicebat, atque ipſe ita lectitabat, Cum noſtros portus, atque eos portus quibus vitam ac ſpiritum ducitis, in prædonum fuiſſe poteſtatem ſciatis. Neque ſolœciſmũ eſſe aiebat, IN POTESTATEM FVISSE, vt vulgus ſemidoctum putat, ſed ratione dictũ In poteſtatem. certa & proba contendebat. quia & Græci ita vterentur, & Plautus verborum latinorum conſeruator elegantiſſimus in Amphitryone dixit, Numero mihi in mentem fuit. nõ, εἰς κράτος. vt dici ſolitum eſt, in mente. Sed enim præter Plautum, cuius ille in præſenti exemplo vſus eſt, multam nos quoque apud veteres ſcriprores locutionum talium copiam offendimus, atque his vulgo annotamentis inſperſimus. Vt rationem iſtam miſſam facias, & authoritates, ſonus qui εὐφωνία, tantum & poſitura ipſa verborum ſatis declarant, id potius ἐπιμελεία τῶν λέξεων, modulamẽtis orationis M. Tullii conueniſſe, vt, quoniã vtrũuis dici latine poſſet, poteſtatem dicere mallet, non poteſtate. Illud enim ſic compoſitum iucundius ad aurem, conſpectiuſque: inſuauius hoc, inperſpectiuſque eſt: ſi modo ita explorata aure homo ſit, non ſurda. nec iacenti, ſicuti eſt hercle, quòd EXPLICAVIT Explicauit. dicere maluit, quàm explicuit, quod eſſe iam vſitatius cœperat. Verba ſunt hæc ipſius in exhortatione quam de imperio Cn. Pompeii habuit, Teſtis eſt Sicilia, quam multis vndique cinctam periculis, non terrore belli, ſed conſilii celeritate explicauit. At ſi explicuit diceret, imperfecto & debili numero verborum ſonus clauderetur.

ASCEN. Phocion. Phocionem hunc alium eſſe putauerunt nonnulli ab eo quem reip. Atheniẽ. præfecerunt, tandemque interfecerunt meritorum immemores. Is tamen fuit primum Platonis diſcipulus: inde in Xenocratis academiam tranſiſſe dicitur & bonarum artium ſtudia coluiſſe. cuius oratio grauis fuit admodum vehemenſque, præceptis & ſententiis (vt ait Plutarchus) referta, præſtans maxime acuta quadam & ad faciendam fidem breuitate dicendi. Et cum Demoſthenem Polyeuctus vir grauiſſimus diceret oratorem ornatiſſimum, addebat Phocionem habere vim maximam in ſuadendo. Quare Demoſthenes dicere ſolebat, Phocion meorum verborum gladius eſt. Inter cætera quæ multa ſunt, pulchre dicta: illud eſt ex Plutarcho in vita eiuſdem Phoc. Verba cupreſſo ſimilia, quæ magnifica ſunt, cæterum nullius vtilitatis aut fructus. Hæc Maſ. Hãc repetit Macrobius. ij. ſatur, ſuppreſſo, vt ſolet, ab eo Gellij nomine. Idem Maſ. κέρας ἀμαλθείας. Prouerbium eſt quod effertur ſiquando volumus dicere omnia ſupereſſe affatim. ait Eraſmus in prima Chil. tractum ab Amalthea Adraſteæ & Idæ Meliſſei filiarum capra: cuius lacte Iuppiter educatus eſt: quam fabulam repetit Ouid. v. Faſt. Alij deductum volunt ab Hercule qui AEtolis copiæ cornu dedit propter coercitum cornu Acheloi fluminis. Alterum prouerbium non minus repetitur ab Eraſmo citante Strabonem & hunc locum, variosque authores, mulierum Corinthiarum auaritiam, rapacitatem, mollitiẽque & mores petulantiſſimos grauiter notantes. Cæterum illud præfert quod dici ſolet de rebus arduis periculoſiſque, & quas non ſit cuiuſuis hominis aut ſperare aut affectare. natum inde prouerbium Suidæ teſtimonio quod difficilis ſit in portum Corinthium appulſus. Subiungit inde ex aliorum authoritate prouerbium flecti ad luxum meretriceſque Corinthias. Non diſſimile mihi videtur, Non eſt cuiuſuis manu lyram pulſare. quod preſſius dixit Architrenius: Non præcinit omnem Ad digitum phœbæa chelys, non nouimus aures Aonia mulcere lyra, nõ pectinis huius In plebem vileſcit apex, hæc gloria vatum: Hoc iubar, hic titulus ſolos contingit homeros. Lais autem non Corinthia erat genere aut natione, ſed conuerſatione. erat autem Lais Sicula. Nam Nicias Athen. imperator in Sici-

Marginalia: Phocion. Prouerb. Prouerb. Lais.

liam missus, postquam Catinenses se sponte dediderant nihil memoratu dignum egit, nisi quod Hiccarẽsem agrum à Barbaris tum possessum populatus est: vnde & Laidem famosissimam postea meretricem, tunc vero paruulam admodũ puellam inter alios abductam captiuos, & in Peloponnesum deuectã fuisse ait Plutarchus in Nicia. Volaterranus autẽ lib. vi. Crastus inquit vrbs Siciliæ, vnde Epicharmus poeta & Lais meretrix, vt Anthus testatur de viris illustribus. In hac solebat Aristippus gloriari, quòd cum ipsa cæteros amantes haberet, ab ipso Aristippo haberetur. Hoc autem sic tangit Archithrenius, Non potitur Lais dubio Demstohene, nec quem Mouerat, euellit: perdendo prodigus auro. Non emit amplexus thalamos quæ vendit ementem Fallit, & emptorẽ mox pœnitet empta voluptas. De talento vide Budæũ.

Historia in libris Phocionis Philosophi reperta super Laide meretrice, & Demosthene rhetore. CAPVT VIII.

Cornu copiæ.
Lais.

PHocion ex Peripatetica disciplina haud sane ignobilis vir fuit. Is librum multæ variæque historiæ refertũ composuit, eumq; inscripsit κέρας ἀμαλθείας. ea vox hoc ferme valet, tanquam si dicas Cornu copiæ. In eo libro super Demosthene rhetore, & Laide meretrice historia hæc scripta est, Lais inquit, Corinthia ob elegantiã venustatẽq; formæ grandẽ pecuniã demerebat: conuentusq; ad eã ditiorũ hominum ex omni Græcia celebres erant: neq; admittebatur, nisi qui dabat quod poposcerat. poscebat autem illa nimiam quantitatem. Hinc

Prouerb.

ait natum esse illud frequens apud Græcos adagiũ, οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐς κόρινθόν ἐσθ᾽ ὁ πλοῦς. Quod frustra iret Corinthũ ad Laidẽ, qui non quiret dare quod posceretur. Ad hanc ille Demosthenes clãculum adit, & vt sibi sui copiam faceret, petit. At Lais μυρίας δραχμὰς ἢ τάλαντον poposcit: hoc facit numi nostratis denariûm decem milia. Tali petulantia mulieris, atque pecuniæ magnitudine ictus expauidusque Demosthenes auertit iter: & discedens, Ego, inquit, pœnitere tanti non emo. Sed græca ipsa, quæ fertur dixisse, lepidiora sunt, οὐκ ὠνοῦμαι, inquit, μυρίων δραχμῶν μεταμέλειαν.

Dimidiũ talentum
Macrob.

Pythagoræ exustio à Cyloniis
παχυδέρμοι.
Physiognomones.
Metoposcopi.
Gnomonice.
Gnomon.
Echemythia.

ASCEN. Ordo atque ratio Pythagoræ. Crini. c. x. li. iiij. docet prophanum vulgus ad Pythagoricam disciplinã non temere admissum. Cælius. c. xlvij. lib. x. ait Pythagoram viuũ fuisse à Cyloniis exustum in domo Milonis Crotoniatæ, à quodam quem discipulum recipere noluerat, quòd forte facta coniectatione de ingenio ad literarum studia minus aptum cerneret. Idẽ in tertio libro ait in carnis molitie & raritate, summam intelligi mentis sanitatem, prudentiam, & perspicaciam: vt fatuos & rudes appellare solent Græci παχυδέρμους. i. crassipelles. Vnde locum Quintil. (in malacho sanum) restituit luci, vt sit in molli sanitas. Addit idem, quod ad literam facit, diuinaculos esse qui dicuntur Physiognomones à quibus vsurpetur, In malacho sanum, vbi quem conspexissent contẽperatum & cõpositum. Est autem physiognomia mantices pars ea quæ ex ore omniumque membrorum facie motuque ac filo hominum mores coniectat. In quo genere sunt metoposcopi, ex facie legentes & diuinantes. Vnde Iuue. Frontemque manumque Præbebit vati crebrum poppysma rogãti. Gnomonice autem est pars Astrologiæ quæ solariorũ discriminatis vmbris horas veruto seu gnomone pernotat. Est sane gnomõ solis vmbilicus, diciturque sciathera: cuius vmbra internoscuntur horæ, & ipsa vmbrarum ratio dicitur gnomonice. Hanc inuenit Anaximander, alij nominant Anaximenem Milesium. Vocat insuper Aristotel. gnomonas dentes quibus iumẽtorum annos dignoscas: equinique pulli dicuntur abolli qui non habent eos dentes. Echemythia dicitur taciturnitas. De hac vt dea, ita meminit Plutarch. in vita Numæ Pompilij. Plurima ex vaticiniis in musas referebat, quarum præcipue vnam & insigniter Romanos venerari voluit, Hanc tacitã appellauit. quod viri videtur esse Pythagoream echemythiam, quam taciturnitatem & mysterium dicunt, comminiscentis simul & honorantis. Ea dicitur fuisse appellata Angerona, ore picta signato, veluti Harpocrates: vnde Harpocratem facere, & Catull. Et patruum reddidit Harpocratem. Is fuit deus ab AEgyptiis cultus, quem signat Ouid. non tamen nominat, Sanctaque bubastis variisque coloribus Apis, Quique premit vocem, digitoque silentia suadet. Propter autem Echemythian & silentium ipsum quod habent pisces & seruant, domestici disciplinæ pythagoricæ & quasi conturbernales dicuntur: ideoque ab eis abstinendũ docuit Pythagoras. Vnde extat prouerbium: magis mutus quàm piscis. Non enim voces edunt pisces præter paucos, inter quos est canis marinus, ait Erasmus in prima Chil. Cælius vero ait apud Clitorios Arcadiæ populos fluuium esse, qui dicatur Clitor in Aroanium fluens, in quo reperiuntur pisces Pœciliæ, quibus vox est similis turdorum. alii autem id fide parum constanti volunt proditum. Agatho abbas lapidem in ore triennium continuit, vt tacere disceret. Interrogatus inde quod esset maximum ad dei faciens cultum, dixit silentium, inde orationem, inde mansuetudinem. Pedibus illotis adire & ingredi sacraria, musarumquè fores. Item illotis manibus tractare & contingere sacra, vt verba rebus respondeant, pulchre dicitur pro irreuerenter, confidenter nimium & imparate venire & tangere & aggredi rẽ egregiam. Hæc Mas. Est autem prouerbialis sermo. de quo Io. Bap. Pi. ca. clxxviij. adnot. & Eras. dccclxi. prouerb. Chil. primæ. Coibatur societas, id est contrahebatur. sic actiuè venuste dicas coibant societatem. Verbo Romano id est ab Romanis vsurpato, quamuis sit græcum cœnobium. quia græce plurimi sciebant. Aut ordo est tanquam illud cœnobium sit quod antiquum consortium, quod &c.

Angerona
Harpocrates.
Pisces muti & vocales.
Pedibus illotis.
Coeo societatem.

Qui modus fuerit, quis ordo disciplinæ Pythagoricæ, quantumque temporis imperatum obseruatumque sit dicendi simul ac tacendi. CAP. IX.

ORdo atq; ratio PYTHAGORAE, ac deinceps familiæ successionis eius, recipiendi instituendiq; discipulos, huiuscemodi fuisse traditur. Iam à principio adolescẽtes, qui sese ad discendum obtulerant, ἐφυσιογνωμόνει. Id verbum significat mores naturasq; hominum coniectatione quadã de oris & vultus ingenio, deq; totius corporis filo atq; habitu sciscitari. Eum, qui exploratus ab eo idoneusque fuerat, recipi in disciplinã statim iubebat, & tempus certũ tacere: non omnes idẽ, sed aliud aliis tempus pro æstimato captu solertiæ. Is autem qui tacebat, quæ dicebantur ab aliis audiebat. neq; percunctari, si parum intellexerat: neq; cõmentari, quæ audierat, fas erat. Sed non minus quisquam tacuit quàm bienniũ. Hi prorsus appellabantur intra tempus tacendi audiendiq;, ἀκουστικοί. Ast vbi res didicerãt rerum omnium difficillimas tacere audireque: atque esse iam cœperant silentio eruditi, cui erat nomen ἐχεμυθία, tum verba facere, & quærere, quæque audissent scribere, & quæ ipsi opinarentur, expromere potestas erat. hi dicebãtur in eo tempore μαθηματικοί, scilicet ab iis artibus, quas iam discere atque meditari inceptauerant, quoniã Geometriã, & Gnomonicam, Musicã, cæterasq; item disciplinas altiores, μαθήματα veteres Græci appellabãt: vulgus autem quos gentilitio vocabulo Chaldæos dicere oportet, MATHEMATICOS dicit. Exinde his scientiæ studiis ornati, ad perspicienda mundi opera, & principia naturæ procedebant. At tunc deniq; nominabantur φυσικοί. Hæc eadẽ super Pythagora noster Taurus cũ dixisset, Nũc autẽ, inquit, isti, qui repẽte pedibus illotis ad philosophos diuertũt, non est hoc satis, quòd sunt omnino ἀθεώρητοι, ἄμουσοι, ἀγεωμέτρητοι, sed legem etiam dant, qua philosophari discãt. Alius ait, hoc me primum doce. Itẽ alius, hoc volo, inquit, discere, istud nolo. Hic à Symposio Platonis incipere gestit propter Alcibiadis comessationẽ: ille à Phædro propter Lysiæ orationem. Est etiam, inquit (prò Iupiter) qui Platonem legere postulet, non vitæ ornandæ, sed linguæ, orationisque comendæ gratia: nec vt modestior fiat, sed lepidior. Hec Taurus dicere solitus, nouitios philosophorum sectatores cũ veteribus Pythagoricis pensitans. Sed id quoque non prætereundum est, quòd omnes simul, qui à Pythagora in cohortem illam disciplinarum recepti erant, quod quisq; familiæ pecuniæque habebant, in medium dabant. Et coibatur societas inseparabilis. tãquam illud fuerit antiquum consortium, quod in re atq; verbo Romano appellabatur κοινόβιον.

Mathemata. Chaldæi. φυσικοί. Pythagoricorum cœnobium. Coibatur.

ASCEN. Phauorinus. Ex hoc capite docemur aperte loqui, contra quod faciũt quàm plurimi, qui se tum demũ diserte ac docte locutos putant, cum à nemine sine interprete intelligantur: quos detestatur Quintil. lib. i. vbi de grãmatica loquitur. Macrobius autẽ Satur. primo eadẽ fere verba tacito Gellij nomine, reponit. Sane vt adnotauit Mas. Phauorinus Gallus Arelatensis à multis non sine miraculo nominatus est, quòd gallus Græce doctus, eunuchus, adulter creditus, & Hadriano infestus erat viuens. Hunc quidã dicũt fuisse diphyen. i. duplicis naturæ & androthelin seu mauis virum & fœminã. Is Plutarchi habitus est æmulus, cuius scriptorũ copiã iniquo ferebat animo. Gellius vocat philosophũ vbique, alij sophistam. hoc fecit hominis studiũ singulare circa rhetoricẽ & eloquentiã. Veterũ verborũ cupidiss. Quintil. ait verba à vetustate repetita non solum assertores magnos habere, sed etiam maiestatẽ cum delectatione orationi afferre: sed opus est ne nimis sint, neue manifesta, quia nihil odiosius affectatione: nec vtique ab vltimis etiam obliteratis repetita temporibus, qualia sunt toper, antigerio, exantlare, prosapia, & Saliorũ carmina vix satis suis sacerdotibus intellecta. Subiungit idem paulopost, pene esse ridiculum, malle sermonem quo locuti sunt homines, quàm quo loquuntur. Et sane quid est aliud vetus sermo, quàm vetus loquendi consuetudo? Sed nec id prætermittendum quòd addit consuetudinem sermonis iure vocari eruditorum consensum: sicut viuendi, bonorum. Et Seneca lib. vlti. epistola. xx. ait: Multi ex alieno seculo petunt verba. xij. tabulas loquuntur. Gracchus illis & Crassus & Curius, nimis recentes sunt: ad Appiũ vsque & Coruncanum redeunt. Quidam contrà, dum nihil nisi tritum & vsitatum volunt, in sordes incidunt. Adiũgit quoque vtrunque peccare. Alter nanque se plus iusto colit, alter se plus iusto negligit. Ille & crura: hic nec alas quidem vellit. Vbi tamẽ legitur Gracchus, Crassus, & Curio: cũ Gellius dixerit Curius & Fabritius. Iuxta illud, Qui Curios simulant, & bacchanalia viuunt. Fuit & Curio orator, quem signari quidam volunt à Verg. in. vi. Vẽdidit hic auro patriam. cuius extant epistolæ sed temporibus Ciceronis scriptæ: quare apud Senecã legero potius Curius quàm Curio. Auruncorum quidam Aruncorũ legunt, sed Hermol. Auruncorum admittit Vergil. adferens testem. Aurũcos ita ferre senes. Et Iuue. Per quem magnus equos Aurũcæ flexit alumnus. Euandri mater dicta Nicostrata: sed cum responderet carmine, deinde Carmentam dixerunt ait Plutarchus in vita Romuli. Id dictum volui, nequis putaret à Carmenta aut Carmente, vt scribunt nonnulli, carmen dictum. Ab hac deducta sunt Carmentalia. Alias affert opiniones idem Plutarchus. Proinde, rectius legatur perinde. Multis annis: bene etiam dicas, multos annos.

Phauorinus. Verba prisca. Consuetudo. Aurunci. Aeneid. vi. Satyra. j. Carmẽta. Nicostrata.

Quibus verbis cõpellauerit Phauorinus philosophus adolescentem, vetuste nimis & prisce loquentem. CAPVT X.

FHAVORINVS philosophus adolescẽti veterum verborũ cupidissimo,& plerasq; voces nimis priscas & ignotissimas in quotidianis cõmunibusq; sermonibus expromẽti, Curius, inquit, & Fabricius, & Coruncanus antiquissimi viri nostri, & his antiquiores Horatii illi trigemini, plane ac dilucide cũ suis fabulati sunt: neq; Aurũcorũ, aut Sicanorũ, aut Pelasgorũ, qui primi incoluisse Italiã dicũtur, sed ætatis suæ verbis locuti sunt. Tu autẽ perinde quasi cũ matre Euandri nũc loquare, sermone ab hinc multis annis iã desito vteris, ꝙ scire atq; intelligere neminẽ vis quæ dicas. Nõne homo inepte, vt quod vis abũde cõsequaris, taceres? Sed antiquitatẽ tibi placere ais, ꝙ honesta, & bona, & sobria, & modesta sit. Viue ergo moribus præteritis: loquere verbis præsentibus. Atque id quod à C. Cæsare excellentis ingenii ac prudẽtiæ viro, in primo de Analogia libro scriptũ est, habe semper in memoria atque in pectore: vt tanquã scopulũ, sic fugias inauditũ atq; insolens verbũ.

Italiæ primi inculto res.

C. Cæsar.

ASCEN. Sed tibiarũ modulis. Quibus Heluetij, & cæteri Teutones nũc quoque cũ tympanis vtũtur: nõ tã ad mollitiẽ quàm ad artẽ bellãdi, vimque animorũ moderãdã. Macrob. lib. v. satur. dicit Hernicos ad bellum progredi solitos sinistro pede nudo teste Euripide. aut vt ait Aristoteles dextro, vt modus confligendi profusior esset. Homerus autẽ. xiij. & . xv. Iliad. Græcorũ in conflictu vociferationẽ ingẽtẽ celebrat, qualẽ Liuius subinde Gallis assignat. Vt lib. vij. ab vrbe cõ. &c. Gallorũ gens ferox & ingenij auidi ad pugnam, procul visis Romanorũ signis, vt extẽplo præliũ initura explicuisset aciẽ, posteaquã neque in æquũ dimitti agmẽ vidit, & tum loci altitudine, tum vallo etiã integi Romanos, perculsos pauore rata, simul oportuniores quòd intẽti tum maxime operi essent, truci clamore aggreditur &c. Eundẽ morem idẽ Liuius Romanis subinde tribuit: & Maserius Hispanis quasi peculiarẽ. Addidit idẽ Mas. Non omittendum puto quod Plutarchus in vita Agesilai adiungit de silentio quod fuit inter Lacedæmonios & Thebanos ad Coroniæ campũ. ait enim sic, Cõgredientibus illis mirũ vtrinque silentiũ tantisper fuit dũ ad stadii interuallũ abessent: exinde vero Thebani sublato clamore cursu cõminus ferebantur. Et paulo post, Confligentes phalanges impelluntur, pugnãt, interimuntur, cadũt: clamor nullus erat, nec tamẽ silentiũ, sed vox qualem ira simul & pugna ederet. Et quod Gellius de Romanorũ clamoribus affert, testatur Plutarch. in vita M. Antonij vbi ait, Erat Parthorũ acies in falcis figuram instructa, stabatque miro silẽtio & quiete, Romanorũ ordines admirãs. Eques vero Romanus signo dato ingẽti clamore in hostẽ defertur. Restitere primo hostes, impetumque sustinuerũt: mox vt pedes quoque aduenit, tunc ingenti strepitu armorum & clamore militum territi Parthorũ equi, & simul ipsi Parthi prius quàm manũ consererent fugã arripuerunt. In procinctu dicuntur classes & procinctæ, ad feriẽdũ paratæ. Dispalati, vt apud Sisennam, Dispalati à signis, digressi ac dissipati. i. diuersi & vagantes. secunda syllaba longa est. Planipedes sunt mimi qui in planipedia introducebantur. Est autẽ planipedia comœdia dicta quòd eius actores non soccis aut cothurnis fulti, sed planis ingrediebãtur pedibus. Cælius lib. v. cap. xxvj. ait fistulã dictã tonariõ, qua C. Gracchus præcipuus suorũ tẽporũ orator musico modos incinẽte quibus intendi deberet aut remitti, inter orãdũ iuuabatur. Quod autẽ cõcernit locutionẽ Gellij, Tibiæ illius cõcionatoriæ venit in mẽtẽ &c. norint iuuenes venustã esse, estque genitiuus pro recto positus, vt No. Marcellus fieri posse ostẽdit: aut subaudiẽdũ est nomẽ recordatio. Quin Iacobo Bononiẽ. teste, veteres soliti sunt ponere venire in mẽtẽ cum genitiuo: probatque apud Ciceronẽ in epist. lib. vij. delẽdũ esse verbũ recordatio vbi legitur: solet venire in mentẽ illius tẽporis: adiũctũ tamẽ habẽt codices verbũ recordatio: cũ idẽ Cicero in Verrẽ aiat, Fac tibi Anciliæ legis veniat in mẽtẽ. Et Lucretius, Et venit in mẽtẽ solis lunæque viarũ. Terẽt. Vbi in mẽtẽ eius aduẽti venit. Cicero. i. de diuinat. Quũ illius diei venit mihi in mẽtẽ. Ex Licinio Cliẽte. Meminit Cic. in tertio de Orat. Licinij, quem Gellius seruum vocat ad manũ, qui etiã potest dici amanuẽsis, & à manu & à manibus, vt à pedibus. Cuius itẽ Plutarch. in vita Gracchorũ ita meminit, Liciniũ quẽdam haud insulsum seruũ post se in pulpita collocabat, qui quoties exasperari ac longius ob irã protrahi vocẽ sentiret, vocali organo, quo notas deducere solent, mollem emittebat sonum: quo ipse admonitus, & quasi è certamine reu ocatus, vehementiã illam atque contentionem nimiam remittebat. Vt Herodotus in historijs, statim in fronte tradit. Præijsse modulos. i. prius quasi pronunciasse: vt præire verba deuouentium sese apud Liuium, est id quod vulgus dicit prælegere & proferre, vt alter subsequatur, eadem pronunciando.

Procinctæ Classes.

Dispalati.

Planipedes.

Gracchi fistula.

In mẽtem venit cũ genitiuo.

Liciniusad manũ seruus.

Præire.

Quod Thucydides historiæ scriptor inclytus Lacedæmonios in acie non tuba sed tibiis esse vsos dicit: verbaque eius super ea re posita. Quodq; Herodotus Halyattẽ regem fidicinas in procinctu habuisse tradit. atque inibi quædam notata de Gracchi fistula concionatoria. CAPVT XI.

Fistularũ vsus apud Lacedæmonios.

AVthor historiæ græcæ grauissimus Thucydides, LACEDAEMONIOS summos bellatores, non cornuum tubarũve signis, sed tibiarum modulis in præliis vsos esse refert. nõ prorsus ex aliquo ritu religionum, neque rei diuinæ gratia, neq; etiã vt excitarentur atque euibrarentur animi: quod cornua & litui moliuntur: sed contrà, vt moderatiores, modulatioresque fierent: quod tibicinis numeris temperatur. Nihil adeo in cõgrediẽdis

hostibus, atq; in principiis præliorum ad salutem virtutemq; aptius rati, q̃ si permulcti sonis mitioribus, non immodice ferocirent. Cum procinctæ igitur classes erãt, & instructa acies, cœptumq; in hostem progredi, tibicines inter exercitũ positi canere inceptabant. Ea ibi præcentione tranquilla & venerabili, ad quandam quasi militaris musicæ disciplinam, vis & impetus militum, ne sparsi dispalatique proruerent, cohibebatur. Sed ipsius illius egregii scriptoris vti verbis libet, quæ & dignitate & fide grauiora sunt, καὶ μετὰ ταῦτα ἡ ξύνοδος ἦν. Ἀργεῖοι μὲν, καὶ οἱ ξύμμαχοι ἐντόνως, καὶ ὁρμῇ χωροῦντες, Λακεδαιμόνιοι δὲ, βραδέως καὶ ὑπὸ αὐλητῶν πολλῶν ὁμοῦ ἐγκαθεστώτων, οὐ τοῦ θείου χάριν, ἀλλ' ἵνα ὁμαλῶς μετὰ ῥυθμοῦ βαίνοντες προσέλθοιεν, καὶ μὴ διασπασθείη αὐτοῖς ἡ τάξις, ὃ πρέπει τὰ μεγάλα στρατόπεδα ἐν ταῖς προσόδοις ποιεῖν. CRETENSES quoque prælia ingredi solitos memoriæ datum est, præcinente ac præmoderante cithara gressibus. Cretẽses. HALYATTES autem rex terræ Lydiæ, more atque luxu barbarico præditus, cum bellum Milesiis faceret, vt Herodotus in historiis tradit, concinentes habuit fistulatores & fidicines, atque fœminas etiam tibicinas in exercitu, atque in procinctu habuit lasciuientium delicias conuiuiorum. Halyattes. Sed enim ACHAEOS Homerus pugnam indipisci ait, non fidicularum tibiarumque concentu, verum conspiratu tacito nitibundos. Achæi.

οἱ δ' ἄρ' ἴσαν σιγῇ μένεα πνείοντες Ἀχαιοὶ
ἐν θυμῷ, μεμαῶτες ἀλεξέμεναι ἀλλήλοισιν.

Quid ille vult ardentissimus clamor militum ROMANORVM, quem in congressibus præliorum fieri solitum scriptores annalium memorauere? Romani. Contra ne institutum fiebat antiquæ disciplinæ tam probabile? An tum etiam gradu clementi, & silentio est opus, cum ad hostem itur in conspectu longinquo procul distantem? Cum vero prope ad manus ventum est, tum iam è propinquo hostis, & impetu propulsandus, & clamore terrẽdus est? Ecce autem pro tibicina Laconica, tibiæ quoque illius concionatoriæ in mẽtem venit, quam C. GRACCHO cum populo agente præiisse, ac præmonstrasse modulos ferunt. C. Gracchi fistula. Sed nequaquam sic est, vt à vulgo dicitur, canere tibia solitum, qui pone eum loquentem staret, variisq; modis tũ demulcere animum, actionemq; eius tum intendere. Præire. Quid enim foret ea re ineptius? si vt planipedi saltanti, ita Graccho concionanti numeros, & modos, & frequentamenta quædã varia, tibicen incineret? Sed qui hoc cõpertius memoriæ tradiderũt, stetisse in circũstantibus dicunt occultius, qui fistula breui sensim grauiusculũ sonũ inspiraret ad deprimendũ sedandũq; impetum vocis eius. referuescente nãque impulsu, & instinctu extraneo, naturalis illa Gracchi vehementia indiguisse non (opinor) existimãda est. M. tamen Cicero fistulatorem istum vtrique rei adhibitum esse à Graccho putat, vt sonis, tũ placidis, tum citatis, aut demissam iacentẽq; orationem eius erigeret, aut ferociente sæuientẽq; cohiberet. Verba ipsius Ciceronis apposui, ITaque idẽ Gracchus, quod potes audire Catule ex Licinio cliente tuo, literato homine, quem seruum sibi habuit ille ad manum, cum eburnea solitus est hærere fistula, qui staret post ipsum occulte cum concionaretur, peritum hominem, qui inflaret celeriter eum sonum qui illum aut remissum excitaret, aut à contentione reuocaret. Morem autem illum ingrediendi ad tibicinum modulos prælii, institutum esse à Lacedæmoniis, Aristoteles in libris Problematum scripsit: quo manifestior fieret exploratiorque militum securitas & alacritas. Mos ingrediẽdi præliũ tibicinũ modulis. Nã diffidẽtiæ inquit, & timori cũ ingressione huiuscemodi minime conuenit, & mœsti atque formidantes ab hac tam intrepida ac tam decora incedendi modulatione alieni sunt. Verba pauca Aristo. super ea re apposui, διά τι ἐπειδὰν πολεμεῖν μέλλωσι, πρὸς αὐλὸν ἐμβαίνωσιν, ἵνα τοὺς δειλοὺς ἀσχημονοῦντας γινώσκωσιν.

ASCEN. Qui de Vestali virgine capiendà. Vestalis erat ethnicis, qualis nobis quæ dicitur monialis: Vestalis. nisi quòd illi peracto tempore præfinito exire licebat: huic nunquam. Signata autem & quasi consecrata erãt capiẽdi verba, Capio te Amata. Patrima, & matrima. i. quæ patrẽ & matrẽ haberet viuẽtes. Sensu ve aurium deminuta. i. subsurda. Animaduertenda autem nobis est hæc gentilium tam anxia superstitio potius quàm religio, vt nos pudeat vanitatis. qui siquid claudum aut illepidum nobis natum est, id deo obtrudere molimur. Cuius soror. ne duæ sint sorores in eadem æde. Flamen idest sacerdos. Epulonum, idest qui parando epulo pontificio præerant. Salius id est sacerdos Martis. Salii saliendo ancilia ferebant, quorum antistes Præsul dicebatur, quasi præsultor. Salius. Præsul. Plutar. in vita Numæ sic, Salij vocati sunt, non vt quidam fabulantur, à viro Samothrace seu Mantineo Salo nomine, qui saltationem quæ in armis dicitur, edocuerit: sed ab ipso potius tripudio saltatorio, quod vehementius robustiusque per vrbem euntes subsultant, cum ad mensem Martium sacras peltas id est ancilia suscipiant induti puniceis tunicis, æneis baltheis latisque succincti, æneas capitum galeas portantes, paruis gladiis arma pulsantes. Reli-

Saliorũ habitus. quum vero saltationis pedũ est opus.& quæ multa sequũtur non parum conferentia ad huius loci elucidationem. Septem viri epulonum,genus erat sacerdotii additum pontificibus, qui epularum sacrorũque Septẽ viri epulonũ. conuiuiorum & pontificalium cerimonias curabant.Vacatio à sacerdotio isto tribui solet:ergo cæteris nõ solet:quocirca quia in quem Põ.Maxi.manũ iniecerat,vi sacerdotiũ profitebatur, ideo capi potius quàm Capi. legi dicebatur.Capiebantur etiam flamines diales idest Iouiales,& pontifices & augurus. Iam ne ea causa pontifex capiat?repete me. Dicunt nonnulli, vt testis est Plutarchus in Numa, Geganiam & Bereniã à Numa primũ sacratas virgines,deinde Camillam & Tarpeiam,postea vero Seruio alias duas numero addente,id in hæc vsque tempora multitudinem obseruasse &c. Amata propriũ fuisse in Italia quibusdam mulieribus nomen,indicat Lauiniæ mater apud Vergilium:nisi forte propter nomen hoc vestalium id finxerit poeta.est certe rei appositum vocabulum.

Vestalium numerus. Amata.

Virgo Vestæ quid ætatis,& ex quali familia,& quo ritu,quibusque cærimoniis, ac religionibus,ac cognomine à Pontifice Maximo capiatur, & quo statim iure esse incipiat simulatque capta est:quodque vt Labeo dicit, nec intestato cuiquam, nec eius intestatæ quisquam iure hæres est. CAPVT. XII.

QVI de Vestali virgine capienda scripserunt, quorum diligentissime scripsit Labeo Antistius, minorẽ quàm annos sex, maiorem q̃ annos decẽ natã,negauerunt capi fas esse.Itẽ,quæ non sit patrima, & matrima. Itẽ quæ lingua debili,sensuve aurium deminuta,aliaue quauis corporis labe insignita sit.Item quæ ipsa,aut cuius pater emancipatus sit,etiam si viuo patre in aui potestate sit.Item cuius parentes alter ambove seruitutem seruierunt, aut in negotiis sordidis diuersantur.Sed eam cuius soror ad id sacerdotium lecta sit, excusationem mereri aiunt.Item cuius pater Flamen,aut Augur, aut Decemuir sacris faciundis, aut qui Septemuir epulonum,aut Salius est.Sponsæ quoq; põtificis,& tibicinis sacrorum filiæ vacatio à sacerdotio isto tribui solet.Præterea Capito Atteius scriptum reliquit, neque eius legendam filiam,qui domiciliũ in Italia non haberet: & excusandam eius, qui liberos tres non haberet. Virgo autem vestalis simul atque capta,atque in atrium Vestæ deducta,& Pontificibus tradita est,eo statim tempore sine emancipatione, ac sine capitis minutione,ẽ patris potestate exit,& ius testamenti faciundi adipiscitur. De more autem ritũq; capiundæ virginis, literæ quidem antiquiores non extant: nisi q, capta fuisse fertur,quæ capta prima est,à Numa rege.Sed Papiam legem inuenimus,qua cauetur,vt Pontif.max.arbitratu virgines ẽ populo viginti legantur:sortitióque in concione ex eo numero fiat.Sed ea sortitio ex lege Papia non necessaria nunc videri solet. Nam siquis honesto loco natus adeat Pontif.Max.atq; offerat ad sacerdotium filiam suam, cuius duntaxat saluis religionum obseruationibus, ratio haberi possit, gratia Papiæ legis per se ratum fit. CAPI autem virgo propterea dici videtur,quia Pontif.Max.manu prehensa,ab eo parente in cuius potestate est,veluti bello capta abducitur. In libro primo Fabii Pictoris,quæ verba Pontif.Max.dicere oporteat, cum virginem capit, scriptũ est. Ea huiusmodi sunt, SACERDOTEM Vestalem, quæ sacra facias,quæ ius siet sacerdotem Vestalem facere pro Pop.Rom. Quiritibus,vti quod optima lege fiat, ita te Amata capio. Plerique autem CAPI virginem solam debere dici putant: sed Flamines quoque Diales,item Pontifices,& Augures capi dicebantur. L. Sylla rerum gestarũ libro II ita scripsit,P.Cornelius,cui primum cognomen Syllæ impositum est,Flamẽ Dialis captus. M.Cato de Lusitanis,cum Ser.Galbam accusauit,eum dicit ius pontificum discere noluisse,Ego me nunc volo ius pontificium optime scire. Iam ne ea causa pontifex capiar? Si volo augurium optime tenere,ecquis me ob eam Augurem capiat? Præterea in cõmẽtariis Labeonis,quæ ad duodecim tabulas composuit,ita scriptum est,Virgo vestalis neque hæres est cuiquam intestato,neq; intestatæ quisquam,sed bona eius in publicum redigi aiunt.Id quo iure fiat, quæritur. AMATA inter capiendum à Pontif. Max. appellatur,quoniam quæ prima capta est,hoc fuisse nomine traditum est.

Vestalium institutio. Capi. Capiendi formula. Amata.

ASCEN.Arbitrata est.i.ad arbitriũ discussa & iudicata.Culpa impatientiæ. sic in omnibus exemplis legitur.Ego tamen nisi vox insolita sit, malim legere imparẽtiæ.i.inobedientiæ, quãuis impareo, pro non pareo difficile sit repertu.sed neque imparor pro non paror dicitur, cum imparatus dicatur frequentissime,fortasse non male legeretur impotentiæ:sed Mas.Lego(inquit)impatientiæ: sensus autem est expositus per dictiones sequentes.Nam quum velit author ostendere hærendum esse superioris mandato, alioqui si res male succedat,superiorem ad impatientiam tractum iri propter culpam & iam pœnam indedeprecabilem,nec vllis precibus auerruncandam:facile elici potest veritas.Theorematum hoc, idest speculationẽ, Græcis enim θεώρημα dicitur speculatio:sed Græca in ma tertiæ prisci latini in matũ secundæ mutauerunt.sunt qui theorematiũ legant,quasi per diminutionem vt poematium: sed placet vt theorema

legatur.ἀρχιτέκτωρ dictio Græca est,qua Plautus in penulo vtitur quasi latine declinãs, dicens,Me quo que dolis iam superat architectonẽ.vsitatius architectus dicitur, vt eius ars architectonica. Ex malis duobus. Mali sunt quibus vela nauium appendi solent,trabes proceræ: vnde hic & paulo post vbi in accusatiuo ponit malum,substantiuum est masculini generis. De posthumiano imperio videtur Liuius aliter sentire:nec credendũ ijs qui id celebrauerũt. Dicit enim lib.iiij.ab vrbe cõd. Egregiæ dictaturæ tristẽ memoriam faciũt qui filium ab Aul.Posthumio, quod occasione bene pugnãdi immissus discesserit præsidio,victorẽ securi percussum tradunt.Eras.quoque Prouerb.CCXCV.primæ Chil.rem linquit dubiam. Architecton.

Quæsitum in philosophia est,quidnã foret in recepto mãdato rectius,id ne omnino facere,quod mandatum est:an nonnunquã etiam cõtra.si id speres ei, qui mandauit vtilius fore:superq; ea quæstione expositæ diuersæ sententiæ. CAP. XIII.

I N officiis capiendis,censendis,iudicandisq;, quæ græce καθήκοντα philosophi appellant,quæri solet,An negocio tibi dato,& quicquid omnino faceres,definito,contra quid facere debeas,si eo facto videri possit res euentura prosperius,exq; vtilitate eius qui id tibi negotium mandauit. Anceps quæstio,& in vtrãq; partem à prudentibus viris arbitrata est. Sunt enim non pauci,qui sententiã suam vna in parte defixerint, & re semel statuta deliberataq; ab eo,cuius negotium id pontificiumque esset,nequaquam putauerint contra dictum eius esse faciendum, etiam si repentinus aliquis casus rem commodius agi posse polliceretur. Ne si spes fefelisset, culpa impatientiæ,& pœna indeprecabilis subeunda esset. Si res forte melius vertisset,diis quidem gratia habenda:sed exemplum tamẽ intromissum videretur quo bene consulta consilia religione mandati soluta corrumperentur. Alii existimauerunt incommoda prius,quæ metuenda essent si res gesta aliter foret quàm imperatum est, cum emolumento spei pensitanda esse. Et si ea leuiora minoraque, vtilitas autem contra grauior & amplior,spe quantum potest firma ostenderetur, tum posse aduersum mandata fieri censuerunt,ne oblata diuinitus rei bene gerendæ occasio amitteretur. Neque timendum exemplum non tradiderunt, si rationes huiuscemodi duntaxat non adessent. Cum primis autem respiciendum putauerunt ingenium naturamque illius,cui ea res,præceptumque esset:ne ferox,durus, indomitus, inexorabilisq; sit, qualia fuerunt Posthumiana imperia,& Manliana.nam si tali præceptori ratio reddenda sit,nihil faciendum esse monuerunt aliter,quàm præceptum est. Instructius deliberatiusque fore arbitramur theorematium hoc de mandatis huiuscemodi obsequendis, si exẽplum quoque P. CRASSI MVTIANI clari ac inclyti viri apposuerimus. Is Crassus à Sẽpronio Asellione & plerisque aliis historiæ Romanæ scriptoribus traditur quinque habuisse rerum bonarũ maxima & præcipua:quòd esset ditissimus,ꝙ nobilissimus,ꝙ eloquentissimus,quòd iurisconsultissimus,ꝙ PONT. MAX. Is cum in consulatu obtineret Asiam prouinciã,& circũsedere oppugnareq; Leucas oppidum pararet,opusque esset firma ac procera trabe, qua arietẽ faceret,quo muros eius oppidi quateret, scripsit ad magistrum ἀρχιτέκτονα molis Atheniẽsium sociorum, amicorũq; Po.Ro.vt ex malis duobus,quos apud eos vidisset,vter maior esset,eum mittendum curaret.Tum magister ἀρχιτέκτων comperto quãobrem malũ desideraret,nõ vti iussus erat,maiorem, sed quẽ esse magis idoneum aptioreq; faciendo arieti,facilioremque portatu existimabat,minorem misit.Crassus eũ vocare iussit,& cum interrogasset, cur non quẽ iusserat,misisset, causis rationibûsque,quas dictitabat,spretis,vestimenta detrahi imperauit,virgisque multum cecidit.Corrumpi atq; dissolui officium omne imperantis ratus,si quis ad id quod facere iussus est,non obsequio debito,sed consilio non desiderato respondeat.

Posthumiana Manlianaque imperia.

Crassi in Asia gesta

ASCEN. Atque id facere,subaudi se.De hoc Fabritio dicit Valer.Maxi. cap.de abstinentia, quòd malebat pauper diuitibus imperare,quam diues pauperibus. Defieri.deesse. Maro, Lac mihi non æstate nouum non frigore defit.

Quid dixerit feceritq; C.Fabritius magna vir gloria,magnisq; rebus gestis: sed familiæ pecuniéq; inops,cũ ei Sãnites tanq̃ indigẽti graue aurũ donarẽt. CAP. XIIII.

I Vlius Higinus in libro de vita rebusque illustrium virorum sexto,Legatos dicit à Samnitibus ad C. FABRITIVM Imperatorem P.R.venisse & memoratis multis magnisque rebus,quæ bene ac beneuole post redditã pacem Samnitibus fecisset,obtulisse dono grandem pecuniam: orasséq; vti acciperet,vtereturque. Atque id facere Samnites dixisse, quòd viderent multa ad splendorem domus atque victus defieri:neque pro magnitudine dignita-

Fabritius.

teque, lautum paratumque esse. Tum Fabritium planas manus ab auribus ad oculos, & infra deinceps ad nares, & ad os, & ad gulam, atque inde porro ad ventrem imum deduxisse, & Legatis ita respondisse, Dum illis omnibus membris, quæ attigisset, obsistere atque imperare posset, nunquam quicquam defuturum. Propterea pecuniam, qua nihil sibi esset vsus, ab iis, quibus eam sciret vsui esse, non accipere.

Vsus.

Linguæ bona & mala.

ASCEN. Verbis humidis. Persius Saty.i. Summa delumbe saliua. Hoc natat in labris, & in vdo est Menas, & Atys. Solent enim qui præcipites loquuntur saliuam vnà effutire. Linguã autem debere aiunt &c. Pittaci iudicio lingua est interdum maximarũ cladiũ organũ si infrænis est & prodiga: at vero si parca & prouida, dixit in ea particula ingentiũ bonorum fomites latere, & prudentiã inde excerpi. Vnde Zenonis dictum nobile: qui in cõuiuio silens rogatus à legatis, quidnã vellet Regi de se referri, prudẽs respõdit, dicite vos senẽ reperisse, qui inter pocula seruet silentiũ. At contra dicunt maledicentiã esse stultorũ thesaurum, quem in lingua tenent reconditum. Hoc autẽ graphice Plautus expressit: Isthic est thesaurus stultis in lingua situs, Vt quæstui habeant male loqui mulieribus. Viã qui nescit quà deueniat ad mare, Eũ oportet amnẽ quærere comitẽ sibi. Lyc. Ego male loquendi vobis nesciui viã. Nunc vos mihi amnes estis, vos certust sequi. Si benedicetis, vostra ripa vos sequar. Si male dicetis, vostro gradiar limite. Hæc inquit Maserius (qui ista omnia & sequentiũ plurima adnotauit) subiungere libentius volui, quo momus noster, immo doctorũ hostis loquaculus desineret de his male sentire quos probauit maxime. Is modo epigrammata commendat quibus se putat honestatũ: modo reducens calculũ obloquitur, Dignus aricinos qui mendicaret ad axes. Expecto apertiorẽ hominis detractionẽ, ne quid temere molitus videar prior. Nã inuentus aut obuius amicũ verbo se testatur: semotus vero (vt audio) famã, quoad eius fieri potest, impugnat. quãti cæteros faciat, satis ego noui. Sed discat Gellio duce, bene loqui: & quẽ ponit Hesiodus thesaurũ, pluris faciat quàm nũmos vænali lingua quæsitos. Verũ de hoc aliàs. Cælius ex Plutar. refert beluis & viperis similes esse loquaces. Versus Homeri secundus citatur ab Erasmo. dclxx. prouer. tertiæ Chil. ex. vi. cap. ij. lib. per incuriã eorũ qui librum impressere: exponitque, Dentis claustra tui quæ vox elapsa reliquit. Plutarchus in vita Catonis cens. acerrimã eius in dicendo celeritatẽ magnæ Atheniẽ. fuisse admirationi ostẽdit. Nam quæcunque ipse breuissima oratione expediret, interpres multo verborũ ambitu vix renunciabat: quocirca rati sunt Græcis quidem sermonem ex labiis, Romanis autem ex corde proferri. Seneca in prouerbiis ait, Tacere qui nescit, nescit loqui. Diuus Hieronymus pluribus in locis docet linguam coercẽdam, quapropter non mirũ est, ait, si congemiscens Propheta quærebat liberari à labiis iniquis & lingua dolosa. Addit inde, Lingua hominũ ad iudicia præceps, absentiũ vitã vt plurimum nõ cessat hincinde corrodere. Cuius quidẽ viri sancti, vtinam audiremus consiliũ dicentis, Inter vos nunquam de vita disputetur alterius: maneat diuino examini omne iudiciũ: peccata vestra cognoscite, delicta vestra plorate, siquẽ alicui detrahentem audieritis, procul fugientes dimittite vt serpentẽ: vt verecundia victus discat de aliorum factis silere. Sed & diuus Iacobus prima catholica ait, mortẽ & vitã esse in manibus linguæ, probans inde in lingua compescenda beatitudinem esse. Diuum quæso Hieronymum legat. xx. cap. & tribus inde seq. quisquis linguam habet vitio vilissimo putentem. Et hæc si non sufficiunt audiatur quid idem vir sanctissimus in epistola. xv. loquẽs de virginitatis excellẽtia, Linguã (inquit) à maliloquio cohibe, & ori tuo legis frænos impone: vt tũc (si forte loquaris) quando tacere peccatũ sit: caue ne quid quod in reprehensionẽ veniat, dicas. Lapis emissus est sermo prolatus (iuxta illud, Et semel emissum volat irreuocabile verbũ) quapropter diu antequã proferatur cogitandus est. Beatæ quippe sunt, quæ nunquam quod reuocare velint, emittunt. Pudicæ mentis debet etiam sermo esse pudicus, qui ædificet semper magis quàm aliquando destruat audientẽ: secundũ quod Apostolus præcipit dicens, Omnis sermo malus de ore vestro non procedat: sed quisquis bonus est ad ædificationem: vt det gratiam audientibus. Preciosa deo lingua est, quæ nõ nisi in diuinis rebus nouit verba construere: & sanctũ est os, vnde cælestia semper eloquia proferuntur. Absentium obtrectatores quasi malignos scripturæ authoritate deterre: quia hoc inter perfecti hominis virtutes Propheta commemorat. Si ante conspectum iusti malignus ad nihil deducatur, qui contra proximum non probanda protulerit, non licet tibi vituperationẽ alterius patienter audire: qui nec ab aliis optas tuam recipi. & cætera, pro animi foribus conscribenda. Idem epist. xvij. de virginum eruditione. Idem in epistola. l. ad Oceanum de monogamia. Primo spinosulus noster obmutuit, postea vero pisoniano vitio quum loqui nesciret, tacere non potuit. Quibusdam quasi excubiis idest custodiis circũ linguam quasi ad vallũ excubãtibus. Infantia describitur in litera. vnde infans, à quo infantissimus, dicẽdi imperitus, qui minime quæ concepit eloqui potest. Sic Maserius posuit infantiam pro silẽtio & taciturnitate in carmine quod de Aegidiæ Coetmeniæ transitu edidit. Lance bonum & prauum librãs perplexio factum, Inque laborãti spiritus ore frequens. Atque teri relegẽs tenues infantia floccos. Veternus est morbus in quo est pene inextinguibilis dormiendi necessitas, quem lethargum dicunt Græci: & cito iugulat, nisi cito succurratur. Hinc ponitur apud Ciceronem pro marcore & somno, Veternus ciuitatis. Beroaldus scribit Catonem scripsisse veternosum pro hydropico, vt nunc habet litera. item veternum esse pigritiam. Item Ausonius Gallus ait, Pelle soporiferi senium rubemque veterni. Vt apud Verg. Nec torpere graui passus sua regna veterno. Sed & Catullus doctissime ait, Si potest olidum nepente excitare veternum, idest inactuosum, in marcore languescentem. Cælius addit olidum dici veternũ, quòd qui pigri sunt, nec mouentur ad opus, languent, ideo male olere plærumque: vt de alis hominum dici potest: quæ quando

Infantia.
Infans.

Veternus.

non mouentur,malum odorem fundunt.Therſiten.Lycophron Therſitæ turpitudinem graphice expreſſurus eum ſimiæ comparauit, vocans πιθηκομορφὸν. Quod Salluſtius &c. Quod citatur è Salluſtio audio reflecti in Lucianum.tametſi habetur apud Cælium alter parens eloquẽtiæ.Is enim ſacrilegus,prodigioſus, flagitioſusque Chriſtum dominum & Chriſtianos ridebat,quòd ſophiſten cruci ſuffixum colerent:dignus ſane qui Iudaicis cum libro ſuo raptetur flammis.Auditis non auſcultatis verba ſunt nõ participia,auditis ſcilicet vos Therſites,cuius in ſecundo Iliad. meminit Homerus ,ſic,vt interpretatur Laur. Vall.Cæteri ſedebant,& declinabantur per ſedilia: Therſites autem adhuc ſolus immoderatus in ſermone picabatur.Loquitans.Plautus in Bacchidibus,Loquitans ne es meo nato.Satis loquentiæ. Sic recte monet loquendum eſſe Iacobus Bononien. Calepinus autem male cenſet loquentiam vt loquium non reperiri extra compoſitionem. Therſites. Lucianus. Loquentia

Quàm importunum vitium ſit futilis inaniſque loquacitas: & quàm multis in locis à principibus vtriuſque linguæ viris deteſtatione iuſta culpata ſit. CAPVT XV.

QVI Sunt leues,& futiles,& importuni locutores,quique nullo rerum põdere innixi,verbis humidis & lapſantibus defluunt:eorum orationẽ bene exiſtimatum eſt in ore naſci,non in pectore. Linguam autem debere aiunt non eſſe liberam,nec vagam,ſed vinculis de pectore imo ac de corde apertis moueri,& quaſi gubernari.Sic enim videas quoſdã ſcatere verbis ſine vllo iudicii negocio cum ſecuritate multa & profunda: vt loquentes plerunq; videantur loqui ſeſe neſcire. Vlyſſem contrà Homerus virum ſapienti facundia præditum, vocem mittere ait non ex ore ſed ex pectore. Quod ſcilicet nõ ad ſonum magis habitũq; vocis,quàm ex ſententiarum penitus conceptarum altitudine pertineret.Petulantiæque verborum coercendæ vallum eſſe oppoſitum dentium,luculente dixit: vt loquendi temeritas,non cordis tãtum cuſtodia atque vigilia cohibeatur,ſed & quibuſdam quaſi excubiis in ore poſitis ſepiatur. Homerica,de quibus ſupra dixi,hæc ſunt, Homeri de Vlyſſe ſententia.

ἀλλ᾽ ὅτε δὴ ὄπα τε μεγάλην ἐκ στήθεος ἵει,
τέκνον ἐμὸν ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων. „

M.Tullii quoque verba poſui,quibus ſtultam & inanem dicendi copiam grauiter & vere deteſtatus eſt.Dummodo,inquit, hoc conſtet, neque infantiam eius, qui rem norit, ſed eam explicare dicendo non queat: neque inſcitiam illius, cui res non ſuppetat, verba non deſint, eſſe laudandam. Quorum ſi alterum ſit optandum, malim equidem indiſertam prudentiam,quàm ſtultam loquacitatem. Item in libro de Oratore primo, verba hæc poſuit,Quid enim eſt tam furioſum,quàm verborum vel optimorum, atque ornatiſſimorum ſonitus inanis,nulla ſubiecta ſententia, nec ſcientia? Cum primis autem M. Cato atrociſſimus huiuſcemodi vitii inſectator eſt. nanque in oratione,quæ inſcripta eſt,Si ſe Cœlius Trib.pleb.appellaſſet: Nunquam inquit,tacet,quem morbus tenet loquendi,tanquam veternoſum bibendi atque dormiendi. Quòd ſi non conueniãt, tum conuocari iubet. Ita eſt cupidus orationis, vt conducat, qui auſcultet: itaque auditis non auſcultatis tanquam pharmacopolam. Nam eius verba audiuntur, verum ei ſe nemo committat, ſi æger eſt. Idem Cato in eadem oratione eidem M.Cœlio Tribuno plebis vilitatem opprobrans,non loquendi tantum,verumetiam tacendi, Fruſto, inquit,panis conduci poteſt, vel vti taceat, vel vti loquatur. Neque non merito Homerus vnum ex omnibus Therſiten ἀμετροεπῆ ἀκριτόμυθον appellabat. verba illius multa, & ἄκοσμα, ſtrepentium ſine modo graculorum ſimilia eſſe dicit. Quid enim eſt aliud ἀμετροεπῆ ἐκολῴα? Eupolidis quoque verſus de id genus hominibus, conſignatiſſime factus eſt, Inſcitia. Infantia. Ita.i.vſque adeo,vt cõducat ſup. aliquem.

λαλεῖν ἄριστος, ἀδυνατώτατος λέγειν.

Quod Salluſtius noſter imitari volens, Loquax,inquit,magis quàm facundus. Quapropter Heſiodus poetarum prudentiſſimus linguam non vulgandam,ſed recondendam eſſe dicit, perinde vt theſaurum: eiúsque eſſe in promendo gratiam plurimam,ſi modeſta,& parca,& modulata ſit.

γλώσσης τοι θησαυρὸς ἐν ἀνθρώποισιν ἄριστος.
φειδωλῆς πλείστη δὲ χάρις κατὰ μέτρον ἰούσης. „

Epicharmium quoque illud non inſcite ſe habet, „

οὐ λέγειν δεινός, ἀλλὰ σιγᾶν ἀδύνατος.

Ex quo profecto ſumptum eſt, Qui cum loqui non poſſet, tacere non poterat. Phauorinum ego audiui dicere, verſus iſtos Euripidis, ἀχαλίνων στομάτων, ἀνόμου τε ἀφροσύνας τὸ

πέλος δυστυχία, non de iis tantum factos accipi debere, qui impia aut illicita dicerent: sed vel maxime de hominibus quoque posse dici, stulta & immodica blaterātibus. quorum lingua tam prodiga infrenisque sit, vt fluat semper, & æstuet colluuione verborum teterrima. Quod genus homines à Græcis significantissimo vocabulo λάλους appellatos. Valerium Probum Grammaticum illustrem ex familiari eius docto viro comperi Sallustianum illud, Satis eloquentiæ, sapientiæ parum, breui antequam vita decederet, sic legere cœpisse: & sic à Sallustio relictum affirmasse, Satis loquentiæ, sapientiæ parū. Quòd loquentia nouatori verborum Sallustio maxime congrueret: eloquentia cum insipiētia minime cōueniret. Huiuscemodi autē loquacitatem, verborūq; turbam magnitudine inani vastā, facetissimus poeta Aristophanes insignibus vocabulis denotauit in his versibus,

Satis loquentiæ, sapientiæ parum.

Ἄνθρωπον ἀγριοποιὸν αὐθαδόστομον,
ἔχοντα ἀχάλινον ἀκρατὲς ἀπύλωτον
στόμα περιλάλητον κομποφακελορήμονα.

Neque minus insigniter veteres quoque nostri, hoc genus homines in verba prouectos, locutuleios, & blaterones, & linguaces dixerunt.

Locutulei.

ASCEN. Mas. Ferre (inquit) mille nūmûm acceptum is dicitur qui mille nummos ab alio acceptos adnotat tanquam traditos & receptos. Ferre vero expensum dicitur qui datos alteri vt expensos itidem adnotat. Tractum id à ratiocinantibus & mercatoribus, quibus cura est id fideliter facere. Vult ergo Cicero dicere, fuisse neminem qui vellet Antonio mille nummos dare mutuo, quos posset notare tanquam traditos. Erat nāque decoctor, fideique lubricæ homo & dubiæ. Proinde ergo quia nemo dabat mutuo, ideo non cogebatur ferre expensum. Cicero tabellarum meminit expensi & accepti in oratione pro Roscio Comœdo: Si tabulas, ait, C. Fannius accepti & expensi profert suas in rem suam, suo arbitratu cōscriptas, quo minus secundum illas iudicetis non recuso. Dicitur etiam codex accepti & expēsi. Sunt & aduersaria libelli in quibus negociantes per singulos scribimus dies, quod damus vel accipimus, relaturi inde in codices accepti aut expensi. Cicero pro Roscio, Nimium cito ait me indagare de tabulis. Non habere se hoc nomen in codice accepti & expensi relatum confitetur, sed in aduersarijs patere contendit. Vsque eo ne te diligis & magnifice circunspicis, vt pecuniam non ex tabulis sed aduersarijs petas? Hæc Cælius & plura in. vij. & multo diligentius Budæus in annotationibus in Pandectas. Hunc mile passuum. Legendum est mili, vt declinetur hoc mile ab hoc mili: vnde in plurali milia. Item passûm non passuum per syncopem, vt in simili Aenei. vi. Quæ gratia currûm Armorumque fuit viuis. vbi tamen multi legunt Currū, quia syllaba redundans absumitur à vocali sequenti, Armorumque &c. Hic etiam passuum legit Maserius, vt sit contractio. Et illic, Nullus sequetur: & Diuersus videbitur: colliditur s, & syllaba manet, vt natura est, breuis. Et vocabulum esse. i. nomen substantiuum. Casum etiam capere ablatiuum: vnde dixi mili legēdū. De hoc vide Lau. Val. in elegantijs. Mille die. Macrobius. j. Saturn. legit, Tu mili nummûm potes vno quærere centum. Quod vt Gellius apud Lucilliū admittit. xv. sic & apud eundē in. ix. Ergo legendū est, vno mili nummûm pro vnis mille nummis: vnde ait idem Gellius mile capere casum ablatiuum: quod falsum esset nisi legeretur mili. Præterea vt vulgata habet lectio, non est exemplum conueniens: nam ordo est, potes quærere. i. conquirere vno die mille centum nummûm: aut ineptius centum mille pro centum millia. cum ordo sit: tu potes quærere vno mili nummûm, centum sup. nummos. s. decimum quenque superlucratus. Gæorg. Val. contendit substantiuum vnico, l, scribendum. In singulos casus vt fors ab hac forte, spons quod rarum inuentu, ab hac sponte, & nonnunquam spontis: natu, diu, noctu, iussu &c.

Ferre acceptum & expensum

Aduersaria.

Quod verba isthæc Quadrigarii ex Annali tertio, Ibi mile hominum occiditur: non licentia, neque de poetarum figura, sed ratione certa & proba grāmaticæ disciplinæ dicta sunt.

CAPVT XVI.

QVADRIGARIVS in III Annalium ita scripsit, Ibi occiditur mile hominum. Occiditur inquit, non occiduntur. Item Lucillius in tertio Satyrarum, Ad portam mile à porta est exinde Salernum. Mile inquit est, non mille sunt. Var. in *xviii rerum Humanarū, Ad Romuli initium plus mile & centū annorum est. Cato in I Originum, Inde est ferme mile passus. M. Cicero in VI in Antonium, Itā ne Ianus medius in L. Antonii clientela est? qui vnquam in illo Iano inuentus est qui L. Antonio mile nummûm ferret expensum? In his atque multis aliis mile numero singulari dictum est. Neque hoc (vt quidam putant) vetustati concessum est, aut per figurarum concinnitatem admissum est, sed sic videtur ratio poscere. mile enim non pro eo ponitur, quod græce χίλιοι dicitur, sed quod χιλιάς. & sicuti vna χιλιάς, & duæ χιλιάδες, ita vnum mile, & duo milia, certa atque directa ratione dicitur. Quamobrem id quoque recte & probabiliter dici solitum, mile denariûm in arca est, & mile equitum in exercitu est. Lucillius autē præterq̄ superius posui, alio quoque in loco id manifestius demōstrat. Nam in libro xv ita dicit,

Mile hominum occiditur. xvij. Macrob.

Chilias.

Hunc mili passûm qui vicerit atque duobus,
Campanus sonipes successor nullus sequetur. ”
Maiore in spatio, ac diuersus videbitur ire. ”
Item libro nono,
Tu mili numûm potes vno quærere centum. ”

MILI passûm dixit pro mille passibus: & vno mili numûm pro vnis mille nūmis: aperteque ostendit, Mile & vocabulum esse, & singulari numero dici, eiúsque pluratiuum esse milia: & casum etiam capere ablatiuum, neq; cæteros casus requiri oportere, cum sint alia pleraque vocabula, quæ in singulos tātum casus: quædam etiam, quæ in nullum inclinentur. Quapropter nihil iam dubium est, quin M. Cic. in oratione, quam scripsit pro Milone, ita scriptum reliquerit, Ante fundum Clodii, quo in fundo, propter insanas illas substructiones, facile mile hominum versabatur valentium. Non versabantur: quod in libris minus accuratis scriptum est. Alia enim ratione mile hominum, alia mille homines dicendum est. Mile. Mili.

ASCEN. Xantippe. De hac lege Laertium in vita Socratis, & Val. Max. de patiētia. Morosa. i. difficilium morum, fastidiosa. Scatebat irarum. i. abundabat, vt quàm lactis abundans, sed græcanica constructio. Quia scateo latinis ablatiuo construitur. Socratem vocat Seneca in epistola. ciiij. ad Lucill. senē perpetitium, siue mauis cum Erasmo legere perpessitium ad supinum respiciendo. Huius vxores erant Xantippe & Miro neptis Aristidis: testis est Hieronymus contra Iouinianum cap. xxix. ij. tractatu. Vbi mira probatur Socratis patientia, de qua in sequentibus. Aut tollendum malim interpretari. i. amouendum castigando vxorem quæ castigata melior fiat: aut ferendum, id est tolerandum à marito vt ipse per patientiam melior euadat. Cuius multa sunt præconia: vnde illud, Virtus nam vidua est quam non patientia firmat. Et in euangelio, In patientia possid. animas vestras. Et AEneid. v. Superanda omnis fortuna ferendo est. Similiter quod sequitur, Qui tollit vitium, vxorem commodiorem præstat. Gel. interpretatur: tollit, id est corrigit: sed non corrigitur nisi auferatur. dum ergo corrigibilis est vxor, & ab ea vitium aufertur, ipsa melior præstatur: sin incorrigibilis, & vir siue vt fidem perpetuam matrimonio seruet, siue vt patientiam perdiscat fert, id est patitur & sustinet eam, ipse sese meliorem facit. Quum autem additur, quæ ferri scilicet à viro honeste possunt: Maserius docte censet repetendum à superiore ferenda esse, aut ferendum, vt pacémque à rege petendum &c. vt sit ordo, ferendum inquam aut ferenda censuisse. s. ea quæ ferri à viro honeste possunt, vitia enim flagitijs leuiora sunt. q. d. vitia non flagitia toleranda in vxore quidem & amico: at in parente si placide castigationem non admittit etiam flagitia toleranda sunt. Iuxta illud Senecæ in prouerb. Ames parentem si æquus est: si aliter, feras. vbi Mas. putat rectius legi alter. Mihi placet aliter vt referatur ad verbum, & sit sensus, sin aliter sup. est quàm æquus, feras. Nec omittendum (inquit idem) est quod sequitur, Amici vitia si feras facies tua. Quod ego sic accipio, si adhibita fraterna correptione ad quam ex præcepto euangelico obligor, video amicum meliorem futurum, tunc enim nō illius vitia in me transfero, sic vt ille illis vacuus sit, sed noua contraho, quia Christo audiens non sum: & si præfectus, castigandi officium neglexero, animam illius de manu mea requiret. Scateo. Patientia.

Quanta cum animi æquitate tolerauerit Socrates vxoris ingenium intractabile: atque inibi quid M. Varro in quadam Satyra de officio mariti scripserit. CAP. XVII.

XANTIPPE Socratis philosophi vxor morosa admodum fuisse fertur & iurgiosa: irarúmque & molestiarum muliebrium, per diem, perque noctem scatebat. Has eius intemperies in maritum, Alcibiades demiratus interrogauit Socratem, quænam ratio esset cur mulierem tam acerbā domo non exigeret. Quoniam, inquit Socrates, cum illam domi talem perpetior, insuesco & exerceo vt cæterorum quoque foris petulantiam & iniuriam facilius feram. Secundū hanc sententiam quoque Varro in Satyra Menippea, quā de officio mariti scripsit, Vitium, inquit, vxoris tollendum, aut ferendum est. Qui tollit vitium, vxorē commodiorem præstat: qui fert, sese meliorem facit. Hæc verba Varronis tollere & ferre lepide quidem composita sunt: sed tollere apparet dictum pro corrigere. Id etiam apparet, eiusmodi vitium vxoris si corrigi non possit, ferēdum esse, Varronem censuisse, quæ ferri scilicet à viro honeste possunt. Vitia enim flagitiis leuiora sunt. Xātippe. Scatebat irarum. Socratis patientia. Vitia. Flagitia.

ASCEN. In quartodecimo rerum diuinarum libro. vt argutissime Maserius noster adnotauit, quia mox subiecturus est Gellius. Hæc Varro in primore libro scripsit de ratione vocabulorum scitissime &c. & hæc disputatio magis ad rationem vocabulorum quàm rerum diuinarū pertinere videtur. sunt qui hic quoque legendum censeant, In primo de ratione vocabulorum libro. In quam sentētiam discedā & ipse, nisi fieri potuerit vt in diuersis libris eam rem Varro executus fuerit, in. xiiij. rerum diuinarū dicendo sensa diuina certa esse, humana incerta, cū etiam Lælius in tātilla re errauerit, vt dixerit Leporem dictū quasi

leuipedem:in primo autem de ratione vocabulorum ostendendo esse græcum vocabulũ, licet alio tunc à Græcis diceretur nomine,ad quem locum potuerit in.xiiij.re.di.vr diximus remisisse.dicẽdo vt in primo de vo.ra.ostẽdimus.Si igitur Gellius vtrũque locum huc aduocarit,nõ ab re diuersis è libris citarit: de qua re quia libros non habeo nihil definio.Sane prius quàm ad alia pergã:quia ea verba,Successum enim fortuna,experientiam laus sequitur, à multis parum intelliguntur,dicã quomodo ea ipse capiam.Ex illo Sapphus Ouidianæ disticho,Exitus acta probat,careat successibus opto, Quisquis ab euentu facta notãda putat:notum est multa consulto & prudenter incepta infelicem sortiri exitũ , propterea quòd in omni re humana dominatur fortuna:verbi gratia significatum fuerit duci cuipiam regionem quampiam maritimam facilẽ expugnatu si mittatur manus,cum præsidio careat:mittit classem bene instructam, sed subita tempestate,aut igni siue cælesti siue fortuito perit:aut in oppidum præsidio carens sesquihora antequam expugnatores adsint præsidium immittatur quod in procinctu stans missos repulerit:expeditio vtraque prudenter sed infeliciter cœpta fuerit : Sic Lælius in re literaria ab lingua Romana stans cum per experiẽtiã norit leporem alio vocabulo tunc à Græcis dici,& posse ad latinum etymon adduci : laudãda fuerat eius experientia & industria,sed dolendus successus,quia præter spem inter prisca Græcorum vocabula compertum.Sic item siquis (vt ipse soleo)dixerit Crepidam latinis poetis visam esse latinam vocem à crepitu quem incedendo facimus dictam:ideóque duas priores corripere cum Græcis producantur:parũ hallucinatus fuerit,quia potest vni voci varia esse & origo & significatio. Cælius, inquit Maser.cap.xxix.lib. xiiij.ait leporem animal esse timidissimum:quocirca vocatur πτὼξ,nam πτώσσειν est formidare. Idem vocatur λαγωὸς ab aurium magnitudine:nam λα particul.habet vim intendendi,vt in Lastaurus dicitur: & ὦς ὠτὸς dicitur auris:inde dicimus auritos lepores.alij quòd oculis dormiat apertis . estque idem qui Dasypus.Erasmus D I I I prouerb.Chil.primæ ait,Dasypoda esse de genere leporum . Et subiungit ex Plin.lib.viij.quòd solus lepus præter dasypodem superfœtat. Ceterũ Cælius obtecto nomine Erasmi ait, Et qui ex recentioribus Græca transtulit adagia pereleganter & docte cũ id explicaret δασύπους κρεῶν ἐπιθυμεῖ,id est Dasypus carnes desiderat,non ausus & quidem prudenter,Dasypum leporem interpretari,intulit esse de genere leporum.Quæ omnia temerariam coarguunt inscitiam . hæc Cælius cap.xxx. lib.xiiij.vbi & Dasypus varie declinatur cum Plinius Dasypodem dixerit:Cælius Dasypum. Non continuo si græce λαπωός dicitur,ab illo deriuatur lepus:multum enim discrepant.verum vt non putem à leuibus pedibus dictum,facit quòd huius genitiuus leporis non lepodis aut lepedis facit.Aliquoties,sic nũc scribitur:nuper tamen aliquotiẽs, sed melius recipitur quoties,vt septies,octies,nouies,decies &c. Furem etiam Nonius à furuo deducit. Sic errasse tanquam,notanda locutio,quia vsitatius vt,quàm tanquam sequitur particulam sic.

Lepus. Dasypus. Sic tãquã.

Quòd M. Varro in libro de ratione vocabulorum,L.Lælium magistrum suum περὶ ἐτυμολογίας,nonnullorum verborum falsa dixisse reprehendit:quódque idem Varro in eodem libro furis ἐτυμολογίαν falsam dicit. CAPVT XVIII.

IN quartodecimo de ratione vocabulorum libro,M.Varro doctissimum tunc ciuitatis hominem L.Lælium errasse ostẽdit,quòd vocabulũ Græcũ vetus traductum in linguam Romanam,pro meraco, & quasi ã se primitus latine factum esset,resoluit in voces latinas ratione etymologica falsa.
» Verba ipsa super ea re Varronis posuimus,In quo Lælius noster literis or
» natissimus memoria nostra errauit aliquoties:nam aliquot verborum antiquorum Græ
corum perinde atq; essent propria nostra,reddidit causas falsas. Nõ enim LEPOREM di
» cimus(vt ait) quòd est leuipes,sed quòd est vocabulum antiquum græcum . Multa enim
» vetera illorum ignorantur,quòd pro iis aliis nunc vocabulis vtuntur:& illorum esse ple
» rique ignorent græcum,quod nunc nominant ἔλλωα puteum esse,quod vocant φέαρ:
» leporem,quod λαπωὸν dicunt.In quo non modo Lælii ingenium nõ reprehẽdo , sed industriam laudo.Successum enim fortuna,experientiam laus sequitur.Hæc Varro in primore dicti libri parte scripsit,de ratione vocabulorum scitissime,de vsu vtriusque linguæ peritissime, de ipso Lælio clemẽtissime . Sed in posteriore eiusdem libri parte dicit, FVREM ex eo dictum,quòd veteres Romani furuum atrum appellauerint:& fures per noctem quæ atra sit,facilius furentur. Nonne sic videtur Varro de fure errasse,tãquam Lælius de lepore?Nam quod à Græcis nũc κλέπτης dicitur,antiquiore Græca lingua φὼρ est dictum. Hinc per affinitatem literarum,quæ φὼρ græce est,latine fur. Sed ea res fugerit ne tunc Varronis memoriam,an contra aptius & cohærentius putarit, furem à furuo, id est nigro appellari : in hac re de viro tam excellentis doctrinæ nõ meum iudiciũ est.

Lepus. Fur. Furuum.

ASCEN. Ad Tarquiniũ &c.Mas.Seruius Tullius rex ab alijs nominatur dicentibus libros Sibyllinos à Demophyle Cumæa,siue vt volunt alij,Amalthea,Seruio Tullio imperante ad Tarquiniũ Priscũ datos,& trecentos Philippeos à Sibylla petitos:librósque treis emptos, Apollinis templo dicatos, quibus

Libri Sibyllini.

custodiẽdis dati sunt primum duumuiri ẽ gente patricia,inde quinque,postea quindecim. Plinius vero ait treis tantùm libros regi oblatos fuisse,duobúsque concrematis emptum fuisse tertium. Isidorus ponit nouem libros Tarq.Prisco oblatos:idque refert diui Augustini interpres in cap.xvj.de ciui.lib.iij.hũc citãs locum Gellij.Idemque Solinum allegat in quarto cum sit.ix.vbi ait tertium librũ tempore Syllæ cum capitolio adustum. nã priores duos Tarquinio Superbo parcius precium offerente quàm postulabatur,Sibylla exusserat.Sane factum hoc anus,libertatem qua tunc sub regibus viuebatur ostendit.Si enim nunc quispiam coram rege rem quæ illi cordi esset combureret,sibi ne vnà in ignem præcipitaretur timendũ haberet.Idẽ tamen apud idoneos legimus historiographos. Non insuper.i.non nihili,& vt superfluam habendam:quod enim præter rem est,insuper esse dicitur.Ad eos adeũt.Sic Cicero fere præpositionẽ reponit. Insuper.

Historia super libris Sibyllinis ac de Tarquinio Superbo rege. CAPVT XIX.

IN antiquis Annalibus memoria super libris SIBYLLINIS hæc prodita est. Anus hospita atque incognita ad Tarquinium Superbum regẽ adiit, nouem libros ferens,quos esse dicebat diuina oracula: eos velle dixit væ- nundare. Tarquinius precium percunctatus est. Mulier nimium atq; immẽsum poposcit. Rex quasi anus ætate desiperet,risit. Tum illa foculum coram eo cum igni apposuit, & treis libros ex nouem deussit: & ecquid reliquos sex an eodem precio emere vellet,regem interrogauit.Sed enim Tarquinius id multo risit magis,dixitque anum iam proculdubio delirare. Mulier ibidem statim treis libros alios exussit:atque idipsum denuo placide rogauit,treis reliquos eodem illo precio emat. Tarquinius ore iam serio,atque attentiore animo fit,eam constantiam confidentiámq; non insuper habendã intelligit:& libros treis reliquos mercatur nihilo minore precio, quàm quod erat petitum pro omnibus.Sed eam mulierem tunc à Tarquinio digressam,postea nusquam loci visam constitit. Libri tres in sacrarium conditi, SIBYLLINI appellati.Ad eos quasi ad oraculum Quindecimuiri adeunt, cum dii immortales publice consulendi sunt. Libri Sibyllini. Minore precio.

ASCEN. De cubis & tesseris Macrob.de somnio Scipionis,& Baptist.Pius in Curgul.Plauti disputant,& Beroaldus in opusculis suis. Vt vero recens adnotauit Mas.Cubus dicatus est Cybele (ait Capella) à quo dicta sit. Cælius multa de cubo cap.xvij.libro x. Idem cap.xxvij.libro xj.ait, cubicum ludum fuisse àPalamede inuentum: iungit astragalos dici talos,vnde astragalizontes talis ludentes: & ludum dici astra lizin vt sphærisin ludũ pilæ. Itẽ ludendo opus fuisse tribus tesseris & quatuor talis,ex Val. Mart. Non sum talorum numero par tessera,cum sit Maior quàm talis alea sæpe mihi. Et quæ ad literam non parum faciunt,subiungit dicens.In talo figuras in cadendo habuisse vicem numeri.Monada nanque significans vocabatur κύων,id est canis:à Persio canicula.Scire erat in voto damnosa canicula quantum Raderet.A Propertio canis,Semper damnosi subsiluere canes.Dicebatur etiam chios. Cous vero siue hexites senio.binarius autem numerus aut quinarius non erat in talis:vt in cubis.i.tesseris.Erat etiam Stesichorius numerus in talis qui & octonarius.In ludo vero tesserario,iactus erat Midas fortunatissimus: qui ludus specie erat diagrammismus:sed ludũ dicũt quidam hunc,grammas.i.lineas. Hæc Cælius. Beroaldus ait,tribus tesserulis ludebant antiqui,sicut hac tempestate in foro aleatorio.In ludo talario quatuor iactabantur tali.vnde Cicero.Quatuor tali iacti casu Venereũ efficiunt:num etiã centũ venereos si CCCC talos ieceris casu futuros putas?Vas venereũ dicitur ab Horatio Venus. Quem Venus arbitrum dicet bibendi.August.ait,qui Venerem iecerat tollebat vniuersos nummos.Tessera dicitur cubus. Talum dicunt astragalum,vt ante &c.Quod exprimere &c.vnde verba,longitudo illatabilis,non sunt Gellij. Cubus. Astragalus &c. Tessera. Tali.

Quid Geometræ dicant Græci:quibúsque omnia ista latinis vocabulis appellentur. CAPVT XX.

FIGVRARVM, quæ σχήματα Geometræ appellant,genera sunt duo, Planum & Solidũ:hæc ipsi vocant ἐπίπεδον, καὶ στερεόν. PLANVM est,quod in duas parteis solum lineas habet,quà latum est, & quà longum:qualia sunt triquetra & quadrata,quæ in area fiunt sine altitudine. SOLIDVM est,quando non longitudines modo & latitudines planas numeri linearum efficiunt,sed etiam extollunt altitudines.quales sunt ferme metæ triãguli,quas pyramidas appellant.vel qualia sunt quadrata vndique,quæ κύβους illi, nos Quadrãtalia dicimus. κύβος enim est figura ex omni latere quadrata: quales sunt,inquit M. Varro, tesseræ,quibus in alueolo luditur:ex quo ipsæ quoque appellatæ κύβοι. In numeris etiã similiter κύβος dicitur,cum omne latus eiusdem numeri æqualiter in sese soluitur:sicuti fit,cum ter terna ducuntur,atque idem ipse numerus triplicatur. Huius numeri cubum Pythagoras vim habere lunaris circuli dixit,quòd & luna orbem suum lustret septem & viginti diebus,qui numerus ternio, qui græce dicitur τριάς,tantundem efficiat in cu- Planũ geometricum. Solidum. Pyramides. Quadrantalia. Cubus. Tessera. Ternio. Linea.

Linea. bo. LINEA autem à nostris dicitur, quam γραμμὴν Græci vocant. Eam M. Varro ita definit: Linea est, inquit, longitudo quædam sine latitudine & altitudine. Ευκλείδης autem breuius prætermissa altitudine, γραμμὴ est, inquit, μῆκος ἀπλατές. quod exprimere vno latine verbo non queas, nisi audeas dicere illatabile.

ASCEN. Iouem lapidem, sic lege non lapideum. Sane in fœderibus iciendis lapidem qui Iouis mu nere fungeretur, adhibebant: & quia Ioue nil maius illis creditum, nec sanctius quicquam quo fœdera sancirent, ideo Iouem lapidem iurans summe iurabat. de hac re vide Philel. in prima epistola secundi voluminis, & Cælium cap. xlviij. lib. xj. Vide etiam quæ Maserius in Val. Flaccum dixit. Displicita esset pro displiceret, vt AEneid. primo, Sic placitum superis. Sed Higinum ego &c. Non sunt hæc verba Phauorini, sed Gellij dissidentis in hoc à Phauorino.

Quôd Iulius Higinus affirmatissime contendit legisse se librum P. Virgilii domesticum, in quo scriptum esset, Et ora Tristia tentantum sensu torquebit amaror: Non quod vulgus legeret, sensu torquebit amaro. CAPVT XXI.

ij. Gæorg. VErsus istos ex Gæorgicis Virgilii plerique omnes sic legunt,

At sapor indicium faciet manifestus, & ora
Tristia tentantum sensu torquebit amaro.

Higinus autem non hercle ignobilis grammaticus, in commentariis quæ in Virgilium fecit, confirmat & perseuerat, non hoc à Virgilio relictũ: sed quod ipse inuenerit in libro, qui fuerat ex domo atque familia Virgilii. & ora Tristia tẽtantum sensu torquebit amaror. Neque id soli Higino, sed doctis quibusdam etiam viris complacitum, quoniam videtur absurde dici sapor sensu amaro torquet, cũ ipse, inquiũt, sapor sensus sit, non alium in semetipso sensum habeat: ac perinde sit quasi dicatur, sensus sensu amaro torquet. Sed enim cum Phauorino Higini commentarium legissem, atque ei statim displicita esset insolentia & insuauitas amaroris, Iouem lapidẽ inquit, quod sanctissimum iusiurandum est habitum, paratus ego iurare, Virgilium hoc nunquã scripsisse. Sed Higinum ego dicere verum arbitror. non enim primus finxit hoc verbũ Virgilius insolenter: sed in carminibus Lucretii inuentum non est aspernatus, authoritate poetæ ingenio & facundia præcellentis. Verba ex quarto Lucretii hæc sunt,

Amaror.

Iouem lapidem.

Denique in os salsi venit humor sæpe saporis,
Cum mare versamur propter: dilutaque contra
Cum tuimur misceri absynthia, tangit amaror.

Tuimur.

Non verba autem sola, sed versus prope totos, & locos quoque Lucretii plurimos sectatum esse Virgil. videmus.

Superesse. ASCEN. Superesse accepit Gellius pro eo quod sit supra quàm satis, aut supra quàm alijs est esse. Accipitur tamen interdum quasi sit reliquum esse. vt apud Iuuenalem saty. iij. Quid superest de corporibus. Et Saty. j. Et cito rapturus de nobilitate comesa Quod superest. Et Maro in Gæorg. Modo vita supersit, id est superstes sit. Et alij in oratione soluta, Nunc superest, id est restat aut reliquum est. Maro pro superstitem esse posuit superare: vt AEneid. iij. Quid puer Ascanius, superat ne & vescitur aura? Sic & Sallustius, Vno in Bucolicis versu videtur quibusdam accipi secus, ac probet Gellius. Nunc ego (namque super tibi erunt, qui dicere laudes Vare tuas cupiant) &c. vbi mihi secundum Gellium placeat interpretari vt sit supererunt tibi, id est plures quàm opus sit erunt: non enim omnes qui versus faciunt, commendandi sunt. Irroborauit: absolute posita vox. Animaduerti autẽ ea verba actiua quæ externum non desiderant agentem, temere absolute poni. vt AEneid. ij. Et iam nox humida cælo Præcipitat. Quæras quis noctem præcipitet. Nempe ipsa se. cum igitur idem sit agens qui & patiens, tam actiua quàm passiua vti licet voce: sed in actiua subaudias se, in passiua à se. Sic irroborauit falsa significatio: subaudiam se: irroborata est à se. Quem, id est aliquem, noluit plene dicere ne mollis sit sonus: quenquam, cuipiam. In compitis, id est in concionibus quo plures conueniunt, aut quas competunt. Vulgaria per primam flexit: vt à grege fit Gregarius. Nonius Marcellus loquens de mutata declinatione citat vocẽ vulgarius ex Næuio in Zenone. Aquilæ felicitatem video veteris vulgariam. Et ex Turp. Non est mediocris res nec vulgaria fallacia hæc. Et Affra. in priuigno, Dehinc temeritatem repudio vulgariam. Sic etiam singularius apud eundem ex Turpil. in Demetrio. Homo vnica natura est ac singularia: qua declinatione vtetur Gellius in sequent. Comitium à coeundo dicitur: & per appropriationem accipitur pro loco quò Romani conuenire solebant nouos magistratus creaturi, vt erat campus Martius. Erasmus pro adagio habet, Nescis quid serus vesper vehat. prouerb. dcij. Chil. j. quo circa legẽdũ sic videtur. Sane vesper gen. masc. & declin. secũda apud idoneos reperitur pro stella Veneris, quæ aliter vesperus & vesperugo. Sane postulare verbũ est iuris: est enim ius poscere. Ius autẽ postulare (vt in Pand. adnotauit doctiss. Gallorũ Budæus) dicunt legisperiti eum qui requestam rationabilem facere nunc dicitur. Cic. in Antoniana secunda, Ius postulabas, sed

Nota de absolute positis verbis.

Vulgarius

Singularius.

Vesper.
Postulare.
Ius postu.

quod ad rem plus ille poterat. Addit Maſerius noſter quòd Bapt. Pius poſtquam totum hoc caput in Aſinariam Plauti citauit, ſubiungit, Tranquillum in Auguſto poſuiſſe verbum ſupereſſe pro aduocatum eſſe contra Gellij mentem: ait enim, Conſuluit ſenatum quod officij ſui putaret: cōtari enim ſe, ne ſi ſuperſſet, eriperet reum.

An qui cauſas defendit, recte latinéque dicat ſupereſſe id quod defendit. & supereſſe proprie quid ſit. CAPVT XXII.

IRROBORAVIT, inueterauitque falſa atque aliena verbi ſignificatio, quod dicitur, hic illi supereſt: cum dicēdum eſt, aduocatum eſſe quem cuipiam, cauſamq; eius defendere: atque id dicitur, non in compitis tātū, neque in plebe vulgaria, ſed in foro & in comitio apud tribunalia. Qui integre autem locuti ſunt, magnam partem ſupereſſe ita dixerunt, vt eo verbo ſignificarent ſuperfluere, & ſuperuacare, atque eſſe ſupra neceſſarium modum. Itaq; M. Varro in ſatyra, quæ inſcripta eſt, Neſcis quid ſerus veſper vehat, ſuperfuiſſe dicit, immodice & intēpeſtiue fuiſſe. Verba ex eo libro hæc ſunt, In conuiuio legi nec omnia debent, & ea potiſſimum quæ ſimul ſunt ειωφελῆ, & delectant potius, vt id quoque videatur non ſuperfuiſſe. Memini ego Prætoris docti hominis tribunali me forte aſſiſtere, atque ibi aduocatum non incelebrem ſic poſtularе, vt quam cauſam diceret, rémque quæ agebatur, non attingeret. Tunc Prætorem ei, cuia res erat, dixiſſe aduocatum eum non habere: & cum is, qui verba faciebat, reclamaſſet: Ego illi V. Cl. ſuperſum: reſpondiſſe Prætorem feſtiuiter, Tu plane ſuperes, non ades. M. autem Cicero in libro qui inſcriptus eſt de iure ciuili in artem redigendo, verba hæc poſuit, Nec vero ſcientia iuris maioribus ſuis Q. AElius Tubero defuit, doctrina etiam ſuperfuit. In quo loco ſuperfuit ſignificare videtur ſupra fuit, & præſtitit, ſuperauitque maiores ſuos doctrina ſua ſuperfluenti tū, & nimis abundanti. Diſciplinas enim Tubero ſtoicas & dialecticas percalluerat. In libro quoque de Repub. ſecundo, idipſum verbum Ciceronis non temere tranſeundum. Verba ex eo libro hæc ſunt, Nō grauarer Læli, niſi & hos velle putarem, & ipſe cuperem te quoque aliquam partem huius noſtri ſermonis attingere: præſertim cum heri ipſe dixeris, te nobis etiam ſuperfuturum. verum ſi id quidem fieri non poteſt, ne deſis omnes te rogamus. Exquiſite igitur & comperte Iulius Paulus dicebat, homo in noſtra memoria doctiſſimus, ſupereſſe non ſimplici ratione dici tam latine quàm græce: Græcos enim περιεῖναι etiam in vtraque parte ponere, vel quod ſuperuacaneum eſſet ac non neceſſarium, vel quod abundans nimis, & affluens, & exuperans. Sic quoque noſtros veteres ſupereſſe alias dixiſſe, pro ſuperfluenti & ſuperuacuo, neque admodum neceſſario: ita vt ſupra poſuimus Varronem dicere. alias ita vt Cicero dixit, pro eo quod copia quidem & facultate cæteris anteiret, tum ſupra modum, tum & largius prolixiúſque flueret quàm eſſet ſatis. Qui dicit ergo ſe ſupereſſe ei, quem defendit, nihil iſtorum vult dicere, ſed neſcio quid aliud indictum inſcitúmque dicit. At ne Virgilii quidem poterit authoritate vti, qui in Gæorg. ita ſcripſit,

Primus ego in patriam mecum, modo vita ſuperſit.

Hoc enim in loco Virg. ἀκυρωτέρῳ verbo vſus videtur, quòd ſuperſit dixit pro longinquius, diutiúſque adſit. Illud contra eiuſdem Virgilii eſt aliquanto probabilius,

Florenteiſque ſecant herbas, fluuiós que miniſtrant,

Farráque, ne blando nequeant ſupereſſe labori.

Significat enim ſupra laborem eſſe, neque opprimi à labore. An autem ſupereſſe dixerint veteres pro reſtare, & perficiendæ rei adeſſe, quærebamus. Nam Salluſtius in ſignificatione iſta nō ſupereſſe, ſed Superare dicit. Verba eius in Iugurtha, Is plerunque à rege exercitum ductare, & omneis res exequi ſolitus erat, quæ Iugurthæ feſſo, aut maioribus aſtricto ſuperauerant. Sed inuenimus in III Ennii Annalium in hoc verſu, Inde ſibi memorat vnum ſuper eſſe laborem, Id eſt reliquum eſſe, & reſtare. Quod quidem diuiſe pronunciandum eſt, vt non vna pars orationis eſſe videatur, ſed duæ. Cicero autem in II Antonianarum, quod eſt reliquum non ſupereſſe, ſed reſtare dicit. Præter hæc ſupereſſe inuenimus dictum pro ſuperſtitem eſſe. ita enim ſcriptum eſt in libro Epiſt. M. Cic. ad L. Plancū. Et in Epiſt. M. Aſinii Pollionis ad Ciceronem verbis his, Nam neque deeſſe Reipub. volo, neque ſupereſſe. Per quod ſignificat, ſi Reſpub. emoriatur & pereat, nolle ſe viuere. In Plauti autem Aſinaria maniſeſtius idipſum ſcriptum eſt his verbis, quæ ſunt eius Comœdiæ prima,

Vulgaria.

Supereſſe.

Memini aſſiſtere.

Superfuit.

Superare.

Reſtare.

Supereſſe.

„ Sicut tuum vis vnicum gnatum tuæ
„ Superesse vitæ sospitem,& superstitem. Cauenda igitur est non improprietas sola verbi, sed etiam prauitas omnis, si quis se nunc senior aduocatus adolescenti superesse dicat.

ASCEN. Historia &c. Hoc caput à Macrobio fere repetitur Saturn.pri.suppresso Au.Gellij nomine,quare eum ingrati animi non inique arguit P.Cri.lib.vij.cap.xx. Matrum caterua lachrymātes &c. in re non in voce congruit sermo.at scio eo etiam in oratione vti licere.Intemperies:dicitur etiam intemperia vt effigies & effigia apud antiquos,& materies & materia. Illud prius pro intemperantia,ait,apud veterum authoritatem obscœnê, has eius intemperias in maritum.de hoc affert similiter exemplum.Hæc Mas.De quo autem loquatur nisi expresserit nesciero.Addit. Osculari pulchre positū, tralatione facta ab amore pio. Persæ siquidem(vt testis est Plutarchus in Agesil.)quos honoratos volunt maxime,osculātur. Manus autem osculari mos est imperatoribus horum quos diligunt, aut honorare volunt. Author idem Plutarch.in Catone Cens.Addit præterea. Prætextatus puer recte à Gellio exponitur.Sermo vero prætextatus à Petro Crinito in lib.de disciplina honesta. Osculatur.i.blande approbat.Cognomentum prætextatus appositio est:quasi dicat quod est prætextatus. Prætexta autem est vestis patriciorum, & aliorū nobilium puerorum ante viriles annos,quibus illa dimissa togam sumebant.dicta autem est, quòd illa irat prætexta.i.priusquam meruerant,sub spe futuri meriti:pars purpurea,qua à plæbeis discernebantur.

Intemperies. Osculari.

Quis fuerit Papyrius Prætextatus, quæve istius causa cognomenti sit,historiaq; ista omnis super eodem Papyrio cognitu iucunda. CAPVT XXIII.

Papyrius.

HISTORIA de PAPYRIO PRAETEXTATO dicta scriptâq; est à M. Catone in oratione,qua vsus est ad milites contra Galbam,cū multa quidem venustate,luce, atque mūditia verborū. Ea Catonis verba huic prorsus commentario indidissem,si libri copia fuisset id temporis, cū hæc dictabam. Quòd si non virtutes dignitatesque verborum,sed rem ipsam scire quæris,res ferme ad hūc modū est. Mos antea Senatoribus Romæ fuit in curiā cum prætextatis filiis introire.tamen cum in Senatu res maior quæpiam consultata,eáque in diem posterum prolata est,placuit vt eam rem,super qua tractauissent, ne quis enunciaret,priusquam decreta esset. Mater Papyrii pueri,qui cum parēte suo in curia fuerat,percunctata est filium quidnam in Senatu Patres egissent. Puer respondit tacendū esse, neq; id dici licere. Mulier fit audiendi cupidior:secretum rei,& silentium pueri,animum eius ad inquirendum euerberat. Quærit igitur compressius violentiúsque. Tum puer matre vrgente,lepidi atque festiui mendacii consilium capit. Actum in Senatu dixit,vtrum videretur vtilius,exque Repub.esse,vnūs ne vt duas vxores haberet,an vt vna apud duos nupta esset.Hoc illa vt audiuit,animus compauescit,domo trepidans egreditur, ad cæteras matronas peruenit. Ad Senatum postridie matrūfamilias caterua lachrymantes atq; obsecrantes orant,vna potius vt duobus nupta fieret,quàm vt vni duæ. Senatores ingredientes curiam,quæ illa mulierum intemperies,& quid sibi postulatio illa vellet,mirabātur. Puer Papyrius in mediū curiæ progressus,quid mater audire institisset, quid ipse matri dixisset,rem sicuti fuerat,denarrat.Senatus fidem atque ingenium pueri exosculatur. Consultum facit,Vti posthac pueri cum patribus in curiam ne introeant, nisi ille vnus Papyrius.Eique puero postea cognomentum honoris gratia decreto inditū PRAETEXTATVS, ob tacendi loquendique in ætate prætextata prudentiam.

Papyrij cōmentum. Plura apud Macrob.lib.j.

ASCEN. Orchio thesauro.i.Plutonico.Pluton enim dicitur Orchus,vt quidā interpretantur,quasi vrgus,quòd vrgeat,sed paucis id placet.Pluton autem latine dis:eo quòd πλουτέω & πλουτίζω dito dicitur,aut quia nostræ diuitiæ quas hic possidemus,è visceribus terræ,quæ pars Plutoni obtigit, eruuntur, aut quòd tunc ethnici nos demum beatos fore putabant,cum in elysios campos qui apud inferos sunt,migrauerimus.Portio autem nostra in terra viuentium,vbi semper cum domino erimus. Pluto autem dicitur Agesilaus à Lactantio quòd sit mortuorum imperator,quos agit omnes ad sedes inferas.inde Orcus.Vnde illud extat,Orcus vobis ducit pedes,id est admouentur iam lineæ pedibus,& pestiferum ingruit periculum.quo nomine Verrem appellauit Cicero, quòd Siciliam administrans omnia corruperit,& nō Proserpinam Cereris filiā,sed Cererem ipsam.i.magnam vim frumēti rapuerit,inque omnē ætatē & vtrūque sexū debacchatus fuerit.Quin & pro Catonio,de quo infra.i.inferno ponitur. Cælius hunc versum citat Næuianum addens:Minutianus tamen Orci legebat in libro de orthographia: & inde orciniana sponda pro sandapila siue feretro.Sunt tamen qui non ab Orco Plutone sed ab ἕρκος quod est septum & vallū, vnde hercæus Iuppiter,deducant,inde Orcini liberti in Orci familiā iam excepti dicūtur:& Orcinius deducitur ab vrgēdo.Thesaurus autē vt ait Plutar.in vita Philopœmenis,carceris est species. Ait enim,Ipsū igitur in subterraneū ferūt domiciliū,cui thesauro nomē indiderūt,neq; auras neq; lucē extrinsecus recipiens:cūq; fores nullas haberet,saxū immane obtrudētes includūt:ibiq; circūlocatis militib.deponūt.Cælius in.ix.carcerū nomina proferēs.Tullianū,Robur, Thesaurū,Anancæum & plura subiungit.Ad imitationē

Orchus. Pluto Agesilaus. Orcus. Verres. Orciniana sponda. Thesaurus Carcerum nomina.

horum epigrammatum facta sunt de Anna Franc. regina duo ab Quintiano, quorum prius scazon est. Heus tu viator qui tuum huc refers gressum, Morare paulum: marmor hoc rogat factum Tuearis vt sese, Anna dormiens cæli Regina, lumen vnicum & iubar terræ Iacet. viator cede. sed prius dicas. Quiescat Anna in pace, iam satis dixi. Secundum est iambicum trimetrum, Mortale corpus flere si possent dei: Lugeret Annam sancta reginam cohors &c. In Plautino Epigrammate. primus versiculus quatuor habet pedes, secundus quinque, tertius sex, & quartus sex. sed ne in primo trochæum ponam legam morte est, in tertio ludusque. Et in Pacuuiano si pro tametsi, & in Næuiano cum Minutiano, postquam est orci: aut sic, Itaque postquam orcio traditus est thesauro.

Tria epigrãmata trium veterum poetarum, Næuii, Plauti, Pacuuii, quæ facta ab ipsis eorum sepulcris incisa sunt. CAPVT XXIIII.

TRium poetarum illustrium epigrammata, Cn. Næuii, Plauti, M. Pacuuii, quæ ipsi fecerunt, & incidenda suo sepulcro reliquerunt, nobilitatis eorum gratia & venustatis, scribenda in his Commentariis esse duxi.

Epigramma NAEVII plenum superbiæ Campanæ: quod testimonium esse iustum potuisset, nisi ab ipso dictum esset, Næuii epigramma.

Immortales mortales si foret fas flere,
Flerent diuæ Camœnæ Næuium poetam.
Itaque postquam orchio traditus est thesauro,
Obliti sunt Romæ lingua latina loquier.

Epigramma PLAVTI: quod dubitassem modo an Plauti foret, nisi à M. Varrone positum esset in libro de poetis primo, Plauti.

Postquam morte est captus Plautus,
Comœdia luget, scena est deserta:
Deinde risus, ludusque, iocusque & numeri,
Innumeri simul omnes collachrymauerunt.

Epigramma PACVVII verecundissimum & purissimum, dignumque eius elegantissima grauitate, Pacuuii.

Adolescens si properas, hoc te saxum rogat
Vt se aspicias, deinde quod scriptum est, legas.
Hic sunt poetæ Pacuuii Marci sita
Ossa. hoc volebam nescius ne esses. Vale.

ASCEN. Feriæ belli) à bello cessatio & vacatio, inde verbum non insuaue feriari pro ociari. C. Pontium Samnitem) Is fuit qui exercitum Romanum ad Furcas Caudinas interclusum non sub iugum mittendum, sed aut liberum dimittendum aut interimendum censuit. vnde constat latinum non gallicanum esse nomen, maleque sentire qui ex nomine Pontium Pilatum Gallum non Romanum prædicant, cum non sit vero simile Gallo talem prouinciam ab Romanis designatam. Si indutiæ dictæ sunt quod inde vti iam, id est quòd post eas ita sit licitum bellare vti iam priusquã indictæ sunt, scribi deberẽt per t, quod vero simile est cum du syllaba corripiatur, quemadmodum prima in vti, quæ ab induco longa fit. Alii tamen per c scribunt, dictas censentes quòd sint inter duces indictæ belli feriæ. eosque sequar. Pontius. Indutiæ.

Quibus verbis M. Varro induțias definierit: quæsitumque inibi curiosius, quænam ratio sit vocabuli induțiarum. CAPVT XXV.

DVobus modis M. Varro in libro Humanarum, qui est de bello & pace, Induțiæ quid sint definit. INDVTIAE, inquit, sunt pax castrensis paucorum dierum. Item alio in loco, Induțiæ, inquit, sunt belli feriæ. Sed lepidæ magis atque iucundæ breuitatis vtraque definitio, quàm plena aut proba esse videtur. Nam neque pax est induțiæ: bellum enim manet, pugna cessat. Neque in solis castris, neque paucorum tantum dierum induțiæ sunt. Quid enim dicemus si induțiis in mensium aliquot factis, castris concedatur, nonne tum quoque induțiæ sunt? Aut rursus quid esse id dicemus, quod in primo Annalium Quadrigarii scriptum est, C. Pontium Samnitem à Dictatore Romano sex horarum induțias postulasse: si induțiæ paucorum tantum dierum appellandæ sunt? Belli autem ferias festiue magis dixit, quam aperte atque definite. Græci autem significantius consignantiusque cessationem istam pugnæ pactitiam ἐκεχειρίαν dixerunt, exempta vna litera sonitus vastioris, & subiuncta lenioris. Nam quòd eo tempore non pugnetur, & manus cohibeatur, ἐκεχειρίαν appellarunt. Sed profecto non Induțiæ. ἐκεχειρία.

id fuit Varroni negotiũ, vt indutias superstitiose definiret, & legibus rationibusque omnibus definitionum inseruiret. Satis enim visum est, eiusmodi facere demonstrationem. Quod genus Græci τύπους magis & ὑπογραφὰς, quàm ὁρισμοὺς vocant. Indutiæ. Indutiarũ autem vocabulum, qua sit ratione factum, id diu est quod quærimus. Sed ex multis quæ iã audiuimus vel legimus, probabilius id quod dicam videtur. Indutias sic dictas arbitramur, quasi tu dicas, inde vti iam. Pactum indutiarum eiusmodi est, vt in diem certũ non pugnetur, nihilque incommodi detur: sed ex eo die postea vti iam, omnia belli iure agantur. Quod dicitur dies certus præfinitus, pactumque fit, vt ante eum diem ne pugnetur: atq; is dies vbi venit, inde vti iam pugnetur. Idcirco ex iis, quibus dixi vocibus, quasi per quendam coitum & copulam, nomen indutiarum connexum est. Aurelius autem Opilius in primo librorum, quos Musarum inscripsit: Indutiæ, inquit, dicuntur, cum hostes inter sese vtrinque vtroque alteri ad alteros impune, & sine pugna ineũt. Inde ab eo, inquit, nomen esse factum videtur, quasi initus, atque introitus. Hoc ab Aurelio scriptum propterea non præterii, ne cui harum Noctium æmulo, eo tantum nomine elegãtius id videretur, tanquam id nos originem verbi requirentes fugisset.

ASCEN. In diatriba) id est gymnasio, & ludo literario, vt capite vltimo ostendet ipse Gellius. Architas Tarentinus grauiter de ira locutus est, cuius sententias Architrenius metro complexus est dicens, Ira. Ira malum deforme viris, quo pectus acescit, Sensus hebet, languet studium, solertia lippit, Cæcatur ratio, pietas tepet, alget honestas, Macrescit virtus, vitium pinguescit, inundat Liuor, adest facinus, lex nutat, norma vacillat, Pax titubat, surgit odium, clementia vergit. & cætera eleganter posita. In iram propensiores sunt ieiuni. Inde dicitur ieiuna iracundia. Ab ea autem est maxime cauendum præsertim in puniendo, in quo iratus medium tenere nequeas. Vnde ait Cicero, eos qui præsunt reip. esse debere legum similes, quæ non iracundia sed æquitate ducuntur. Et si sumus nimium rabidi & feruidi, debemus iram vel cũ dispẽdio corrigere aliquo prudenti consilio: vt Cotys rex Thracum iracundus fictilia perfregit vasa, nequis seruorum ea frãgeret, sibique tum legem imponere nequiret. Animus dicitur microlypus impotens nunquam mordens frænum: sed Crypsicholus qui iram dissimulat: sicuti qui mentem celat dolose, crypsinus. Ex hoc capite Cælius in. xij. ait, Quid porro tumore feruido turpius, quidue minus ex rationalis naturæ dignitate valeat vel dici vel excogitari? Sed vt agamus liberius paulo, quid insaniæ similius? Irã quidem dixit Ennius insaniæ initium. Quidam è sapientibus breuem insaniam. Quippe Cato etiam senior iratum ab insania non alio distare aiebat quàm tẽpore. Color, vox, oculi, spiritus, impotentia dictorum atque factorum quam habent sanitatis partem? An non id ex Plutarchi nouimus sympofiacis, Canes vehementiore aduersum feras concepta ira quandoque occæcari? Vt scias (ait Seneca) non esse sanos quos ira possidet, ipsum intuere habitum, flagrant emicantque oculi multus in ore toto rubor est, labra quatiuntur, dentes comprimuntur, surgunt capilli, stridet spiritus gemitus, mugitusque, vt parum explanatis vocibus, sermo præruptus, & complosæ sæpius manus, & pedibus pulsata humus, fœda visu & horrenda facies deprauantiũ se atque intumescentium. De iræ impetu Cælius ex Plutarcho in libro quem Gellius citat περὶ ἀοργησίας loquens adfert exemplum de quodam percussuro aliquem qui agebat asinum: Inclamauit siquidem percutiendus ἀθηναῖός εἰμι. i. Atheniensis sum: non tamen valuit se domare percussurus, sed ira amplius efferuescente, fustibus asellum adortus reclamauit, σὺ μὴ οὐκ εἶ ἀθηναῖος. .i. tu quidem non es Atheniensis. Hæc Mas. Dabat potestatem.) Sunt qui præcipiant dicendum esse, faciebat potestatem. Nam dat inquiunt potestatem qui eam non retinet: facit qui communicat. Super) .i. de irascendo, vtimur enim gerundio vbi Græci infinitiuo cum articulo. Plutarchus, inquit,) Ordo est, Lenti. Taurus inquit, Plutarchus iussit &c. Et ita de vno eodemque Plutarcho sermo est, nec mendum vllum vt animaduertit Badius. Addit Mas. Lenti sunt qui affectibus non mouentur, ac velut æquanimitate torpentes stupent. Propertius, Hostibus eueniat lenta puella meis. Martia. Tu spectas hyemem succincti lentus amici. Est ergo lentitudo quam Græci dicunt ἀοργησίαν, interpres noster vocat inirascibilitatem. Cælium lege in. xij. cap. lij. & seq. v. c. vno tenore. & lib. seq. cap. i. & ij.

Quem in modum mihi Taurus philosophus responderit, percunctanti an sapiens irasceretur. CAPVT XXVI.

Dabat potestatem. INterrogaui in diatriba Taurum, An sapiens irasceretur. Dabat enim sæpe post quotidianas lectiones, quærendi, quod quis vellet, potestatem. Is, cum grauiter & copiose de morbo affectuve iræ disseruisset, quæ & in veterum libris, & in ipsius commentariis exposita sunt: conuertitur ad me, qui interrogaueram, Et hæc ego, inquit, super irascendo sentio. Sed & quid Plutarchus noster vir doctissimus ac prudentissimus senserit, non ab re est, vt id quoque audias. Plutarchus inquit, seruo suo nequam homini & contumaci, sed libris disputationibusque philosophiæ aures imbutas habenti, tunicam detrahi ob nescio quod delictum, cædique eum loro iussit: cœperat verberari, obloquebatur, non meruisse vt vapularet, nihil mali, nihil sceleris admisisse. Postremo vociferari inter vapulandum

incipit,neque iam querimonias aut gemitus eiulatusque facere, sed verba seria & obiurgatoria,Non ita esse Plutarchum,vt diceret,philosophũ:irasci turpe esse: sæpe eũ de malo iræ dissertauisse,librum quoque περὶ ἀοργησίας pulcherrimum conscripsisse.His omnibus,quæ in eo libro scripta sunt,nequaquam conuenire, quòd prouolutus effususque in iram plurimis se plagis multaret. Tum Plutarchus lente & leniter.Quid autem, inquit, verbero,nunc ego tibi irasci videor?ex vultu ne meo,an ex voce,an ex colore,an etiam ex verbis correptum esse me ira intelligis?Mihi quidem neq; oculi,opinor, truces sunt, neque os turbidum,neque immaniter clamo,neque in spumam ruboremve efferuesco,neque pudenda dico,aut pœnitenda, neq; omnino trepido ira, & gestio. hæc enim omnia si ignoras,signa esse irarum solent: & simul ad eum,qui cædebat,conuersus,Interim inquit dum ego atque hic disputamus , hoc tu age . Summa autem totius sententiæ Tauri hæc fuit: non idem esse existimauit ἀοργησίαν καὶ ἀναλγησίαν.Aliudque esse non iracundum animum,aliud ἀνάλγητον ἢ ἀναίσθητον. Nam vt aliorum omnium,quos Latini philosophi affectus vel affectiones,Græci πάθη appellãt,ita huius quoque motus animi, qui cum est vlciscendi causa sæuior,ira dicitur:non priuationẽ esse vtilem censuit,quam Græci στέρησιν dicunt:sed mediocritatem,quam μετριότητα illi appellant. Pathe. Metriotes

IN Caput Primum Libri Secundi.

ASCEN. Inter labores &c. Huic capiti consona scribit Crin.Cap.xi.lib.primi.De Socratis autẽ temperantia scribit nonnulla Laertius lib.ij.in eius vita.Ad hæc Mas.Lege(inquit)Val.Maxi. cap. de patientia & temperantia.Et Hieronymum contra Iouinianum:cuius verba sunt , Socrates Xantippen & Myrtho neptem Aristidis ducis habebat vxores:quæ cum crebro inter se iurgarentur, & ille eas irridere esset solitus quòd propter se fœdissimum hominem,simis naribus,recaluata fronte, capillosis humeris,& repãdis cruribus disceptarent:nouissime verterunt in eum impetum,& male multatum fugiẽtemque diu persecutæ sunt.Quodam autem tempore cum infinita conuicia ex superiori loco ingerenti Xantippe restituisset nihil amplius respondit capite deterso , quàm sciebam futurum vt ista tonitrua hymber sequeretur.Idem citat M.Catonis Cens.vxorem Actoriam Paulam humili loco natam , vinolentam, mentis impotem,& quod nemo posset credere ipsi Catoni superbam & refractariam. Addit idem Philippum Macedonum Regem ab vxore irata exclusum cubiculo , cum de more introire vellet : qui exclusus tacuit, versu tragico suam vltus est iniuriam.Et exercitia corporis : notanda vox , quia suntqui latinam non credant:eo quod exercitatio, & exercitamentum frequentius legantur . Pertinaci statu.est ergo medium vocabulum pertinacia,hoc est tam in bonum quàm in malum.Inconniuens, non motans palpebras.De valetudine prius scripsi. Socratis deformitas. Catonis vxor. Pphilippus Macedo &c.

AVLI GELLII NOCTIVM ATTICARVM COMMENTARIORVM LIBER II.

Quo genere solitus sit philosophus Socrates exercere patientiã corporis,déque eiusdem viri patientia.

CAPVT PRIMVM.

INTER labores voluntarios,& exercitia corporis ad fortuitas patientiæ vices,firmamentum id quoque accepimus Socratẽ facere insueuisse . stare solitus Socrates dicitur pertinaci statu perdius atq; pernox,à summo lucis ortu ad solem alterũ orientẽ incõniuens,immobilis,iisdem in vestigiis,& ore , atque oculis eũdem in locum directis,cogitabundus tanquam quodam secessu mentis atque animi facto à corpore . Quam rem cum Phauorinus de fortitudine eius viri,vt pleraq; differens attigisset,πολλάκις,inquit,ἐξ ἡλίου εἰς ἥλιον ἑστήκει ἀστραβέστερος τῶν πρέμνων . Temperantia quoq; eum fuisse tanta traditũ est,vt omnia fere vitæ suæ tẽpora à valetudine inoffensa vixerit. In illius etiam pestilentiæ vastitate, quæ in bello Peloponnesiaco, in primis ipsam Atheniensium ciuitatem internecino genere morbi depopulata est , is parcendi moderandique rationibus dicitur , & à voluptatum labe cauisse , & salubritates corporis retinuisse, vt nequaquam fuerit communi omnium cladi obnoxius. Exercitia Socratis patientia. Pertinax. Internecinus.

ASCEN. Commodum.i.in ipso tempore,dimissis. Pro foribus,id est ante fores: quod Flandri qui p in v & r fere interuertunt,dicunt vor.Interuertunt in Crusto,curuo, gramine , birgitta, Burgis,aliis innumeris , vt ipsi norunt . Hic,filium ostendit. Patrum iura: idem nonnulli de sacerdotum iure sentiunt: quibus in re diuina, & sacramentis administrandis etiam summi assurgunt : in re autem domestica Pro.

Annalis. & familiari.multi non magni, nimis familiariter vtuntur.Pater proconſul . Egnatius in primam Cicero
Vehens. nis Epiſtolam contendit proconſule & proprætore in nominandi caſu legendum: quod ſic admittam,vt-
Appari- duas particulas pro vna poſitas dicam & aliam ſubaudiam,vt ſit pater proconſule.i.qui pro Conſule ma
tor. giſtratum geſſit in prouincia ſua.In equo vehens. Maro dicit de naui,Et qua vectus Abas.i. qua veheba-
tur,aut illuc vſque vectus erat,vnde notanda vox vehens.Apparebat.vnde apparitores dicti ſunt . Reſpō
dit autem vrbane pater filio, dicens,Volebam ſcire an imperio vti ſcires.de qua re vide Liuium,& Vale-
rium Maximum.

Quæ ratio obſeruatioque officiorū eſſe debeat inter patres filiosq; in diſcūbēdo ſedēdoq;,atq; in id genus rebus,domi forisque,ſi filii magiſtratus ſunt, & patres priuati : ſuperq; ea re Tauri philoſophi diſſertatio,& exēplū ex hiſtoria Romana petitū. C A P.I I.

A D philoſophum Taurum Athenas,viſendi cognoſcendique eius gratia,venerat vir Cl. Præſes Cretæ prouinciæ, & cum eo ſimul eiuſdem Præſidis pater. Taurus ſectatoribus commodū dimiſſis,ſedebat pro cubili ſui foribus,& cum aſſiſtentibus nobis ſermocinabatur. Introiuit prouinciæ Præſes,& cum eo pater. Aſſurrexit placide Taurus,& poſt mutuam ſalutationem reſedit. Allata mox vna ſella eſt,quæ in promptu erat, atque dum aliæ promebantur, appoſita eſt. Inuitauit Taurus patrem Præſidis,vt ſederet. Atque ille ait, Sedeat hic potius , qui Pop. Romani magiſtratus eſt. Abſque præiudicio,inquit Taurus,tu interea ſede,dum inſpicimus,quærimusque,vtrum conueniat te ne potius ſedere qui pater es,an

Filiorū in parētes officium. filium qui magiſtratus eſt. Et cum pater aſſediſſet,appoſitumque eſſet aliud filio quoque eius ſedile,verba ſuper ea re Taurus facit, cum ſumma(dii boni)honorum atque officiorum perpenſatione.Eorum verborum ſententia hæc fuit:In publicis locis atque muneribus atque actionibus patrum iura cum filiorum qui in magiſtratu ſunt, poteſtatibus collata interquieſcere paululum,& conniuere:ſed cum extra Remp. in domeſtica re atq; vita ſedeatur, ambuletur, in conuiuio quoque familiari diſcumbatur : tum inter filium magiſtratum & patrem priuatum publicos honores ceſſare, naturales & genuinos exoriri. Hoc igitur, inquit,quòd ad me veniſtis , quòd colloquimur nunc , quòdde officiis diſceptamus , priuata actio eſt . Itaque vtere apud me iis honoribus prius , quibus domi quoque veſtræ te vti priorem decet . Hæc atque alia in eandem ſententiam Taurus grauiter ſimul & comiter diſſeruit. Quid autem ſuper huiuſcemodi patris atq; filii officio apud Claudium legerimus , non ab re viſum eſt , vt adſcriberemus. Poſuimus igitur verba ipſa Quadrigarii ex Annali eius VI trāſcripta. Deinde facti Cōſules Sempronius Gracchus iterū, Q. Fabius Maximus,filius eius qui priore anno erat Cōſul. Ei Cos.pater Proconſul obuiam in equo vehens venit:neque deſcendere voluit , quòd pater erat : & quòd inter eos ſciebant maxima concordia conuenire, Lictores non auſi ſunt deſcendedere iubere. Vbi iuxta venit,tum Cōſul ait,Deſcendere iube.quod poſtea quàm Lictor ille,qui apparebat cito intellexit,Maximum Proconſulem deſcendere iuſſit.Fabius imperio paret,& filium collaudauit,cum imperium quod populi eſſet,retineret.

Relatiuū redundās. ASCEN. H, litera) Legò literam & opinor particulam,eam,quæ ſequitur ſic redundare,vt ex vſu
ἰχθύς ἱερ. olim poſita ſit. Eſſet viridior)fortior,vt Aenei.vi.Sed cruda deo viridisque ſenecta. Sunt tamen qui legāt virilior:ſed nihil mutem:quia quod viride & veges,forte eſt:& quod forte,virile. ἰχθὺν ἱερόν.) Sic Scribēdum opinor:non vt Cælius ἵδρον:quia ἱδρὸς ſemper aſpiratur : quod animaduertens vt opinor quiſquis eſt interpres,tranſtulit piſcem pauperem, eo quòd Iros pro pauperrimo ab Homero ponitur . verū meo iudicio interpretari debebat,piſcem ſacrum.Nam ἱερ ſacer dicitur,ſed non aſpiratur niſi ab illis qui viridiorem illi ſonum adhibere voluerint,vt qui apud Catullum hionium dixit. Similiter nec ἰχθύς aſpiratur niſi ab affectantibus aſpirare.Sic in illo &c.) id eſt ſcriptum aeni cum nota aſpirationis ſuppoſita , vnde malim aeni ſcribere quamuis Aldus aheni impreſſit,qui etiam vertit non piſcem ſacrum ſed pauperem. Inſpirantis primæ literæ.Refero ad atticos vt ſit accuſatiui caſus,& inſpirantis idem quod aſpirantes.Inchoare ſi à chaos deducitur aſpirandum eſt,ſed in ſecunda, & honuſtum quidam aſpirandū cenſent:quia non ab onere,ſed ab honore deductum.vt Aeneid. primo,Spoliis orientis honuſtum.

Inchoo. Qua ratione verbis quibuſdam vocabuliſque veteres immiſerunt H,literæ ſpiritum. CAPVT III.

H,litera. H, Literam , ſiue illam ſpiritum magis quàm literam dici oportet , inſerebant eam veteres noſtri pleriſque vocibus verborum firmandis roborandisque , vt ſonus earum eſſet viridior , vigetiorque . Atque id

Lachrymæ. videntur feciſſe ſtudio , & exemplo linguæ Atticæ . Satis notum eſt Atticos ἰχθὺν ἱερόν, multa itidem alia , citra morem gentium Græ-

Sepulchrū ciæ cæterarum inſpirantes primæ literæ dixiſſe . Sic lachrymas , ſic ſepulchrum , ſic

ahenum, sic vehemens, sic inchoare, sic hallucinari, sic helluari, sic honera, sic honustum dixerunt. In his enim verbis omnibus, literæ seu spiritus istius nulla ratio visa est, nisi vt firmitas & vigor vocis quasi quibusdam neruis additis intenderetur. Sed quoniã aheni quoque exemplo vsi sumus, venit nobis in memoriam, fidum optatumque multi nominis Romæ grammaticum ostendisse mihi librum Aeneidos secundum mirandæ vetustatis, emptum in Sigillariis xx aureis. quem ipsius Virgilii fuisse credebat. in quo duo isti versus cum ita scripti forent, Vehemẽs. Inchoare. Helluari. Hallucinari. Honera. Honustũ.

Vestibulum ante ipsum, primoque in limine Pyrrhus
Exultat telis, & luce coruscus aena:

additam supra vidimus, h, literam, & ahena factum. Sic in illo quoque Virgilii versu in optimis libris scriptum inuenimus, Aut foliis vndam tepidi despumat aheni.

ASCEN. In titulo. Et quã aliam causam. legendũ est alii. Potissimũ ex duobus &c. Cicero vt opinor, & certe Valla distinguerent, vt dicant vtri potius ex duobus, aut cuinam potissimum ex pluribus. Neque vtra sine altera, diserte dictum. Maserius Gellianam locutionem quasi copulatim (vt ita dicam) legendam defendit hisce verbis. Cic. sane lib. de off. primo ait, Apud eundem Platonem est, eos similiter facere qui inter se contenderent vter potius Remp. administraret: vt si nautæ certarent, quis eorum potissimum gubernaret. & recte quidem. Sed quòd Gelliana locutio sit minus venusta, ego sane pernego. Nam de pluribus dictum intelligitur esse potissimum, si quis Gellium perpenderit. Non enim simpliciter dixit author, cuinã potissimuum de duobus, cum potuisset vtri dicere. Verum addidit pluribusve. Ex duobus siquidem pluribusve qui coniungit, ex pluribus intelligit, ergo cuinam potissimum fuit dicendum. Hæc ille. me tamen à sententia non dimouerit, donec Ciceronianum dictum illi simile adduxerit. Nam si Ciceronis in dicendo puritatem noui, vbi per disiunctiuam, vti est ve particula, loquatur, vtrique clausulæ suum det distributiuum, vt sit vtri potius ex duobus, aut cui potissimum ex pluribus, exquiritur tamen si copulatim sequentia legantur. de qua re vt de plerisque aliis definio & statuo nihil, tantum quod sentio dico. Potissimũ ex duobus

Quam ob causam C. Bassus genus quoddam iudicii Diuinationẽ appellari scripsit: & quam alii causam esse eius vocabuli dixerunt. CAPVT IIII.

Cum de constituendo accusatore quæritur, iudiciumque super ea re redditur, cuinam potissimum ex duobus pluribusve, accusatio subscriptiove in reum permittatur, ea res atque iudicum cognitio, DIVINATIO appellatur. Id vocabulum quam ob causam ita factum sit, quæri solet. C. Bassus in tertio librorum, quos de origine vocabulorum cõposuit, Diuinatio, inquit, iudicium appellatur, quoniam diuinare quodammodo iudicem oporteat, quam sententiam sese ferre par sit. Nimis quidem est in verbis C. Bassi ratio imperfecta, vel magis inops & ieiuna. Sed videtur eũ significare velle, idcirco dici Diuinationem, quòd in aliis quidem causis iudex ea, quæ dicit, quæq; argumentis vel testibus demonstrata sunt, sequi solet: In hac autem re, cum eligendus accusator est, parua admodũ & exilia sunt, quibus moueri iudex possit, & propterea quinam magis ad accusandum idoneus sit, quasi diuinandum est. Hæc Bassus. Sed alii quidem Diuinationem esse appellatam putant, quoniam cum accusator & reus duæ res quasi cognatæ coniunctæque sint, neque vtra sine altera constare possit, in hoc tamen genere causæ reus quidem iam est, sed accusator nondum est: & idcirco, quod adhuc vsq; deest, & latet, diuinatione supplendum est, quisnam sit accusator futurus. Diuinatio.

ASCEN. Quod de Lysiæ oratione Phauorinus, id de Salustii cõtextu prædicãt fere omnes. Sane diuus Hieronymus tertio tractatu cap. xxxviii. cõtra Ruffinũ ait sic, Chrysippus & Antipater inter spineta versantur: Demosthenes & Aeschines contra se inuicẽ fulminant: Lysias & Isocrates dulciter fluunt.

Quam lepide designateque dixerit Phauorinus philosophus, quid intersit inter Platonis & Lysiæ orationem.

Phauorinus de LYSIA & PLATONE solitus est dicere, Si ex Platonis oratione verbum aliquod demas, mutesve, atq; id commodissime facias, de elegãtia tantum detraxeris: si ex Lysiæ, de sententia. Platonis Lysiæque orationes.

ASCEN. Non laude indignus) aut apponendum aut certe subaudiendum est solum. Quassare à quatere: ergo quatio verbum primarium, vnde fit quasso, quod in compositione mutatur in cutio, vt percutio, incutio, concutio, discutio. Terram Italiam, appositio est, & tamen supra dixit, terram græciæ. καὶ μωρὸς. id est & stultus, sic quoque Eras. legit, & versus legendum indicat, non κήπωρος, quod est holitor, vt est videre Adagio. D X V I. Chil. primæ vbi locum plenius explicat: quare non vertetur holitor, sed stultus. Hæc est definitio, subaudi voluptatis, doloris detractio. Aldus iuxta veterem Quatio. Terra Italia,

lectionem impressit, sed in interpretatione quam ad calcem subdit μωρὸς ἀνὴρ reposuit, & sic totum interpretatus est, Sæpe & stultus vir valde opportunum dixit. Maserius nunc contrà sentit versum claudicare si moros legatur: quocirca veterem lectionem reposui, adieci tamen quæ nuper addidit, eaque sunt hæc, Versus græcus claudicat in tertia sede, pyrrichium ostendens, & si μωρὸς placet, post πολλάκι, pone δὲ. nec tamen moneo antiquum textum mutandum, quando eodem Erasmo teste, nullus sit ingenii tam deplorati quin aliquando dicat faciatve, quod laudem promereatur. Et idem refertur à Macrobio libro sexto Saturnalium. Addo ex Virgilio præcipuum sentẽtiæ, nequis post Seruium sub mandragora resupinus iaceat dormitans, Quid loquar aut Scyllam Nisi, quam fama secuta est, Candida succinctam &c. Nec iniucundum erit si quid sentiãt authores grauissimi explicare. Ait Seruius mutatam historiam, Scyllãque Nisi dictam pro Phorci filia. Nam constat hanc in monstrum versam marinum, illam in auem. Itemque Philippus Beroaldus asserit in illum Propertii locum lib.iiij. Quid mirum in patrios Scyllam sæuisse capillos, Candidãque in sæuos inguina versa canes. Cæterum Iacobus Bononien. in adnotationibus in Virgilium ait fabulam fuisse veram. quam ponit Virgilius in ludicro Virgiliano: quin ex eodem poeta idem Iacobus asseuerat dictum & probat validum in opusculo ad Messalam de Cyri: sed & Ouidius cuius authoritate fulciuntur plerique omnes, ait, Per nos Scylla patri canos furata capillos Pube premit rabidos inguinibusque canes. Idem, Præterita cautus Niseide nauita gaudet, scilicet filia Nisi. sed & Strabonis authoritate illud approbat. Hæc Maserius: quibuscum Bononien. sentit, Scyllam Nisi in monstrum marinum mutatam. qui tamen cum Seruio sentire voluerit, dicat aut moris esse poetici omnia ab cognominibus gesta vni abscribere, vt Ioui, Herculi, Theseo: quæ à pluribus eiusdem nominis gesta sunt: & ita vni Scyllæ quæ à duabus commissa: aut in carmine Virgilius perperam subductam aut particulam: vt sit integra lectio, Quid loquar aut Scyllam Nisi, aut quam (sup. Scyllam Phorci) fama secuta est &c. Budæus in adnotationibus in Pandectas graphice definit quis illaudatus & quis inculpatus dicendus. Dianæ Ephesiæ templum in toto orbe opulentissimum incendit Herostratus, quo die Alexand. Magnus natus est: qui deprehensus interrogatusque cur id fecerit, respondit, vt tam nobili scelere nominis sui famam immortalem relinqueret: ideo publico edicto cautum est, nequis eum nominaret: parumque abfuit quin penitus innominatus mansisset. Certum est autem præstare penitus latere quàm sic innotescere. Et hic poeta, de quo loquimur, qui est Virgilius. In quem adnotari solet, quòd Busyris non fuerit penitus illaudatus, quia Isocrates eum in quadam oratione laudauit, qui & Socratem vituperauit, vt asserit Philelphus epist.ix.lib.ix.voluminis secundi. vnde Seruius illaudati dixit id est illaudabilis, nõ quem nemo laudauit, sed qui laudari non meruit: sic Aeneid.vij. Diues inaccessos vbi solis filia lucos: inaccessos non quos nullus accessit, sed nemo accedere debeat, quasi inaccessibiles merito nõ potentia. Baptista autẽ Pius illud Plauti sic legit. Id vt scias Iouẽ supremũ testem laudo: & exponit, id est nomino, & cito. vide ipsum cap. iij. adnotation. poster. Plutarchus in vita Alexandri magni ait ex aliquorum sententia Alexandrũ fuisse natum circa Idus Augusti, quo die templum Dianæ Ephesiæ concrematum sit. Sicut Egesias ille Magnesius vociferatus est. cuius adeo truculenta extitit inclamatio, vt ipsum debuerit extinguere incendiũ. Ex iure enim Dianæ templum arsisse inquit, quæ in Alexandri ortu perquam diligens accurataque fuit obstetrix. Vniuersi vero magi ac sacerdotes Ephesii alias per hoc incendium portendi calamitates præsagientes, percussa facie vociferantes discurrebant, ea die magnam Asiæ pestem simul & perniciem exoriri. Factum dicitur à tota Asia.cxx. annis templum illud. Primus fabricatus est templum Archiphron: postea eo maius factum, quod Herostratus famæ acquirendæ gratia incendit. Et quod Gellius adfert citans, Pius addit supplicium sane dignum fuisse, sed minime obtemperatum, quando vsque ad nostrã ætatem sacrilegi nomen peruenit: verum cum infamia & dedecore, cuiusmodi nunc Neronis, & proditoris Iudæ inuidiosum est nomen. Huic templo pepercerat Xerres: constructum inde est aliud præstãtius, mulierum ornamentis. Voluit insuper Alexander expensas soluere si rei titulo gauderet, quod non est impetratum. Hæc Maserius tumultuarie collegit.

[Margin: Herostratus. — Busyris laudatus. — Ephesii tẽpli incendium.]

Quibus verbis ignauiter & abiecte Virgilius vsus esse dicatur: & quid iis qui id improbe dicunt, respondeatur. CAPVT VI.

[Margin: Cornutus. Buco.vi.]

NOnnulli Grãmatici ætatis superioris, in quibus est Cornutus Anneus, haud sane indocti, neq; ignobiles, qui cõmentaria in Virgiliũ cõposuerunt, reprehendũt, quasi incuriose & abiecte verbũ positũ in his versibus,

» Candida succinctam latrantibus inguina monstris
» Dulichias vexasse rates, & gurgite in alto
» Ah timidos nautas canibus lacerasse marinis.

[Margin: Vexare.]

VEXASSE enim putãt verbũ esse leue, & tenuis ac parui incõmodi, nõ tãtæ atrocitati cõgruere, cũ homines repẽte à bellua immanissima rapti laniatique sint. Item aliud huiusmodi reprehẽdũt,

Omnia iam vulgata: quis aut Eurysthea durum,
Aut illaudati nescit Busyridis aras?

[Margin: Illaudatus]

ILLAVDATI parum idoneũ esse verbum dicunt, neq; id satis esse ad faciendã scelerati hominis detestationem: qui quòd hospites omnium gentium immolare solitus fuit, non laude solũ indignus, sed detractione execrationeque totius generis humani dignus esset.

Item aliud verbum culpauerunt,

Per tunicam ſqualentem auro latus haurit apertum.

Tanquam non conuenerit dicere, auro ſqualentem, quoniam nitoribus ſplẽdoribusq; auri ſqualoris illuuies ſit contraria. Sed de verbo vexaſſe ita reſponderi poſſe credo. VEXASSE graue verbum eſt: factumque ab eo videtur, quod eſt vehere, in quo ineſt iam vis quædam alieni arbitrii. Non enim ſui potens eſt qui vehitur. Vexare autem, quod ex eo inclinatum eſt, vi atque motu proculdubio vehementiore eſt. nam qui fertur, & raptatur, atque huc, atque illuc diſtrahitur, is vexari proprie dicitur: ſicut taxare preſſius crebriusque eſt quàm tangere, vnde proculdubio id inclinatũ eſt: & iactare multo fuſius largiusque eſt, quàm iacere, id vnde verbum traductum eſt. Et quaſſare, quàm quatere grauius violentiusque eſt. Non igitur quia vulgo dici ſolet, vexatum eſſe quem fumo aut vẽto, aut puluere laborare videmus, propterea debet vis vera atque natiua verbi deperire, quæ à veteribus, qui proprie atque ſignate locuti ſunt, ita vt decuit, obſeruata eſt. M. Catonis verba ſunt ex oratione, quam de Achæis ſcripſit, Cumque Annibal terram Italiã laceraret, atque vexaret. Vexatam Italiam dicit Cato ab Annibale: quando nullum calamitatis, aut ſæuitiæ, aut immanitatis genus reperiri queat, quod eo tempore Italia non perpeſſa ſit. M. Tullii IIII in Verrem, Quæ ab iſto ſic ſpoliata atque direpta eſt, vt „ non ab hoſte aliquo, qui tamen in bello religionem & conſuetudinis iura retineret, ſed „ vt à barbaris prædonibus vexata eſſe videatur. De ILLAVDATO autem duo videntur reſponderi poſſe. Vnum eſt huiuſmodi, Nemo quiſquam tam efferis eſt moribus, quin faciat, aut dicat nonnunquam aliquid quod laudari queat. vnde hic antiquiſſimus verſus vice prouerbii celebratus eſt, πολλάκι καὶ κηπωρὸς ἀνὴρ μάλα καίριον εἶπεν. Sed enim qui omni in re atque omni tempore laude omni vacat, is illaudatus eſt: isque omnium peſſimus deterrimusque eſt. Sicuti omnis culpæ priuatio, INCVLPATVM facit: inculpatus autem inſtar eſt abſolutæ virtutis. Illaudatus igitur quoque finis eſt extremæ malitiæ. Itaque Homerus non virtutibus appellandis, ſed vitiis detrahẽdis laudare ampliter ſolet: hoc enim eſt,

Ηὔδα μάντις ἀμύμων.

Et

τὼ δ' οὐκ ἄκοντε πετέσθην.

Et item illud.

ἔνθ' οὐκ ἂν ὑβρείζοντα ἴδοις ἀγαμέμνονα δῖον,
οὐδὲ καταπτώσσοντ' οὐδ' ἐθέλοντα μάχεσθαι.

Epicurus quoque ſimili modo maximam voluptatem, detractionem priuationemq; omnis doloris definiuit his verbis, ὅρος τοῦ μεγέθους τῶν ἡδονῶν, ἡ παντὸς τοῦ ἀλγοῦντος ὑπεξαίρεσις. Eadem ratione idem Virgilius INAMABILEM dixit ſtygiam paludem. Nam ſicut illaudatum κατὰ laudis στέρησιν, ita inamabilem κατὰ amoris στέρησιν deteſtatus eſt. Altero modo illaudatus ita defenditur. LAVDARE ſignificat priſca lingua nominare, appellaréque: ſic in actionibus ciuilibus laudari id dicitur, quod eſt nominari. Illaudatus enim eſt quaſi illaudabilis, & innominabilis, qui neque mentione aut memoria vlla dignus, neque vnquam nominandus eſt. Sicuti quõdam à communi cõſilio Aſiæ decretum eſt, vti nomen eius, qui templum Dianæ Epheſiæ incenderat, ne quis vllo in tempore nominaret. Tertium reſtat ex iis quæ reprehenſa ſunt, quòd tunicam ſqualentem auro dixit. Id autem ſignificat copiam denſitatemque auri in ſquamarum ſpeciem intexti. SQVALERE enim dictum eſt à ſquamarum crebritate aſperitateque, quæ in ſerpentium piſciumque coriis viſuntur. Quam rem & alii, & hic idem poeta locis aliquot demonſtrat.

Quem pellis, inquit, ahenis
In plumam ſquamis auro conſerta tegebat.

Et alio loco,

Iamque adeo rutilum thoraca indutus ahenis
Horrebat ſquamis.

Accius in Pelopidis ita ſcribit,

Eius ſerpentis ſquamæ ſqualido auro, & purpura prætextæ. Quicquid igitur nimis inculcatum obſitumque aliqua re erat, & incuteret viſentibus facie noua horrorem, id ſqualere dicebatur: ſic in corporibus incultis ſquamoſisque alta congerie ſordium, ſqualor appellabatur. Cuius ſignificationis multo aſſiduoque vſu totum verbum ita contaminatum eſt, vt iam ſqualor de re alia nulla, quàm de ſolis inquinamentis dici cœperit.

Squalẽs. Vexo. Veho. Liberum arbitrium Taxo. Iacto. Quaſſo. Quatio. Illaudatũ. Inculpatus. Inamabilis Laudare. Dianæ Epheſiæ templum. Squaleo. Coriũ piſcium.

Omnia parendum. ASCEN. Omnia esse quæ pater iusserit parendum. Nouum loquendi genus, præsertim cum prius dixerit omnibus quæ pater imperat parendum. vnde reposuissem, omnibus, nisi mox legissem, Quædam esse parendum, quædam non obsequendum. Quæ locutio si sincera est, dicam Græcam esse figuram vt illic, cætera Graius, cætera secundum cætera aut in cæteris, & hic omnia, pro in omnibus, & quæ obsequi, pro in quibus: aut transsumitur obsequi, quasi sit obsequenter facere. De hac sic Mas. Locutio est (inquit) peruenusta. qua etiam Papi. in Achilleide vtitur, Non adeo parebimus omnia matri. Sic enim licet loqui, Nihil posthac tibi parebo, nec tibi quicquam parendum est, & parendum est omnia parentibus: nouissima tamen locutio, vt Gelliana est maxime poetica, sed elegantissima. Addit idem, Propudium est hominis si probrosa eius sequatur mollities. Vide F. Pompe. Ea ne si imperet quidē, repete, fieri oportet. Adiaphora sunt quæ nostri dicunt indifferentia: Mesa quæ nos media. Propudiosam, quæ palam impudica sit, & pudorem abiecerit. Catilinam, Bibulum, & Clodium Cicero diffamauit. Extant etiam Sallustii in Catilinam scipta. Legitimum disiunctum. i. argumentum ex insufficienti enumeratione.

Propudiū.

De officio erga parentes liberorum, déque ea re ex philosophiæ libris, in quibus scriptum quæsitumque est, an semper in omnibus, patris iussis obsequendum sit. CAPVT VII.

Officiū liberorū in parentes.

QVæri solitum est in philosophorum disceptationibus, An semper inque omnibus iussis patri parendum sit. Super ea re Græci, nostrique, qui de officiis scripserunt, tres sententias esse, quæ spectandæ considerandæq; sint tradiderunt, easque subtilissime diiudicauerunt. Earum vna est, omnibus, quæ pater imperat, parendum: Altera est, In quibusdam parendum, quibusdam non obsequendum: Tertia est, Nihil necessum est patri obsequi & parere. Hæc sententia quoniam primore aspectu nimis infamis est, super ea, quæ prius dicta sunt, dicemus. Aut recte inquiunt imperat pater, aut perperam. Si recte imperat, non quia imperat parendum: sed quoniam id fieri ius est, faciendum est. Si perperam, nequaquam scilicet faciendum, quod fieri non oportet. Deinde ita concludunt: nunquam est igitur patri parendum, quæ imperat. Sed neque istam sententiam probari accepimus. argutiola quippe hæc, sicuti mox ostendemus, friuola & inanis est. Neque autem illa quam primo in loco diximus, vera & proba videri potest: omnia esse, quæ pater iusserit parendum. Quid enim si proditionem patriæ, si matris necem, si alia quædam imperarit turpia, aut impia? Media igitur sententia optima atque tutissima visa est, Quædā esse parendum, quædam non obsequendum. Sed ea tamen quæ obsequi non oportet, leniter & verecunde, ac sine detestatione nimia, sine opprobratione acerba reprehensionis declinanda sensim, & relinquenda magis esse dicunt, quàm respuenda. Conclusio vero illa qua colligitur sicuti supradictum est, nihil patri parendum, imperfecta est: refutariq; ac dilui sic potest, Omnia, quæ in rebus humanis fiunt, vt docti censuerunt, aut honesta sunt, aut turpia. Quæ sua vi recta aut honesta sunt, vt fidem colere, vt patriam defendere, vt amicos diligere: ea fieri oportet, siue imperet pater, siue non imperet. Sed quæ his contraria, quæque turpia & omnino iniqua sunt: ea ne si imperet quidem. Quæ vero in medio sunt, & à Græcis tum ἀδιάφορα tum μέσα appellantur, vt in militiam ire, rus colere, honores capessere, causas defendere, vxorem ducere, vti iussum proficisci, vt accersitum venire: quoniam & hæc & his similia per sese ipsa neque inhonesta sunt neque turpia, sed perinde vt à nobis aguntur, ita ipsis actionibus aut probanda fiunt aut reprehendenda: propterea in eiusmodi omnium rerum generibus patri parendum esse censent, veluti si vxorem ducere imperet, aut causas pro reis dicere: quôd enim vtrumq; in genere ipso, per sese neque honestum, neque turpe est: iccirco si pater iubeat, obsequendum est. Sed enim si imperet vxorem ducere infamem, propudiosam, criminosam: aut pro reo Catilina aliquo, aut C. Bibulo, aut P. Clodio causam dicere, non scilicet parendum: quoniam accedente aliquo turpitudinis numero, desinunt esse per sese hæc media atque indifferentia. Non ergo integra est propositio dicenda, aut honesta sunt, quæ imperat pater, aut turpia. Neque ὑγιὲς νόμιμον διεζευγμένον videri potest, deest enim disiunctioni isti tertium, aut neque honesta sunt, neque turpia: quod si additur, potest ita concludi, nonnunquam est igitur patri parendum.

Nota loquendi genus.

Media.

Propudiosa.

ASCEN. De morte multa differit Macrobius de somnio scipionis. Syllogismum sic imperfectum sunt qui enthymema vocent: in quo non omnibus antepositis infertur festinata conclusio.

Quòd parum æqua reprehensio Epicuri à Plutarcho peracta sit in syllogismi disciplina. CAPVT VIII.

PLVTARCHVS secundo librorum,quos de Homero cóposuit,imperfecte atque præpostere atque inscite syllogismo esse vsum Epicurũ dicit. Verbáque ipsa Epicuri ponit, ὁ θάνατος οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. τὸ γὰρ διαλυθὲν ἀναισθητεῖ. τὸ δὲ ἀναισθητοῦν οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. Nam prætermisit,inquit, quod in prima parte sumere debuit, ὁ θάνατος ψυχῆς καὶ σώματος διάλυσις. Tũ deinde eodem ipso,quod omiserat,quasi posito concessóque,ad confirmandum aliud vtitur.progredi auté hic,inquit,syllogismus nisi illo prius posito non potest. Vere hoc quidem Plutarchus de forma & ordine syllogismi scripsit.Nam si,vt in disciplinis traditur, ita colligere & ratiocinari velis,sic dici oportet, ὁ θάνατος ψυχῆς καὶ σώματος διάλυσις. τὸ δὲ διαλυθὲν ἀναισθητεῖ. τὸ δὲ ἀναισθητοῦν οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. Sed Epicurus cuiusmodi homo est,nó inscitia videtur partem illam syllogismi prætermisisse. Neque id ei negocium fuit, syllogismum,tanquã in scholis philosophorum cum numeris omnibus & cum suis finibus dicere. Et profecto quia separatio animæ & corporis in morte euidens est, non est ratus necessariam esse eius admonitionem,quod omnibus prorsus erat obuium : sicuti etiam quòd conclusionem syllogismi non in fine posuit,sed in principio. Nam id quoque non imperite factum,quis non videt? Apud Platonem quoque multis in locis reperias syllogismos repudiatos,conuersóque ordine isto,qui in docendo traditur,cum eleganti quadam reprehensionis contentione positos esse. Epicuri reprehensio. Epicuri defensio.

ASCEN. Simili defensione qua Epicurũ defendit Gellius, quòd grauis philosophus non curauit leuiculas vocularum differentias,existimans eas ad rem parũ facere: defendunt sese literarum minus periti si in elegantias peccant:quorum alij citant illud Gregorij,Rem diuinam non subiacere legibus grãmaticis.alij illud Manilij, Ornari res ipsa negat contenta doceri. Quod quàm feliciter faciant ipsi viderint.Certum est cum ea quæ pueri didicerint,tam anxie seruent:etiam reliqua obseruaturos si norint.

Quod idem Plutarchus euidenti calumnia verbum ab Epicuro dictum insectatus sit. CAPVT IX.

IN eodem libro idem Plutarchus eundem Epicurum reprehendit,ꝙ verbo vsus sit parum proprio & alienæ significatiõis. Ita enim scripsit Epicurus, ὅρος τοῦ μεγέθους τῶν ἡδονῶν, ἡ παντὸς τοῦ ἀλγοῦντος ὑπεξαίρεσις. Non inquit παντὸς τοῦ ἀλγοῦντος, sed παντὸς τοῦ ἀλγεινοῦ dicere oportuit. Detractio enim significanda est doloris,inquit,non dolentis. Nimis minute ac prope etiã subfrigide Plutarchus in Epicuro accusando λέξεις τηρεῖ. has enim curas vocum, verborúmque elegantias, non modo non sectatur Epicurus,sed etiam insectatur. Participij pro verbali vsurpatio.

ASCEN. Fest.Pomp.ait,Fauissas appellabant lacum in quo erãt aquæ circa templum inclusæ. Et subdit, Sunt autem qui putant fauissas esse in capitolio cellis cisternisque similes, vbi reponi solita erant, quæ in templo nimia erant vetustate collapsa. Area capitolina.etiam illud spatiũ capax quod erat in medio capitolij in arce Tarpeia.Id esse cellas.Cellæ à celando dicuntur,vt sunt cisternæ,& cryptæ, & hypogæa,id est subterranea loca,maxime ad celandũ destinata.vnde & patres prisci, antra & cauernas in quibus latitabant cellas vocabant.Apte etiam fauissas,aut flauissas nũc appellaremus sacraria,in quibus æditui,sacra condunt.Donarijs consecratis,dubito num legendum sit consecrata:vt sit, & alia loca consecrata religiose donarijs,id est donis templorum & deorum conseruandis, sicque contra Vallam nihil hic locus ageret.quòd si sacrarijs pro locis sacrorum posuit,cum Seruio sentit.Vide Vallam . Si est consecratis legendum,ordo est,& alia quædam reponi solerent religiose,sup.in donarijs cõsecratis. Maf.Lego inquit donarijs cõsecrata cũ Mancinello,cuius verba supponã præcedentibus illis quæ ab Laurentio producuntur,vt exactius fiat iudicium. ait Valla,Donaria non locus repositorius donorum,sed ipsa dona:licet Seruius vbi dona sunt:vt lectisternia dicuntur vbi homines in templo sedere consueuerunt &c. Mancinellus vero ait donaria esse loca in quibus dona sunt reposita deorum, abusiue autem templa vt Seruius inquit. Verum est.Maro enim libro.iij.Georg.ait, Tempore non alio dicunt regionibus illis Quæsitas ad sacra boues Iunonis,& vris Imparibus ductos alta ad donaria currus. Aulus etiã Gellius lib.ij.cap.x.ita inquit, Vbi reponi solerent signa vetera,quæ ex eo templo collapsa essent & alia quædã reliogiose donarijs consecrata.Et Apul.lib.ix.Cantharóque & ipso simulachro , quod gerebam apud fani donarium redditis ac consecratis,altera die &c . Idem lib.ij.Floridorum de Iunonis fano apud Samum inter alia sic scribit, Ibi donarium deæ perquam opulentum plurima auri & argenti ratio,in lancibus, speculis,poculis, & huiusmodi vtensilibus &c.Macrobius autem donaria pro ipsis donis posuit.Ait enim lib.iij.Satur. Ornamento vero sunt coronæ,clypei,& huiusmodi donaria. Neque enim donaria semper dedicãtur eo tempore quo delubra sacrantur.Hæc per Maserium.Aldina tamen impressio consecratis habet, Fauissæ. AEditui. Donaria.

Quid sint Fauissæ capitolinæ,& quid super eo verbo M. Varro Ser.Sulpitio quærenti rescripserit. CAPVT X.

Fauissæ Capitolinæ.

SERVIVS Sulpitius iuris ciuilis author, vir bene literatus,scripsit ad M.Varronem,rogauitque vt rescriberet, quid significaret verbum, quod in Censoriis libris scriptum esset:id erat, FAVISSAE Capitolinæ. Varro rescripsit,in memoria sibi esse,quod Q.Catulus curator restituendi Capitolii dixisset,Voluisse se aream Capitolinam deprimere,vt pluribus gradibus in ædem conscenderetur,suggestúsque pro fastigii magnitudine altior fieret: sed facere id non quisse,quoniam Fauissæ impedissent. Id esse cellas quasdam & cisternas,quæ in area sub terra essent,vbi reponi solerent signa vetera,quæ ex eo templo collapsa essent, & alia quædam religiose donariis consecrata. At deinde eadem epistola negat quidem se in literis inuenisse,cur fauissæ dictæ sint: sed Q.Valerium Soranum solitum dicere ait, quos thesauros Græco nomine appellaremus, priscos Latinos FLAVISSAS dixisse, ꝙ in eos non rude æs,argentúmque: sed flata signatáque pecunia conderetur. Conjectare igitur se,detractam esse ex eo verbo secundam literam, & fauissas esse dictas cellas quasdam & specus,quibus æditui capitolini vterentur ad custodiendas res veteres religiosas.

Thesauri. Flauissæ.

ASCEN. COSS.i.Consulibus. De Sicinio Dentato,vide Val. Maxim.in cap.de fortitudine, vbi dicit Q.Cotium virum mirandæ fortitudinis Achillem Romanum dictum. Cicatricem auersam.i.ex vulnere facto illi auerso ab hoste,hoc est in tergo aut dorso. Aduersas.i.in pectore &c. Ex hoc autem loco potuit Valla colligere præceptum elegantiæ de numero maiore præponendo cum coniunctione post cētum,& de minore post viginti.sed citra centum. dicit enim,Centū & viginti.quinque &.xl.Et paulo post tribus & lxxx.& quinquies viciésque.Triumphauit triūphos,sicut viuo vitam, vado viam,curro cursum. De coronis autem alibi differetur,vt indicat tabella.Prouocatoria, quæ meruit prouocatus, quod humanius est quàm prouocasse.Venusta est locutio pugnasse in hostem,pro qua alij cum hoste vel contra hostem.Sed addimus à Mas.adnotata.verum mēdose legitur vigesies tricies,nec recte vicies tricies, id enim significaret sexcenties,vnde legam ter & vicies pro xxxiij.vicies ter.Plutarchus in vita Pauli AEmilij ait M.Seruilium vicies & tricies singulari certamine vicisse,& hostem trucidasse. Idem in vita Coriol.Solinus ait Cæsaris auspicio,vndecies cētum nonaginta & duo milia hostium fuisse cæsa,non adnotatis quos bella ciuilia perdiderunt. Addit M.Marcellum nouies & tricies pari modo fuisse præliatum.Mira de Arturo dicuntur & Carolo Magno quæ fidem non admittunt.Narrare solet D. Acignæius heros Coetmenius Britonem fuisse Alanum Rioldum (si memini)qui humo leuauerit anchoram ferream vndecies centum libris pondere respondentem.Cæl.lib.xj.ca. xlix.Inserit,hastis puris duodeuiginti.Idem Solinus cap. iiij.qui & M.Sergium laudat maxime. Addit præterea quòd Hermolaus Barb.ait in.xxviij.lib. Plin.hist. cap.vij.Brachialia esse eam manus partem quam Græci carpon vocant.Item ornamentū eius partis brachiale dici posse,vt ab armo armillam.Iungit ab armis armillinos mures Alpium & Septemtrionis: quorum candor est eximius,quoniam ex eis pelles ambire vestium manicas armillæ modo consueuissent:nūc totis subduntur vestibus,lectorum quoque stragulis.Io.Bap.Pius aliud dicit de pellibus eriminijs.Gloriari solent milites nulla cicatrice auersa,aduersa vero plurima:idque cum quidam faceret,recepto vulnere notabili in frontem,iactabundus propterea:leniter sic est ab Augusto castigatus, Quum fugies, post te ne respexeris.Hæc Mas.Hoc autem dicto innuit Augustus non esse gloriandum de tali vulnere quod potuerit fugiendo & post se respiciendo accepisse: ne igitur inquit post te respexeris, ne forte alterum vulnus accipias.

M.Seruilius. Cæsar. Marcellus

Brachialia. Armillini mures.

Scomma Augusti.

De Sicinio Dentato egregio bellatore multa memoratu digna. CAP. XI.

Sicinius Dentatus. Achilles Romanus

L. SICINIVM Dentatum,qui Trib.Pleb.fuit Sp.Tarpeio,A.Thermo COSS.scriptum est in libris Annalium, plus quàm credi debeat,strenuū bellatorem fuisse:nomenque ei factum ob ingentem fortitudinem,appellatúmque esse Achillem Romanum.Is pugnasse in hostem dicitur centū & XX præliis.Cicatricem auersam nullam,aduersas quinque & XL tulisse.Coronis esse donatum aureis octo,Obsidionali vna,Muralibus tribus,Ciuicis XIIII. Torquibus tribus & LXXX. Armillis plus centum LX. Hastis duodeuiginti. Phaleris item donatū quinquies viciésque.Populi militaria dona habuit multiiuga:in his prouocatoria pleraque.Triumphauit cum Imperatoribus suis triumphos nouem.

ASCEN. Vt sempiternæ maneret. Monitu Solonis Athenien.iurasse dicūtur eas seruare vsque ad reditū eius:qui propterea vt perpetuæ essent nūquā rediturus abijt.Plutarch.in vita Solonis ait sic,Statuit autē in centū annos leges oēs ratas haberi quæ in ligneis tabulis descriptæ sunt, quos axonas appellauit: quorum paruæ quædam reliquiæ in Prytaneo ad nostram vsque memoriā peruenere.Eos vt Arist.tradit,

Cirbes nūcupabant. Et Cratinus comicus quodam in loco de Solone & Dracone ait, Quibus non iam legumina & ficus cirbibus ſiccant. Quidam vero opinantur, in quibus ſacra tantum ſolenniáque continentur, cirbes, axones autem reliquos appellari. Secundam ciruicis vertebrā axona Hermolaus vocitat, quòd ſit immobilis ceu axis: vt primam ſtrophea & epiſtrophea, & ex Hippocrate odonta vltimam, atlantem, quia modo baiuli & tibicinis onera ſuſtinet. Atque diſceſſio. poſſet ſcribi diſſeſſio à diſſidēdo: vnde fit diſſidium: niſi adderetur in duas partes. Alterutra parte, ſubaudi ab aut ex, aut lege alterutri parti. aut ſicut poſtea, ad alterutram partem. Viam muniant. hoc quoque Valla ex hoc vt credo adnotauit. Cirbes. Axones.

Conſiderata perpēſaq; lex quædā Solonis, ſpeciem habēs primorē iniquæ iniuſtæque legis, ſed ad vſum & emolumentū ſalubritatis penitus repertam. CAP. XII.

IN legibus SOLONIS illis antiquiſſimis, quæ Athenis axibus ligneis inciſæ ſunt, quáſq; latas ab eo Athenieſes, vt ſempiternæ manerēt, pœnis & religionibus ſanxerunt: legem eſſe Ariſtoteles refert ſcriptam ad hāc ſententiam, Si ob diſcordiam diſſenſionémque ſeditio atque diſceſſio populi in duas partes fieret: & ob eam cauſam iritatis animis vtrinq; arma caperentur, pugnaretúrque: tum qui in eo tempore, in eóq; caſu ciuilis diſcordiæ, nō altetutra parte ſeſe adiūxerit, ſed ſolitarius ſeparatúſque à communi malo ciuitatis ſeceſſerit: is domo, patria, fortuniſque omnibus careto, exul extorriſque eſto. Cum hanc legē Solonis ſingulari ſapientia præditi legiſſemus, tenuit nos grauis quædam in principio admiratio, requirentes quam ob cauſam dignos eſſe pœna exiſtimarit, qui ſe procul à ſeditione, & ciuili pugna remouiſſent. Tum qui penitus atque alte vſum ac ſentētiam legis inſpexerat, non ad augendam, ſed ad deſinendam ſeditionem, legē hanc eſſe dicebat. Et res prorſum ſe ſic habent. nam ſi boni homines, qui principio coercendæ ſeditionis impares fuerint, populúmque percitum & amentem non deterruerint, ad alterutram partem diuiſi ſeſe adiunxerint: tum eueniet vt cum ſocii partis ſeorſum vtriuſq; fuerint, eóq; partes ab iis, vt maioris authoritatis viris, temperari ac regi cœperint, concordia per eos potiſſimum reſtitui conciliarique poſſit: dum & ſuos apud quos ſunt, regunt atque mitificant, & aduerſarios ſeruatos magis cupiunt, quàm perditos. Hoc idem Phauorinus philoſophus inter fratres quoque aut amicos diſſidenteis oportere fieri cēſebat: vt qui in medio ſunt vtriuſque partis beneuoli, ſi in concordia amittenda parum authoritatis, quaſi ambigui amici habuerint, tum alter in alteram partem diſcedant, ac per id meritum viā ſibi ad vtriuſq; concordiā muniant. Nunc autem plerique, inquit, partis vtriuſq; amici, quaſi probe faciant, duos litigātes deſtituunt & relinquunt, deduntq; eos aduocatis maleuolis, aut auaris, qui lites animáſque eorum inflamment, aut odii ſtudio, aut lucri.

Lex Solonis. Concord Deſinēda. Legis vſus Litium deteſtatio.

ASCEN. De filio vno exemplum eſt hic ex Sempronio. de filia apud Terētium: cui liberos cōmittas tuos. Quòd autem liberi vſque ad trinepotem dicātur, oſtēdit Crin. lib. xv. ca. viij. Bechichemius Scodrus adnotauit in collectaneis Quintilianum vſum fuiſſe vocabulo liber pro filio numero ſingulari. Valla docet cum ad ea quæ ſingulari carent relatio in plurali ſit facienda: vt literas binas mihi dediſti, quarū alteras &c. non alterā: tamen ad liberos in ſingulari fieri. quod ex hoc capite potuit animaduertiſſe: dicitur enim, liberos ſuos, eum quem virilis ſexus. Sane cum dicitur, Nam Gracchus domo &c. aut legendum eſt Gracchū, aut ſubaudiendū eū, aut verbū ſequebantur abſolute ponitur. Et licet ſint qui Graccum ſcribendū præcipiant: Cælius tamen Gracchum antiquis ſcriptum docet. quod & Gellius ca. iij. lib. huius innuit. Liberi. Gracchus.

Liberos in multitudinis numero etiam vnum filium filiamve veteres dixiſſe. CAPVT XIII.

ANtiqui oratores, hiſtoriæque aut carminum ſcriptores etiam vnum filiū, filiámve, LIBEROS multitudinis numero appellarunt. Id quoque nos cū in complurium veterum libris ſcriptum aliquoties aduerteremus, nunc quoque in lib. Sempronii Aſellionis rerum geſtarum quinto ita poſitū eſſe offendimus. Is Aſellio ſub P. Scipione Africano Trib. militum ad Numantiam fuit, reſque eas, quibus gerendis ipſe interfuit, conſcripſit. Eius verba de Tib. Graccho Trib. pl. quo in tempore interfectus in Capitolio eſt, hæc ſunt, Nam Gracchus » domo cum proficiſceretur, nunquam minus terna aut quaterna milia hominum ſeque- » bantur. Atque inde infra de eodem Graccho ita ſcripſit, Orare cœpit, vt ſe defenderent: li » beróſque ſuos, eum, quem virilis ſexus tum in eo tempore habebat, produci iuſſit, popu- » lóque commendauit prope flens.

Liberi. Sēpronius Aſellio.

Sisto.

ASCEN. Qui inscribitur.id latine imperiti dicunt intitulatur.Ex hoc autē capite liquet sisto habere præteritum stiti:idque propriū,non à sto steti:ideóque auscultem Vallæ qui statorem Iouem à sistēdo dictum vult,licet sint qui refragentur:quod si est,stiti etiam statum facit.Sistere autem est præsentem exhibere & facere adesse:vt AEnei.iiij.Annam,chara mihi nutrix,huc siste sororem. Est etiam facere stare,vt sistere aquas.Obuoluto capite,in signum pudoris.De his nunc Mas.Cælius cap.iij.lib.xij.ait,Statorem sic appellatum historici produnt quòd post votorum conceptionem & nuncupationem fugientium Romanorum acies steterit.Ego sane dicam cum Gellio stiterit aciem vel acies,à sisto, non steterit acies à sto,licet subiungat Cælius,Sed id rectius multo & vero magis consonum principem illum & vniuersalem architectum deum,dici statorē quòd stent beneficio eius omnia. Sed Vallæ eruditionis plenior videtur sententia.Meminit Plutarch.in vita Romuli.Restitere igitur Romani quo nunc loco Iouis statoris situm est templum.Eadem pene est à nostratibus celebrata historia.Nam cum ab hostium conspectu Franci fugerent,dicitur Clodoueus primus Francorum regum Christianus,orasse deum quem vxor precabatur colebátque,vt aciem sisteret fugientem:quod & factū legimus:obque id non iniuria dici potuisset stator deus. Diuus tamen Hieronymus contra Iouinianum deducere videtur à stando dicens. Ridicule Chrysippus ducendam sapienti vxorem præcipit,ne Iouem Gamelium & Genethlium violet.Isto modo apud Latinos ducenda vxor non erit,quia Iouem non habent nuptialem.Quòd si deorum (vt putant)nomina vitæ hominum præiudicant:offendet ergo Iouem statorem,is,qui libenter sederit.

Stator Iuppiter.

Clodouei precatio.

Quod M.Cato in libro,qui inscriptus est contra Tib.exulem,stitisses vadimoniū per i literam dicit non stetisses,eiúsque verbi ratio reddita. CAPVT XIIII.

Stitisses.

IN libro vetere M.Cat.qui inscribitur cōtra Tiberium exulem,scriptum quidem sic erat, Quid si vadimoniū capite obuoluto stitisses? Recte ille stitisses scripsit.Sed falsi & audaces emendatores è scripto per libros stetisses fecerunt,tanquam stitisses vanum & nihili verbum esset: quin potius ipsi nequam & nihili sunt,qui ignorant stitisses dictum à Catone,quoniā sisteretur vadimonium non staretur.

Sisto igitur stiti facit.

ASCEN. De honore caniciei exhibendo aut exigendo veterū monumenta quæ de moribus agunt, referta sunt omnia.Plutarchus in vita Val. Publicolæ ait sic,His ita dispositis,comitiis demum habitis,collegam sibi Lucretium Lucretiæ patrem subrogauit:cui quòd senior esset,primo loco cedens fasces tradidit:qui honor primum ab eo obseruatus,semper postea hodiéque senibus habetur.Estque illud quod Cic. scribit in Bruto,Cū enim in maximis causis versatus esses, & cum tibi ætas nostra iam cederet,fascésque submitteret &c. Etsi potest intelligi,fasces submittere deprimere: quod Iulij Frontini authoritate fulciūt dicētis,Nullis precibus ab eo impetrari potuit,ne signa eius submitteret,nomenque aboleret.Hæc ille. In quibus non videtur similiter capi submittere in Ciceronis & in Frontini dicto: nam illic præmittitur, Cū tibi ætas nostra iam cederet &c.Strabo docet apud Albanos & Lacedæmonios in summo fuisse honore grandes natu: vnde lepidum est exemplum apud Valerium Maximum de sene:qui cum Athenis diu consessum quæreret nec inueniret:tandemque à Lacedæmonio qui ei locum cesserat reciperetur,ac eius factum omnes laudarent.Ergo,inquit,Athenienses quid ex officio sit norunt,sed facere nolunt.Iuuenalis quoque de senum veneratione ita scribit Saty.xij.Credebant hoc grande nefas & morte piandum,Si iuuenis vetulo non assurrexerat:& si Barbato cuicunque puer,licet ipse videret Plura domi farra, & maiores glandis aceruos.Tam venerabile erat præcedere quatuor annis.Cælius lib.vij. cap.viij.de honore consulum multa disserens:maiorem Consulem designat penes quem fasces forent, Prætorem maiorem qui vrbanus esset.Mas.Ex antiquorum scriptis cognoscimus maiorem Cōsulum dici penes quem sunt fasces & Consulum insignia.Cælius quoque id regerit.viij.ca.lib.vij.Plutarch. Val.que Maximum citans & legem Iuliā.Addit præterea fasces solitas dari aut natu grandioribus,vt dictum est:aut nobilioribus, aut si Consulatum inijssent alterum.Item Consul maior dici potest,qui priori loco renūciatus est.

Submitto.

Cousulum & Prætorū maior.

Quod antiquitus ætati senectæ potissimum habiti sunt ampli honores: & cur postea ad maritos & patres iidem isti honores delati sint:atque ibi quædam de capite legis Iuliæ septimo. CAPVT XV.

Senectutis honoratio

APVD antiquissimos Romanorum neque generi,neque pecuniæ,præstātior honos tribui quàm ætati solitus:maioresque natu à minoribus colebantur, ad deum prope,& parentum vicem: atque in omni loco, inque omni specie honoris priores potioresque habiti. A conuiuio quoque, vt scriptum est in antiquitatibus, seniores à minoribus domum reducebātur. Eúmque morem accepisse Romanos à Lacedæmoniis traditum est: apud quos Lycurgi legibus maior rerum omnium honos maiori ætati habebatur. Sed postquam soboles ciuitati necessaria visa est, & ad prolem populi frequentandam præmiis atque inuitamentis vsus fuit: tum antelati quibusdam in rebus, qui vxorem quique liberos haberent, senioribus neque liberos,neque vxores habentibus. Sicuti cap. VII legis IVLIAE,priori ex Consulibus fasces sumendi potestas fit: non qui plureis annos

Lycurgi lex.

Iulia lex.

natus est,sed qui plureis liberos quàm Collega,aut in sua potestate habet aut bello amisit.Sed si par vtrique numerus liberorum est:maritus,aut qui in numero maritorum est, præfertur.Si vero ambo & mariti,& patres totidem liberorum sunt,tũ ille pristinus honos instauratus,& qui maior natu est,prior fasces sumit.Super iis autem , qui aut cœlibes ambo sunt,aut parem numerum filiorum habent,aut mariti sunt & liberos non habent,nihil scriptum in lege de ea ætate est.Solitos tamen audio,qui lege potiores essent, fasces primi mensis Collegis concedere,aut longe ætate prioribus,aut nobilioribus multo,aut secundum Consulatum ineuntibus.

ASCEN. De posthumo Seruius & Landinus scitu digna ad Virg.explanationem afferunt:videãtur.Mas.Fuit Ascanio Syluius alter filius,ex quo & Lauinia Latini scilicet nepte natum fuisse Brutum dicunt à quo Britannia sit dicta.Huius mater in partu expirauit:& pater inter venandum à filio per imprudentiam telo confossus est.Coniux:sic antiquis scribebatur . Nodum innuit Gellius non satis solutũ : nec ipse tamen soluit:quanquam solutu non sane difficilis videtur:nam Anchises post apotheosim omnia quæ futura erant nouit: quocirca prædicit AEneæ ad consolationem id quod per naturam scire AEneas non poterat:illi videlicet futurum posthumum qui & rex esset & regum pater , quia ab eo in multa tempora Syluij nominandi erant,& in eis AEneas victurus:quocirca longæuum vocat,non perpetuum : quia vt in Gæorgicis scripsit : poeta sensit peritura regna . sic tamen loquitur vt sperare possit AEneas diu viuere: quod opportunum fuit:nam quia posthumus non nascitur viuo patre, ne sibi mortem imminere cognoscens segnius ageret,adiecit,Quem tibi longæuo.sicut Venus in primo,ne parum videatur triennium,argute in treis æstates & totidem hyemes diuisit.Longæuum ergo se AEneas fore intellexit: sed Anchises, qui mendacio purgandus erat à poeta,longæuum intellexit in successoribus,aut in rebus ante mortẽ gerendis:quæ in alio longæuam desiderarent vitam.

Quòd Cesellius Vindex à Sulpitio Apollinari reprehensus est in sensus Virgiliani enarratione. CAPVT XVI.

Virgilii versus sunt è libro sexto,

Ille vides pura iuuenis qui nititur hasta
Proxima sorte tenet lucis loca,primus ad ad auras
AEtherias Italo commistus sanguine surget — Cesellius Vindex.
Syluius Albanum nomen tua posthuma proles,
Quem tibi longæuo serum Lauinia coniux
Educet syluis regem,regúmque parentem: — Coniux.
Vnde genus longa nostrum dominabitur Alba.

Videbantur hæc nequaquam conuenire, Tua posthuma proles:&,
Quem tibi longæuo serum Lauinia coniux
Educet syluis regem.

Nam si hic Syluius , vt in omnium fere Annalium monumentis scriptum est, post mortem patris natus est , ob eámque causam prænomen ei impositum hoc fuit:qua ratione subiectum est,

Quem tibi longæuo serum Lauinia coniux Educet syluis?

Hæc enim verba significare videri possunt,AEnea viuo,ac iam sene natum ei Syluiũ, & educatum.Itaque hanc sententiam esse verborum istorum Cesellius opinatus, in Cómentario lectionum antiquarum,Posthuma,inquit,proles non eum significat,qui patre mortuo,sed qui postremo loco natus est:sicuti Syluius,qui Aenea iam sene, tardo seroque partu est editus . Sed huius historiæ authorem nullum idoneum nominat . Syluium autem post Aeneæ mortem , sicuti diximus , natum multi tradiderunt . Iccirco Apollinaris Sulpitius inter cætera , in quibus Cesellium reprehendit , hoc quoque eius quasi erratum animaduertit:errorisque istius hanc esse causam dixit , quòd scriptum ita sit.Quem tibi longæuo,inquit,non seni(Significatio enim est contra historiæ fidem)sed in longum iã æuum & perpetuum recepto,immortaliq; facto. Anchises enim , qui hæc dicit ad filium,sciebat eũ,cum ex hominũ vita discessisset, immortalem Indigetem futurum,& longo perpetuoque æuo potiturum . Hoc sane Apollinaris argute . Sed aliud tamen est longum æuum,aliud perpetuum.Neq; dii longæui apellantur, sed immortales.

(Lectiones antiquæ. Posthumus. Apollinaris. Verg.loc.)

ASCEN. Productionem & correptionem,quas Gellius indicat : intelligo non metro sed accentu: dum enim accentus est in secunda aut tertia syllaba,prima deprimitur:ideoque nobis(non loquor de priscis.)non proferre primam producat , sed profero &c . Præterea quia dicit elidi: scribetur coligatus & conexus.Refer ad aureis.i.consule super ea re aureis tuas.

Cuiusmodi naturam esse quarundam præpositionum M. Cicero animaduerterit: disceptatúmque ibi super eo ipso, quod Cicero obseruauerat. CAPVT XVII.

In & con. Inclytus. Insanus. Inhumanus. Infelix. Cōposuit. Cōsueuit. Concrepuit. Confecit. Pro. Proficisci. Profundere. Profugere Profanū. Profestū. Proferre. Profligo. Proficio. Coopertus. Coligatus Conexus. Cogo.

OBSERVATE curioséque animaduertit M. Tullius in, & con, præpositiones verbis aut vocabulis præpositas, tunc produci atque protendi, cum literæ sequerentur, quæ primæ sunt in sapiente atq; felice: in aliis autem omnibus correpte pronunciari. Verba Cic. hæc sunt, Quid vero hoc elegantius, quod non fit natura, sed quodā instituto? Inclytus dicimus breui primà litera, insanus producta: inhumanus breui, infelix lōga. Et ne multis: Quibus in verbis eæ primæ literæ sunt, quæ in sapiente atque felice, producte dicuntur: in cæteris vero omnibus breuiter. Itéq; cōposuit, consueuit, concrepuit, confecit, consule veritatem, reprehendet: refer ad aures, probabunt. Quære cur ita sit? dicent, probe se iuuari. voluptati autem aurium morigerari debet oratio. Manifesta quidē ratio suauitatis in his vocibus, de quibus Cic. locutus est. Sed quid dicemus de præpositione pro? quæ cum produci, & corripi soleat, obseruationem hāc tamen M. Tullii aspernata est. Nō enim semper producitur, cū sequitur ea litera, quæ prima est in verbo fecit: quam Cicero hanc habere vim significat, vt propter eā rē, in & con præpositiones producantur. Nā proficisci, & profundere, & profugere, & profanū, & profestū correpte dicimus: proferre autē, & profligere, & proficere producte. Cur igitur ea litera, quā Cicero productionis causam facere obseruauit, non in omnibus cōsimilibus eandē vim aut rationis aut suauitatis tenet: sed aliā vocē produci facit, aliā corripi? Neq; vero con particula, tum solū producitur cū ea litera, de qua Cic. dicit, insequitur. Nā & Cato & Sallustius fœnorib. inquiūt coopertus est. Propterea coligatus, & conexus producte dicūtur. Sed tamē videri potest in iis, quæ posui, ob eā causam particula hæc produci, quoniā eliditur ex ea n litera. nā detrimētū literæ productione syllabæ cōpensatur. Quod quidē etiā in eo seruatur, quod est cogo. neq; repugnat, quòd coegi correpte dicimus. non enim salua συναιρέσει, dicitur à verbo, quod est cogo.

ASCEN. Phœdō eliden. idem recitat Macrobius: sed apud eum Phædron scribitur. Mas. Sunt qui non Cebetē Thebanū Socraticū, Phœdonis emptorem asserāt, sed Alcibiadē aut Critonem Atheniēsem. Diogenem ita diuus Hieron. in Iouinianū cōmēdat ca. xxxix. epist. vj. lib. ij. Huius (scilicet Antisthenis) Diogenes ille famosissimus sectator, fuit potētior rege Alexādro, & naturæ victor humanæ. Dedit opinor præsentis esse temporis à dedo. aut legēdū dedidit. Ad merendum. quia prostituebantur tūc pueri vt nūc passim puellæ, nimium quidem frequentes, sed vtinā vbique solæ. Hoc autem capite ad finē Gellius ostendit non pœnitendam seruorum cōditionem. Ijs in Saturnalibus licentia erat prorsum permissa: de quibus licet dicatur satis arrogāter illud, Tot hostes domi quot serui: tamen docet Macrobius eos non esse negligendos. De his multa in Val. Flaccum prodidimus. Cui nomen Mus, Mosellano legitur Irus. A dictione δοῦλος dicunt duliam & adulari. Archithrenius formauit Adulus a, um, dicens, Vitæque nocenti Histrio suspectus, & adulæ gloria laudis Dando &c. Adulatorum suggillationem graphice idem Archith. prosequitur: ipsum lege, qui ab ea scabie vis digitorum vngues retrahere, aut eminus excutere.

Seruorum conditio.

Quòd Phœdon Socraticus seruus fuit, quódque item alii complusculi philosophi clari seruitutem seruierunt. CAPVT XVIII.

Phœdon seruus. Cebes.

PHOEDON Elidēsis ex cohorte illa Socratica fuit, Socratique & Platoni per fuit familiaris. Eius nomini Plato illum librum diuinū de immortalitate animæ dedidit. Is Phœdon seruus fuit, atque ingenio liberali, & vt quidam scripserunt, à lenone domino puer ad merendum coactus. Eū Cebes Socraticus hortante Socrate emisse dicitur, habuisséque in philosophiæ disciplinis. Atque is postea philosophus illustris fuit, sermonesque eius de Socrate admodum elegantes leguntur. Alii quoque non pauci serui fuerunt, qui post philosophi clari extiterunt. Ex quibus ille Menippus fuit, cuius libros Mar. Var. in Satyris æmulatus est, quas alii Cynicas, ipse appellat Menippeas. Sed & Theophrasti peripatetici seruus Pompilius, & Zenonis stoici seruus qui Perseus vocatus est: & Epicuri, cui nomen Irus fuit, philosophi non incelebres vixerunt. Diogenes etiam Cynicus seruitutem seruiuit, sed is ex libertate in seruitutem vænum ierat. quem cum emere vellet Xeniades Corinthius, & quid is artificii nouisset percunctatus foret, Noui, inquit Diogenes, hominibus liberis imperare. Tum Xeniades responsum eiusdē miratus emit, & manumisit: filiósq; suos ei tradens, Accipe, inquit, liberos meos, quibus imperes. De Epicteto autem philosopho nobili, quòd is quoq; seruus fuit, recentior est memoria, quàm vt scribi, quasi oblite-

Menippus Pompilius Perseus. Diogenes Epictetus.

ratum, debuerit. Eius Epicteti etiam de se scripti duo versus feruntur, ex quibus latenter intelligas, non omnes modo diis exosos esse, qui in hac vita cum ærumnarum varietate luctantur: sed esse arcanas causas, ad quas paucorum potuit peruenire curiositas.

Δοῦλος Ἐπίκτητος γενόμην, καὶ σώματι πηρός,
καὶ πενίην Ἶρος, καὶ φίλος ἀθανάτοις.

ASCEN. Rescire, inquit Valla, proprie est rem postquam gesta est scire, quam nesciebas cum gereretur, præsertim ad te vel ad tuos pertinentem. Quam definitionem licet dissimulet ex hoc loco sumpsit, vt & Perotus qui ab Gellio non dissentit. Deprehendimus ergo proprie in ipso facto, vt in adulterio: aut in alieno, vt in mari. Hor. Deprehendi miserum, Fabio vel iudice vincam. Verg. Deprehensis olim statio tutissima nautis. Neque tamē oportet vt quod resciamus sic peractum sit, vt non amplius fiat: sed quatenus factum est, rescitur: quatenus fit deprehenditur. vt in dicto Næuij in Ityphallo, id est pene seu membro virili. sic legit & exponit Baptista Pius. ca. xj. adnot. dicitque Doliolam vicum esse in vrbe Roma, vbi despuere non licet, quòd illic sacra fuissent occultata. Id autem parum ad rem fecerit nisi docuerit, quòd illic serui puniri soleant: nam seruo hoc interminatur herus: sed seruorū punitio non congruit loco sacro, vt indicat præsultor Ioui apud Liuium displicens. Putem igitur furcam minari: ad quam ligatus obstrictis faucibus non despuit. Quicquam argentum. Valla diceret argenti: aut aduerbiū esse quicquam pro in aliquo. Calepinus volens & Gellio & Vallæ satisfacere vtriusque opinionem approbat: aitque rescire id significare quod hic & ille aiunt: quàm scite ipse viderit. Addit ad hūc locū rursus Maserius. Potuit Ascensius hærere posteriori. (Et quidem illi hæret, licet de veritate lectionis addubitans dixerit Vallam dicturū fuisse, quicquam argenti, non quicquam argentum: nisi sit appositio: quicquam, id est quamlibet rem, vt argentum aut quanuis aliam: sed pergat Mas.) Ait Terēt. quem neque pudet quicquam: etsi potest esse accusatiuus, vt apud eundem. Hei mihi non te hæc pudent. Item Plaut. in Aulularia, Tu modo caue quicquā indicassis, aurum esse istic fides. licet legant aliqui quoiquam pro cuiquam. Præterea nōne potest esse sensus, Si filium resciuerit quicquam: dicunt barbari aliqualiter: sumpsisse pecuniam, argētum, aurū &c. Præterea si placet dictum Pij non erit necessario dicendum seruum in doliolam coniectum, deinde punitum iri: sed ita vult reddere stupidum, ita territum, vt audita tantum de Doliola vico sententia, immo ipso vocabulo, concipiat seruus pœnam grauissimam, quæ in dolio clauis ferreis vndique armato & circunsepto proponitur: & reuera non esse spuēdum dominus sciat, cum locus signetur sacer. Hæc ad defensionē. Accedit & illud quòd noua semper excogitabantur seruorum supplicia, & ad terrorem excutiendum maiorem verba plerunque horrenda & comminatoria, vt est in Asinaria Plauti. vbi nomina fingūtur magis ad terrorem falsa quàm vera. Ait enim Libanus sibi timens à domino aliquid quo infringatur: Vbi flent nequam homines, qui polentam pinsitant apud fustidinas & ferricrepidinas insulas. Vbi viuos homines mortui incursant boues. In quo Plautus ingeniosus, placidúsque verborum nouator à fustibus & crepitāte ferro dictiones lepide finxit, tanquam essent insularum nomina: nam insulariorum seruorū miserrima est conditio, quorum vita teritur lapidibus secandis & è latomia non sine vitæ periculo extrahendis. Hoc si non placet, dicent forte aliqui allusionem esse ad morbum comitialem seu caducum factam. Solent enim tunc homines ad auerruncandum & amoliendum morbum despuere, vt potuit non immemor Pius repetere ex Plautinis scholijs ex loco in Asinaria, vt quæ locutus despuas: ita vt in loca coniectus seruus infima, cæca, tenebrosa, & profundissimam carceris aut pistrini voraginem ac barathrum, non timeat vltra locum profundiorem in quem queat cadere: nam tum despuere liceret morbum metuēs caducum & casum ipsum: sed superiora sunt gratiora. Hæc Maserius.

Rescire. Deprehendere. Doliola Despuere Quicquam

Rescire verbum quid sit, & quam habeat veram & propriam significationem.

CAPVT XIX.

VERBVM RESCIRE obseruauimus vim habere propriā quandā: nō ex communi significatione cæterorum verborū, quibus eadem præpositio, RE, imponitur. Neq; rescribere, relegere, restituere, dicimus itidem: nam qui factum aliquod occultius, aut inopinatum, insperatúmque cognoscit, is dicitur proprie rescire. Cur autem in hoc vno verbo, re, particula huius sententiæ vim habeat, equidem adhuc quæro. Aliter enim dictum esse resciui aut rescire apud eos qui diligenter locuti sunt, nondum inuenimus, quàm super his rebus quæ aut occulto consilio latuerint, aut contra spem opinionemve vsu venerint, quanquam ipsum scire de omnibus communiter rebus dicatur, vel aduersis vel prosperis, vel insperatis vel expectatis. Næuius in Ityphallo ita scripsit, Rescire.

Si vnquam quicquam filium resciuero
Argentum amoris causa sumpsisse mutuum, "
Extemplo illò te ducam, vbi non despuas. Claudius Quadrigarius in primo Annali, "
Ea Lucani vbi resciuerunt sibi per fallacias verba data esse. Item Quadrigarius in eodem "
lib. in re tristi & inopinata, verbo isto ita vtitur, Id vbi resciuerunt propinqui obsidum, "
quos Pontio traditos supra demonstrauimus, eorū parentes cum propinquis capillo pas "

" so in viam prouolarũt. M. Cato in quarto Originũ, Deinde Dictator iubet postridie Ma" gistrum equitum arcessi. Mittam te, si vis (inquit) cum equitibus. Sero est, inquit Magister equitum, iam resciuere.

Viuaria. ASCEN. Viuaria sunt loca in quibus seruãtur animalia ad victum destinata: Flandri accipiunt pro piscinis dũtaxat. Leporaria sunt cuniculorum, qui de genere leporum sunt, cubilia. sed Varro generaliter sumenda docet. Roboraria, sunt quæ vulgo septa, gallice parq nominantur: vel quòd roboribus cõsita, vel quòd septa sint ex illis: quibus cerui, damæ, capreæ, & similia includũtur. Cornelius autẽ Vitellius in Merulam disputãs, quid Cortes & quid viuaria sint, latius ostendit. Nam cortibus ait cicures seruari, vt gallinas, anseres, & cætera altilia: viuarijs authore Plin. feras & syluestria animalia: sed & pisces authore eodẽ, ostrea, cochleas &c. Credo autẽ eam partem quã vulgus curiam in villa vocat, cortẽ debere vocari, quanuis vernacula lingua tã Gallorũ quàm Tentonũ confundat. Et licet à Vitellio scriptum reppererim, quid cors & quid viuaria: credã in nominatiuo dici Cortis aut cohortis: iuxta illud Oui. in Fast. Abstulerat multas illa cohortis aues. Mar. Raucæ cortis aues. Sane Plinius cap. xl. lib. ij. ait ornithiam (alij orinthiã, alij orithyiam legunt) ventum esse flantem ix dies à lxxj die post brumam ab auium aduentu: quare legendũ est ornithiam, licet aues cortales præcipue sint ornithones. Hermol. vtrũque admitti & ornithiam & orithyiam defendique posse videtur dicere. In secunda editione magis approbat posteriorem dictionem. Nã ornithia ventus alio spirat tempore.

Cortis. Cohortis.

Quæ vulgo dicuntur Viuaria. id vocabulum veteres non dixisse: & quid pro eo P. Scipio in oratione ad populum, quid postea M. Var. in libris de re Rustica dixerit, vsurpatũ.

CAPVT XX.

Viuaria. Leporaria. Ornithones.

VIVARIA quæ nunc dicuntur, septa quædã loca in quibus feræ viuæ pascũtur, M. Var. in lib. de re Rustica III dicit LEPORARIA appellari. Verba Var. subieci, Villaticæ pastionis genera sunt tria, ornithones, leporaria, piscinæ. Nunc ornithonas dico omnium alitum quæ intra parietes villæ so" lent pasci. Leporaria te accipere volo, non ea quæ tritaui nostri dicebant, " vbi soli lepores sint, sed omnia septa affixa villæ, quæ sunt, & habẽt inclusa animalia, quæ" pascuntur. Is item infra in eodem lib. ita scribit, Cum emisti fundum Tusculanum à M." Pisone, in leporario apri fuere multi. Viuaria autem quæ nunc vulgus dicit, sunt, quos παραδείσους Græci appellant: quæ autem leporaria Var. dicit, haud memini apud vetustiores scriptum. Sed quod apud Scipionem omnium ætatis suæ purissime locutũ legimus, ROBORARIA aliquot Romæ doctos viros dicere, audiui id significare, quod nos viuaria dicimus, appellatáq; esse à tabulis roboreis quibus septa essent: quod genus septorũ vidimus in Italia locis plerisque. Verba ex oratione eius contra Clau. Asellium quinta hæc" sunt, Vbi agros optime cultos, & villas expolitissimas vidisset: in his regionibus excelsis" simo locorum murum statuere aiebat: inde corrigere viam, aliis per vineas medias, aliis" per roborarium atque piscinam, aliis per villam. Lacus vero & stagna, quæ piscibus viuis coercẽtur clausa, suo atque proprio nomine PISCINAS nominauerũt. Apiaria quoq; vulgus dicit loca, in quibus siti aluei apum. sed neminem eorum ferme, qui incorrupte locuti sunt, aut scripsisse memini, aut dixisse. M. autẽ Var. de re Rustica III μελισσῶνας* vt ἀμπελῶνας & δαφνῶνας* inquit, ita facere oportet: quæ quidam mellaria appellant. Sed hoc verbum quo Var. vsus est, Græcum est, nam μελισσῶνες ita dicuntur.

Paradisi. Roboraria. Piscinæ. Apiaria. Melissones. Mellaria.

AEgina. ASCEN. Mas. sic annotauit. Ab ægina. Volaterranus in. ix. Gæogr. ait AEginã pronunciari pœnultima correpta, quãuis apud poetas producatur metri causa: ego sane productam semper legi. Insula est in mari ægeo vna ex Atticis. dicta ab AEgina Asopi filia, matre AEaci, quũ prius diceretur Oenoe, ait Volater. in eodẽ: sed in. xxxiij. lib. Philog. scripsit si mẽdũ non est, Oenonen. sed alia mihi videtur Oenoe prope Euboiã dicta Sicinus ab Oenoes & Thoãtis filio. Apoll. νῆσος οἰνοίη ἐπικληθεῖσα. Cælius scribit, οἰνώνην. pro insula à matre AEaci nuncupata. quare non iniuria dubitat Raphael in. vij. Ouid. Meta. an relictum sit Oenonam Minos petit æacideia regna. Oenopiam veteres sic appellauere, sed ipse AEacus AEginã genitricis nomine dixit: an Oenonam iuxta Strabonis opinionem. Pius in Val. Flac. legit Oenopiam: ego quoque Oenopiã relinquo: nã & Oenopẽ quedã Homerus nominat victũ à Nestore. Præterea sequitur. Classis ab Oenopijs etiam nunc lyctia muris Spectari poterat. Vbi si legeretur Oenonijs secunda corripe retur quam diximus tractam in Oenona. Sed posset aliquis dicere esse synæresim aut dictionem deriuatã ab origine modo discedere, vt fieri plerunque videmus. Hæc ille. Addit idem. Anni æstas pulchre dictum, sicque ab authore relictũ vt in. v. ca. lib. xix. AEstate anni flagrantissima. Sic ille. At ne ipse quidẽ quicquã mutandũ cẽsui, sed qui intelligẽdũ sit exposui. Quod vero legitur: sicut in eo quòd quinquatrus dicamus. sic & Mosellanus legit: sunt tamen qui putent legendum esse quinquatres, & post non atrus sed atres: de quibus sic Mas. Erant quinquatres ludi teste Vola. lib. xix. Philo. minores appellati. Mineruæ sacri idib. Iunijs: quoque tẽpore tibicines personati per vrbẽ incedebant, vt ij qui olim ebrij ex Tibure Romã deducti

Quinquatres.

ſunt,cũ nõ omnes eſſent,viderentur omnes ſimul alijs ignotis & perſonatis admixti.Ouid.in Faſtis, Cur vagus incedat tota tibicen in vrbe:Quid ſibi perſonæ, quid toga longa velint? Dicunt alij quinquatria vt ſaturnalia in plurali,cuius ſingulare ſit quinquatre.Gellius ſentit dictionẽ ſimplicẽ: vnde errat Calepinus cõponens ex quinto & atro.ſ.die.Meminit Ouid.Vna dies media eſt, poſt fiunt ſacra Mineruæ: Nomina quæ à iunctis quinque diebus habent.Sanguine prima vacat, nec fas cõcurrere ferro:Cauſa, quòd eſt illo nata Minerua die.Altera,treſque ſuper ſtrata celebrantur arena:Enſibus exertis bellica læta dea eſt. Iũgit idem Calep.dicti immemor poſtea,atrus nihil ſignificare.Hæc ille. quibus patet etiam Calepino legi quinquatrus.cũ tamen quinquatres verior videatur lectio:ideoque non immutaui ſed ſignaui. Sane adnotat Maſe.Siciliã triquetriam dictam à triquetra figura, quã oſtentat in tribus promontorijs. Addit idem. Triquetria.
Quilibet apud graues viros reperitur poni, vbi deſpicabilẽ & nullius aut modicæ rei hominẽ ſignamus. Sic enim dicimus regem chriſtianiſſimum non cum quolibet verſari.hæc ex Hermol.Barb.Adde quòd & quidã de contẽptibili dici ſoleat,vt ſentit Eraſmus:ſed frequentius quiſpiam.Eadẽ in naui. Dicitur ab hac naue & naui,puppe & puppi,febre & febri.quod notauit Priſcianus.Et ãni æſtas. Vſitatius dixerit æſtus, & opinor ſic ſcripſiſſe.quòd ſcripſerit æſtas,intelligitur pars:nam æſtus ac cauma anni,vt frigus rite dicitur.Aeſtas autem pars anni:niſi æſtatem pro æſtu à quo dicitur,ſumas.Tum quiſpiam.quia de certo videtur loqui,Valla diceret quidam:verũ quia vt de incerto pronunciat non male dicit quiſpiã. Vos opici, id eſt ruſtici & inurbani,qui nihil præ hoc græco homine ſcitis:eſtque occulta illius iactantiæ taxatio. Tum quiſpiã.eo quo prius modo.A bubus.ſic veteres declinabant:ſed & Neoterici vt Angelus Pol.in Ruſtico. Quiſpiã.
Qua bubus ab arbore plauſtrũ dedolet.Vnde & Bucolica dicta:& bubulcus. cauſam opinor quòd Græcis βοῦς ſcribitur: pro ου autem nunc o nunc u reponimus:vt Orion, Melampus,Ieſus &c. Bubus.

Super eo ſidere, quod Græci ἅμαξαν,nos ſeptentriones vocamus:ac de vtriuſq; vocabuli ratione & origine.

CAPVT XXI.

A B AEgina in Piræum compluſculi earundem diſciplinarum ſectatores Græci Romanique homines eadem in naui trãſmittebamus.nox fuit, & clemens mare,& anni æſtas,cælumque liquide ſerenum. ſedebamus ergo in puppi ſimul vniuerſi,& lucentia ſidera conſiderabamus. Tum quiſpiam ex his, qui eodem in numero græcas res eruditi erant, quid ἅμαξα eſſet,quid ἄρκτος,quid βοώτης,& quænam maior ἄρκτος,& quæ minor,& cur ita appellata,& quam in partem procedentis noctis ſpatium moueretur, & quamobrem Homerus ſolam eam non occidere dicat:cum & quædam alia ſcite tũ iſta omnia, ac perite diſſerebat. Hic ego ad noſtros iuuenes conuertor,& quid inquam vos opici dicitis mihi, quare quod ἅμαξαν Græci vocant, nos Septẽtriones vocamus? Non enim ſatis eſt,quòd VII ſtellas videmus,ſiquidem hoc totum quod ſeptentriones dicimus, ſignificet, ſcire inquam id prolixius volo. Tum quiſpiam ex iis qui ſe ad literas memoriaſq; veteres dediderat, Vulgus, inquit,grammaticorum ſeptentriones à ſolo numero ſtellarum dictum putat. Triones enim per ſeſe nihil ſignificare aiunt, ſed vocabuli eſſe ſupplementum: ſicut in eo,quod quinquatrus dicamus,quòd quinque ab idibus dierũ numerus ſit, atrus nihil. Sed ego quidem cum Lælio,& M.Varrone ſentio,qui triones ruſtico vocabulo boues appellatos ſcribunt,quaſi quoſdam teriones, hoc eſt arandæ colendæque terræ idoneos.Itaque hoc ſidus,quod à figura,poſituraque ipſa, quia ſimile plauſtri videtur, antiqui Græcorũ ἅμαξαν dixerunt: noſtri quoque veteres à bubus iunctis ſeptẽtriones appellarunt, id eſt à ſeptem ſtellis,ex quibus quaſi iuncti triones figurantur. Præter hanc, inquit,opinionẽ,id quoque Varro addit,dubitare ſeſe,an propterea magis hæ ſeptem ſtellæ triones appellatæ ſint,quia ita ſunt ſitæ,vt ternæ ſtellæ proximæ, quæque inter ſeſe faciãt trigona,id eſt triquetras figuras. Ex his duabus rationibus, quas ille dixit, quod poſterius eſt,ſubtilius elegantiuſque viſum eſt.Intuentibus enim nobis in illud, ita propemodum res erat,vt ea forma eſſet,vt triquetra videretur.

Margin: Arctos vrſa. — Hamaxa. — Septẽtriones. — Triones. — Triquetra figura.

ASCEN. Melici poetæ.i.abſoluti,modulati,lyrici,vt ſentit Beroaldus.qui monet non legendũ meliti.Partim Græcæ linguæ,aliâs latinæ. Præter morẽ videtur cõiũxiſſe partim & aliâs,ſed nõ præter rationem.Nam licet vſitatius dixeris,partim græcæ partim latinæ, minus tamen ſignificaueris quàm Gellius ſignificatũ voluit.Repetẽdo enim partim ſignificaueris ſermonem mixtũ in eadem menſa: vt ſit partim i.ex parte.hoc autem modo ſignificat Gellius,partim.i. pro parte temporis, hoc eſt aliâs græcæ linguæ, aliâs latinæ quippiam recitatũ.Meridies & Septentrio in perpetuo ſtatu ſunt, quia ſol in meridie ſemper eſt oppoſitus aquiloni:nõ ſemper autẽ oritur aut occidit circa eãdẽ partẽ cæli. De ventis autẽ qui plura deſideret legat Bapt.Piũ cap.lxxviij,& Veget.lib.iiij.de re militari.de Argeſte Beroal.in adno.in Ouidiũ. Non indidem,id eſt non in eodem loco.αἰθρηγενέτην noſtri ſudificũ dicunt:nam ſudum ſerenũ vocamus quòd ſit ſeorſum ab vdo. Caurus mutata au in o lõgum dicitur corus.Atabulus, ſic recte legitur:nam Beroaldus dicit ſe offendiſſe exemplar in quo erat Otonus.verba Horatij ſunt in pri.ſer. Incipit ex illo mõtes Appulia notos Oſtentare mihi, quos torret Atabulus. Eteſiæ græcè ἐτησίαι venti ſunt qui certo

Margin: Melici. — Partim alias. — Sudificus. — Boreas. — Sudum. — Eteſiæ.

tempore anni flant, vnde & nomen sumpsisse videtur: nam ἐτήσιος annuus dicitur. Horum vices explicat Plin. lib. ij. cap. xlix. & lib. v. c. ix. Itẽ lib. xxxvij. cap. vi. Strabo autẽ lib. iij. ait, Venti spirant subsolani .i. euri, qui & Etesiæ dicuntur. lib. vero. xvij. videtur aliter sentire, cum eos ait spirare à partibus Borealibus. Interpres quoque Senecæ in illud secundæ tragœdiæ, AEstas veliferis soluit Etesiis, dicit eosdem esse prodromos & Etesias. Prodromi autem dicti videntur quod sint quasi præcursores. Ex alia atque alia. id cũ Strabone consentit. Qui circa Iberũ colunt .i. habitant: aut intellige agros. Austri anniuersarij .i. etesiæ vt iã diximus. Secundo sole .i. vt opinor à tergo sequente: vt secundo flumine est eo sequente nauigare: sed sic Etesiæ à meridie modo flarent: eique consonat quòd prodromi dicũtur, quasi præcursores solis: quo agnomento dici possent etiam ab Oriente spirantes. Sed quia Strabo etiam à Borealibus partibus flare dicit, non congruet cum eo dictum Nigidij, nisi secundo .i. prospero sole dixeris. Fieri autem potest vt vndecũque spirent serenitatem inducant: nã & Boream sudificũ dicimus: & veliferos etesias Seneca vocat, quòd sedant tempestates. Hæc fere ex adnotatis Maserianis quibus hæc adiecit, Architrenius æquidiem vsurpat, vnde hic fit ab interprete æquidialis. Hic plenior, illa AEquidie breuior. Item, Circulus æquidiem librans austrũque colurus Qui secat & Boreã zephyri sub cardine mũdũ Aurorræque ligant. Idẽ. AEquator solem statione reflectit, AEquidiẽque facit. Apeliotes. Catull. Nec sæui boreæ nec apeliotæ. Qui versus, si verus est, ostendit phaleucium posse dactylum habere in tertia sede: sicut in secunda spondæum versus Martialis: Drauci nata sui vocat vepenẽ, Collatus cui Gallus est priapus. Nisi velis dicere cui dissylabum corripere posteriorẽ syllabã quod aliquando reperiri videtur, nisi pedẽ resoluas contentus tẽporibus. Hanc autẽ ventorũ positionem (ait idẽ Maserius) in horamate heroico sequi nõ dedignor. Arcti vlulãt, lachrymat zephyrus, fit tristior eurus, Mœsta mouet pluuio succuba terra noto, Aera nubs fuscat, purũ dolor aggrauat ignẽ. Fletus nõ fluctus ἐννοσίγαιος agit. Quibus verbis Cybele queritur: & doloris socias affert quatuor orbis regiones, triaque elementa, ipsa quartũ referens. Nõ tamen velim remotissimas gentes innui, nam ad eas nihil noster gemitus: sed quatuor Britanniæ armoricæ angulos, & in illis populũ habitantẽ: qui eiusmodi limites prospicit. Omnis enim regio, immo etiam vrbs, quatuor potest ostentare latera ad quatuor cæli fines vergentia. Hyperbolici autem sermonis assumptio sequens, est doloris vehementis indiciũ. Addit demũ. Buccam implet Certius ait Gel. ex Cato. Addunt alij Zephyrum qui dicitur Fauonius iumentorum Hispanorum vterum implere, quod ad fœcunditatem refero. nam id est poeticum & fictitium. Qui D. August. exponit ait id dictum esse propter equorum multitudinẽ, qui masculum optantibus non desunt iumentis. Addit mira de incubis & succubis ex Gulielmo Parisien. de Hũgaris ex dæmonibus genitis: de Cypro culta ab incubis & incuborum natis: Vrsinorum ortu primario: Hallequinorum prosapia: audio vocabulum dici modo corruptum Hanequin, quod Vincentio hist. non placet. Admittunt tamen incubos plerique omnes: quod Merlini natiuitas comprobat. Succubos, vt reor, vt ij qui (quod placet circulatoribus de quodã nobili comite illuso) recitare solitãt. De hoc nihil vult diuus Augustinus asserere. ipsum lege in. xv. lib. de ciuitate dei cap. xxiij. maxime, vbi exponit id quod dicitur de filijs dei, quos hominum filiæ amplexibus susceperunt: & angelis sanctis in quos tam vilis lapsus nunquam cadere potuit. Hæc Mas. exponit. De quibus duo dicam, alterum nõ intelligendos succubos quos filiæ hominum amplexibus susceperunt, sed incubos: eos autem succubos qui specie muliebri viros ad coitum inuitasse leguntur, vt Antonium, Eligium &c. De equis autem vento cõceptis quamuis poeta canat, non sic poeticum puto vt mere fabulosum censeam: nam & graues viri testantur sic conceptos pernices quidem esse sed breuis vitæ. Verba Virgilij in. iij. Georg. vbi fabulis meris non est locus, sunt hæc. Illæ (scilicet equæ) Ore omnes versæ in zephyrum stant rupibus altis, Exceptantque leues auras: & sæpe sine vllis Coniugijs, vento grauidæ, mirabile dictu, Saxa per & scopulos & depressas conualles Diffugiunt &c. In quem locum Seruius: Hoc etiam Varro dicit, in Hispania vlteriore verno tempore nimio ardore commotas, cõtra frigidiores vẽtos ora patefacere ad sedãdũ calorẽ, & eas exinde cõcipere & edere pullos licet veloces, diu tamen minime duraturos: nã breuis admodum vitæ sunt. Idẽ Colu. lib. vj. ait, Notissimum etiã esse in sacro mõte Hispaniæ qui procurrit in occidentẽ iuxta oceanũ, frequẽter equas sine coitu vẽtrẽ pertulisse, fœtũq; educasse, qui tamẽ inutilis est quòd triẽnio prius quàm adolescat morte absumitur. Hæc illi. Secũdo Sole. radiis suis prosequẽte, & ita corroborãte, sicut cursus nauis secundo flumine secundatur.

Prodromi. Aequidies. Zephyri in Hispania vis. Incubi. Vento cõcepti equi.

De vento Iapige, deque aliorum ventorum vocabulis, regionibusque, accepta à Phauorini sermonibus. CAPVT XXII.

Apud mensam Phauorini in conuiuio familiari legi solitum erat aut vetus carmen melici poetæ, aut historia partim græcæ linguæ, aliàs latinæ. Legebatur ergo tunc ibi in carmine latino ἰάπυξ ventus: quæsitumque est, quis hic ventus, & quibus ex locis spiraret, & quæ tam infrequentis vocabuli ratio esset. Atque etiam petebamus vt super cæterorum nominibus regionibusque ipse nos docere vellet: quia vulgo, neque de appellationibus eorum, neque de finibus, neque de numero conueniret. Tum Phauorinus ita fabulatus est: Satis, inquit, notum est, limites regionesque esse cæli quatuor, exortum occasum, meridiem, septentrionem. Exortus & occasus mobilia, & varia sunt. Meridies septentrionesque statu perpetuo stant & manent. Oritur enim sol non indidem semper, sed aut æquinoctialis oriens dicitur, cum in circulo currit qui appellatur ἰσημερινός: aut

Iapix ventus. Fabulatus. Regiones cæli.

ἰσημερινός: aut solstitialis, aut brumalis, quæ sunt θεριναὶ τροπαὶ, καὶ χειμεριναί. Item cadit sol non in eundem semper locum. fit enim similiter occasus eius, aut æquinoctialis, aut solstitialis, aut brumalis. Qui ventus igitur ab oriēte verno, id est æquinoctiali venit, nominatur EVRVS, ficto vocabulo, vt isti ἐτυμολογικοὶ aiunt, ἀπὸ τοῦ ἕω ῥέων. Is alio quoq; à Græcis nomine, ἀπηλιώτης, à Romanis nauticis Subsolanus cognominatur. Sed qui ab æstiua & solstitiali orientis meta venit, latine Aquilo, Boreas græce dicitur: eūque propterea quidam dicunt ab Homero αἰθρηγενέτην appellatum. Boream autem putant dictū ἀπὸ τῆς βοῆς, quoniam sit violenti flatus & sonori. Tertium ventum, qui ab oriente hyberno spirat, Vulturnum Romani vocant. Eum plerique Græci misto nomine, quòd inter notum & eurum sit, εὐρόνοτον appellant. Hi sunt igitur tres venti orientales, Aquilo, Vulturnus, Eurus: quorum medius Eurus est. His oppositi & contrarii sunt alii tres occidui, Caurus, quem solent Græci ἀργέστην vocare: is aduersus Aquilonem flat. Item alter Fauonius, qui græce vocatur ζέφυρος: is aduersus Eurum flat. Tertius Africus, qui græce vocatur λίψ: is aduersus Vulturnum flat. Eæ duæ regiones cæli oriētis occidentisque inter sese aduersæ sex habere ventos videntur. Meridies autem quoniam certo atque fixo limite est, vnum meridionalem ventū habet. is latine Auster, græce νότος nominatur, quoniam est nebulosus atque humectus. νοτὶς enim græce humor nominatur. Septentriones autem habent ob eandem causam vnum: is obiectus directusque in Austrum latine Septentrionarius, græce ἀπαρκτίας appellatur. Ex his octo ventis alii quatuor detrahūt ventos, atque id facere se dicunt Homero authore, qui solos quatuor ventos nouerit, Eurū, Austrum, Aquilonem, Fauonium. Versus Homeri sunt,

Σὺν δ' εὖρός τ' ἔπεσε ζέφυρός τε νότος τε δυσαής,
καὶ βορέης αἰθρηγενέτης μέγα κῦμα κυλίνδων.

A quatuor cæli partibus, quas quasi primas nominauimus, oriente scilicet atque occidente latioribus, atque simplicibus non tripertitis. Partim autem sunt, qui pro octo XII faciunt, inter hos quatuor in media loca inserētes cum meridie septentriones: eadem ratione, qua secundi quatuor intersiti sunt inter primores duos apud orientem, occidentemque. Sunt porro alia quædam nomina quasi peculiarium ventorum, quæ incolæ in suis quisque regionibus fecerunt: aut ex locorum vocabulis, in quibus colunt, aut ex aliqua causa, quæ ad faciendum vocabulum acciderat. Nostri nanque Galli ventum ex sua terra flantem, quem sæuissimum patiuntur, Circium appellāt, à turbine (opinor) eius ac vertigine. ἰάπυγα ex ipsius Apuliæ oræ proficiscentem quasi finibus, Appuli eodem quo ipsi nomine Iapigem dicunt. eum esse propemodum Caurum existimo. nam & est occidentalis, & videtur aduersus Eurum flare. Itaque Vergilius Cleopatram è nauali prælio in Aegyptum fugiētem vento Iapige ferri ait. Equum quoque Appulum eodem, quo vētum vocabulo, Iapigem appellauit. Est etiam ventus nomine Cæcias, quem Aristoteles ita flare dicit vt nubes nō procul propellat, sed vt ad sese vocet: ex quo versum istum prouerbialem factum ait,

κακὰ ἐφ' ἑαυτὸν ἕλκων ὡς ὁ καικίας νέφος.

Præter hos autem, quos dixi, sunt alii plurifariam venti commentitii suæ quisque regionis indigenæ, vt est Horatianus quoque ille Atabulus: quos ipse quoque executurus fui: addidissemque eos, qui Etesiæ, & Prodromi appellantur, qui certo tempore anni, cum canis oritur, ex alia atque alia parte cæli spirant: rationesque omnium vocabulorum, quia plus paulo adbibi, effudissem, nisi multa iam prorsus omnibus vobis reticentibvs verba fecissem, quasi fieret à me ἀκρόασις ἐπιδεικτική. In conuiuio autem frequenti loqui solum vnum, neque honestum est, inquit, neque commodum. Hæc nobis Phauorinus in eo quo dixi tempore, apud mensam suam summa cum elegantia verborum, totiusque sermonis comitate atque gratia denarrauit. Sed quòd ait, ventum qui ex terra Gallia flaret, Circium appellari, M. Cato in libro Originum eum ventum Cercium dicit non Circium. nam cum de Hispanis Alpinis scriberet, qui citra Hiberum colunt, verba hæc posuit, Sunt in his regionibus ferrariæ, argentifodinæ pulcherri- „
mæ. Mons ex sale mero magnus: quantum demas, tantum adcrescit. Ventus Cercius, cū „
loquare, buccam implet: armatum hominem, plaustrum oneratum percellit. „

Quod autem supra dixi, ἐτησίας ex alia & alia parte cæli flare, haud scio an secutus opinionem multorum, temere dixerim. P. Nigidii in secundo librorum, quos de ven-

Ventorū ratio. Eurus. Apeliotes Subsolanus. Aquilo. Boreas. Vulturnus Euronotus. Eurus. Caurus. Corus. Argestes. Fauonius. Zephyrus Africus. Libs. Notus. Septētrionarius. Aparctias.

Galli trāsalpini. Circius. Iapix. Caurus. Cæcias. Occidētalis.

Atabulus. Etesiæ. Prodromi. Loquendi in conuiuijs ratio.

Cercius.

to composuit,verba hæc sunt,Et austri anniuersarii secundo sole flant. Considerandum igitur est,quid sit secundo sole.

Oppido. ASCEN.Oppido quàm.i.perquam.Sane oppido videtur dictum de eo quod tam crebro aut copiose fiat aut sit,vt satis sit oppido.Obsolescunt,gratiam placendi vt absoleta amittunt. Stupere.i. vt stupidus hebescere atque frigere idem valet:dictumque est,quòd læua in parte mamillæ Nil salit arcadico iuueni, quòd hebetes & asini frigentia habent præcordia : vnde & frigus ab effectu pigrum dicimus : & contra quæ diligenter fiunt feruere:vt Aeneid.i.Feruet opus.Glauci regis Lyciorum arma erãt aurea : atque ob id centum bobus æstimata:Diomedis ærea nouem bobus indicata:vt in Epistolis declarat Politianus, qui etiã sic allusit,Sic sua cũ Lycio donasset a hænea Glauco,Aurea Tytides attulit arma domũ.Mutatio autẽ ea facta fuit in congressu,cum Glaucus victum se cõfitens armorum precio vitam recepit:vt tangit Hora.lib.i.ser.Satyra.vij.Duo si discordia vexet inertes, Aut si disparibus bellum incidat, vt Diomedi cum Lycio Glauco,discedat pigrior vltro Muneribus missis.In aurem vtranque &c. Id secundum nonnullos arguit mulierem negligentem & minime accuratam & diu cubantem,& ob id sæpe se versantem. secundum alios superbam & viri contemptricem:cui in vtramque aurem cubans auersa iacere audet,& posteriora obuertere. Faciam in vtramuis aurem dormias. i. ociosus & securo animo ait Terent. Et Plau. In aurem dextram.Vide Erasmum. Asinus inter simias, vbi quis in nasutos homines contumeliososque stolidus ipse incidit, à quibus impune rideatur. Est enim simia animal petulans, ridensque apparet : &

Datare. quod factum viderit insigniter effingens. Datat id est frequens dat:sicut enim à no naui natum fit nato, sic à do dedi datum fit dato : vnde hic datat. In Aldina tamen impressione legitur datur:quod minus placet:quia suppositum(vt dicimus) est quæ:quæ.s.vxor morosa & annosa datat extemplo suauium anima ieiuna,id est an helitu aut spiritu oris ieiuni: anima autem ieiuna Cælio teste plerisque fœtet maxime. Hæc fere Maserius.

Consultatio diiudicatioque locorum facta ex comoedia Menandri, & Cæcilii, quæ Plotium inscripta est. CAPVT XXIII.

Comœdias lectitamus nostrorum poetarum,sumptas ac versas de Græcis,Menandro,ac Posidippo,aut Apollodoro,aut Alexide, & quibusdã item aliis comicis.Atqui cum legimus eas,nihil sane displicet,quin lepide quoque & venuste scriptæ videantur, prorsus vt melius posse fieri nihil censeas,atenim si conferas.& componas græca ipsa, vnde illa venerunt, ac singula considerate atque apte iunctis & alternis lectionibus cõmittas: oppido quàm iacere atque sordere incipiunt quæ latina sunt.Ita græcarum,quas æmulari nequiuerunt,facetiis atque luminibus obsolescunt.Nuper adeo vsus huius rei nobis venit: Cæcilii Plotium legebamus.haudquaquam mihi,& qui aderant,displicebat. Libitũ est Menandri quoque Plotium legere, à quo istam comœdiam verterat.Sed enim postquã

Diomedis Glaucique armorum precia.

in manus Menander venit,à principio statim (dii boni) quantum stupere atque frigere, quãtumque nutare à Menandro Cæcilius visus est? Diomedis hercle arma & Glauci nõ dispari magis precio æstimata sunt. Accesserat dehinc lectio ad eum locum, in quo maritus senex super vxore diuite atque deformi querebatur,quòd ancillam suam,non inscito puellam ministerio, & facie non illiberali, coactus erat vænundare, suspectam vxori quasi pellicem. Nihil dicam ego quantum differat versus vtriusque eximius:sit satis aliis ad iudicium faciendum exponi. Menander sic,

ἐπ' ἀμφοτέραι ἵν' ἐπίκληρος ἡ μέλλειν καθευδήσειν
κατεργάσασα μέγα, καὶ περιβόητον ἔργον]
ἐκ τῆς οἰκίας ἐξέβαλε τὴν λυποῦσαν, ἣν ἐβούλετο.
ἵν' ἐπιβλέπωσι πάντες εἰς τὸ κρεωβύλης πρόσωπον
ἥ τ' εὔγνωστος ἔχε με γυνὴ δέσποινα.
καὶ τὴν ὄψιν ὧν ἐκτήσατο ὄνος ἐν πιθήκοις,
τὶ δὴ λεγόμενόν ἐστι δὴ τοῦτο, σιωπᾶν βούλομαι.
τὴν νύκτα τὴν πολλῶν κακῶν ἀρχηγόν.
οἴμοι κρεωβύλην λαβεῖν ἐμέ, καὶ δέκα τάλαντα,
γύναιον οὖσα πηχέως εἶτ' ἐστὶ τὸ φρύαγμα
εἴ πως ἀνυπόστατον. Διὰ τὸν ὀλύμπιον,
καὶ Ἀθηνᾶν οὐδαμῶς παιδισκάριον, θεραπευτικὸν δὲ
λόγου, τάχιον. ἀπαγέσθω δέ τις. ἢ ἄρ' ἀντεισαγάγοι.

Cæcilius autem sic,

SENEX, Is demum miser est, qui erumnam suam nequit

Occultare. M A. Ferre ita me vxor forma & factis facit
Si taceam, tamen indicium est, quæ nisi dotem omnia
Quæ nolis, habet. qui sapit de me discet, qui quasi
Ab hoste captus libere seruio, salua vrbe, atque arce.
Quæ * mihi quicq̃ placet, eo priuatum. vin' me seruatum? *nihil
Dum eius mortem inhio, egomet viuo mortuus
Inter viuos. Eam me clam se, cum mea ancilla ait
Consuetum: id me arguit, ita plorando, orando,
Instando, atque obiurgando me obtudit, vti eam
Vænundarem. nunc credo inter suas æqualeis,
Et cognatas sermonem serit. Quæ * nostrarum fuit *nostrum
Integra ætatula, quæ hoc itidem à viro
Impetrarit suo, quod ego anus modo
Effeci, pellice vt meum priuarem virum?
Hæc erunt concilia hodie, differor sermone miser.

Præter venustatem autem rerum atque verborum, in duobus libris nequaquam parem, in hoc equidem soleo animum attendere, quod quæ Menander præclare & apposite & facete scripsit, ea Cæcilius nequaquam potuit, & quidem conatus, enarrare. Sed quasi minime probanda prætermisit: & alia nescio quæ, mimica inculcauit. & illud Menandri de vita hominum media sumptum, simplex, & verum, & delectabile, nescio quo pacto omisit. Idem enim ille maritus senex cum altero sene vicino colloquens, & vxoris locupletis superbiam deprecans, hæc ait,

ἔχω δ' ἐπίκληρον Λαμίαν, οὐκ εἴρηκά σοι.
τοῦτ' οὐχὶ κυρίαν τῆς οἰκίας, καὶ τῶν ἀγρῶν,
καὶ πάντων αὐτ' ἐκείνης ἔχομεν ἀφ' ὅλων χαλεπῶν
χαλεπώτατον, ἅπασι δ' ἀργαλέα ἐστὶν οὐκ ἐμοὶ μόνῳ
υἱῷ πολὺ μᾶλλον θυγατρί. πρᾶγμα
ἄμαχον λέγεις εὖ οἶδα.

Cæcilius vero hoc in loco ridiculus magis quàm personæ isti quam tractabat, aptus atque conueniens videri maluit. sic enim hæc corrupit,
S E. Sed tua morosa ne vxor quæso est? M A. Quam rogas?
S E. Qui tandem? M A. Tædet mentionis, quæ mihi vbi domum
Adueni, ac sedi, extemplo suauium datat ieiuna anima.
S E. Nihil peccat de suauio, vt deuomas volt, quod foris potaueris.

Quid de illo quoque loco in vtraque comœdia posito æstimari debeat, manifestum est. Cuius loci hæc ferme sententia, Filia hominis pauperis in peruigilio vitiata est. Ea res clam patre fuit, & habebatur pro virgine. ex eo vitio grauida mensibus exactis parturit. Seruus bonæ frugi, cum pro foribus domus staret, & propinquare partum herili filiæ, atque omnino vitium esse oblatum ignoraret, gemitum & ploratum audit puellæ in puerperio enitentis. timet, irascitur, suspicatur, miseretur, dolet. Hi omnes motus eius affectionesque animi in græca quidem comœdia mirabiliter acres & illustres: apud Cæcilium autem pigra hæc omnia, & à rerum dignitate atque gratia vacua sunt. Post vbi idem seruus percunctando quid acciderat, repperit, has apud Menandrum voces facit,

ὦ τρὶς κακοδαίμων ὅστις ὢν πένης γαμεῖ,
καὶ παιδοποιεῖ, ὡς ἀλόγιστος ἐστ' ἀνήρ.
ὃς μήτε φυλακὴν τῶν ἀναγκαίων ἔχει.
εἰ μήτ' ἀνατειχίσῃ εἰς τὰ κοινὰ τοῦ βίου,
ἐπαμφιέσασθαι δύναται τοῦτο χρήμασιν
ἀλλ' ἐν ἀνακατακύπτῳ τῷ ταλαιπώρῳ βίῳ
χειμαζόμενος ζητῶν μὲν, ἀνιαρὸν δ' ἔχων τὸ μέρος,
ἁπάντων ἀγαθῶν οὐ δυνάμενος.
ὑπὲρ γὰρ ἑνὸς ἀλέγων, ἅπαντας νουθετῶ.

Ad horum autem synceritatem veritatemque verborum, an aspirauerit Cæcilius, consideremus. Versus sunt hi Cæcilii, trunca quædam ex Menandro dicentis & consarci-

nantis verba tragici tumoris,
Is demum infortunatus est homo pauper,
,, Qui educit in egestate liberos,cui fortuna
,, Et res est vt continuo pateat.nam opulento famam
,, Facile occultat factio. Itaque vt supra dixi,cum hæc Cæcilii verba seorsum lego,neuti-
,, quam videntur ingrata ignauaque:cum autem græca comparo, & contendo, non puto
Cæcilium sequi debuisse quod assequi nequiret.

ASCEN. De veterum Ro.parsimonia Macrobius tertio Satur.Crinitus lib.xiiij.cap.vj. & Sabelli-
cus in adnotatis plurima disserunt:quæ omnia quia in manibus sunt non repeto. Adnotauit Maſ. quòd
Parsimonia recte dicitur esse vectigal maximum quia ita diffinitur à Seneca in lib.de benef. Parsimonia
Parsimonia. est scientia vitandi sumptus superuacaneos,aut ars re familiari moderate vtendi.Parcissimum tamē homi
nem vocamus pusilli animi & contracti.Archithrenius multa ad hanc rem pertinentia in secundo libro
festiue celebrat. Seneca prima epistola lib. xv. ait, Quid est cœna sumptuosa flagitiosius, & eque-
strē censum cōsumere? Quid tam dignum censoria nota? Si quis vt isti ganeose loquuntur sibi hæc & ge-
nio suo præstet & toties tamen sestertio adijciales cœnæ frugalissimis viris cōstiterunt.Eadem res si gulæ
datur,turpis est:si honori,reprehensionē effugit.Non enim luxuria sed impensa solēnis est. Centenosuice
nos æris,subaudio nūmos.Neque vino alienigena.i. in externa regione nato, vt sit per appositionē dictū
Alienigena. sicut tuberes vernæ à Martiale.sed inuersum putem pro alienigeno:sicut AEneid.iij.Caprigenumque pe
cus nullo custode per herbam.Lucret in.vj.Vitigeni latices in aquai fontibus audent Misceri.Archithr.La
Ludi plebei. sciuit in auro Indigeno crinis.Plus pondo.i.maius pondus. Ludis plebeis:à plebe dictis,quòd in plebis cō-
gratulationem de recepta libertate exactis Regibus instituti sunt: aut vt asserit Beroaldus propter recon-
Saturnalia ciliationem plebis cū patribus post secessionem in montem Auentinum,qui ob id sacer dictus est. Satur-
nalia festa celebrauerūt Romani,quòd à Saturno in Italia latente(à quo facto Latiū quidā dictum putāt)
& Iouis iram declināte, agriculturam edocti fuerāt,vt author est Festus.sed de Saturnalibus copiose Ma-
crobius. In erotopæinnijs.certum est vocem esse corruptam:qui autem restitui debeat difficile est diuina-
tu,cum opus nō extet.sunt qui legant erotopenijs. i. amorum paupertatibus. nam ἔρως ωτος amor &
amoris deus est:& πενία paupertas.Sed potius auscultē Ioanni Mariæ Cataneo qui epistolas Plinij expli
cans erotopægnijs legendum censet.Estque erotopægnion,ludus amoris vel amoris festū.In lexico græ-
colatino legitur quòd πῆγμα sit ludus, idemque πήγνιον. Cæterum Hermolao potius subscripsero qui
pegma siue etiā pecma ait nō ἀπὸ τοῦ παίζειν,à ludendo vt quidam inepte putauerūt, sed ἀπὸ τοῦ πη-
γνύειν.i.pangere:id quod à Græcis quoque dicitur πῆγμα,à Latinis pagmentū,sed græco vti malumus.
Cæterū à ludendo pæchnion deducitur: idque genus ludicri est poematis quale Mnaseas Locrus & Sal-
pe Lesbia scripserūt:vnde apud Ausoniū technopæchnion dicitur. Hic autem facile leges & intelliges
erotopæchnion pro ludicro poemate amatorio,licet etiam posset legi erotopægnion, quod admittit Mo
Erotopægnion. sellanus.Aureus autem à Budæo æstimatur sestertijs cētenis:iuxta quam æstimationem facile est numera
re quanti tunc cœnauerūt.Sestertiū seu mauis sestertius nūmus videtur dici à semisse tertio.quia non duos
Sestertiū. tantū asses,sed semissem quoque tertii continebat assis. Authores Vitruuius, Festus & alij: sed à Græcis
tractū video(ait Hermol.)quia vt inquit Pollux τρίτον ἡμίδραχμον.i.tertiā semidrachmā vocabant pro
duabus drachmis & semisse.Postea tamē sestertiū quaternos asses valuit,sæpe tamē quarta pars erat dena
rij:nā cū denarius valebat per omnia decussem,quarta pars fuit dipōdius & semis:quū vero.xvi.asses cœ-
pit denarius valere:quarta pars quaterni erāt asses. Cæterum Columella preciū sestertij facit minimum,
quando singula iugera soli inculti vænire tradit milibus sestertijs.Apud Lāpridium vero legitur sic,Aelio
gabalus nunquā minus centum sestertiis cœnitauit.i.vt inquit idem libris argenti triginta. Aliquando tri-
bus milibus sestertiis cœnitauit,omnibus supputatis quæ impēderet. Cœnas inquit Vitellij & Apitij vicit.
Macrob.in secundo Satur.ait Laberiū à Cæsare quingentis milibus inuitatum vt in scenam prodiret: in-
Repotia. de subiungit Laberium aureo annulo donatum & quingentis sestertijs. Repotia dicuntur cum postri-
die nuptiarum apud nouum sponsum cœnatur.à repotando.Horat.Ille repotia,natales, aliosve dierū Fe-
stos,albatus celebret.Meminit Festus Pompeius.Cælius. xv. lib.cap. xviij. ait epauliam vocari diem post
nuptias secundum:& proauliam præcedentem,paulo post cap.xxiiij.

De vetere parsimonia,deque antiquis legibus sumptuariis. CAP. XXIIII.

Parsimonia veterū Ro.

PARSIMONIA apud veteres Ro.& victus atq; cœnarum tenuitas non domestica solū obseruatione ac disciplina,sed publica quoque animaduersione, legūq; cōpluriū sanctionibus custodita est. Legi adeo nu per in Capitonis Attei Collectaneis Senatus decretū vetus, C. Fannio & M.Valerio Messala COSS. factum:in quo iubētur principes ciuitatis qui ludis Magalenſ. antiquo ritu mutitarēt,id est mutua inter sese cōuiuia agitarēt, iurare apud COSS. verbis conceptis,nō amplius in singulas cœnas sumptus esse facturos,

Mutitare. quàm centenos vicenosq; æris,præter holus,& far,& vinū:neque vino alienigeno,sed pa trio vsuros:neq; argenti in cōuiuio plus pondo,q̄ libras centum illaturos. Sed post id S.

Fānia lex. C.lex FANNIA lata est, quæ ludis Ro. item ludis Plebeis, & Saturnalibus, & aliis qui-

busdam diebus in singulos dies centenos æris insumi concessit, decemque aliis diebus in singulis mensibus tricenos: cæteris autem omnibus diebus denos. Hanc Lucilius poeta legem signat, cum dicit,

Fanni centussisque misellos.

In quo errauerunt quidam commentariorum in Lucilium scriptores, quòd putauerũt Fannia lege perpetuos in omne dierum genus centenos æris statutos. centum enim æris Fannius constituit sicuti supra dixi, festis quibusdam diebus, eosque ipsos dies nominauit: aliorum autem dierum omnium in singulos dies sumptus inclusit intra æris aliâs tricenos, aliâs denos. Lex deinde LICINIA rogata est, quæ cum certis diebus sicuti Fannia centenos æris impendi permisisset: nuptiis ducenos indulsit, cæterisque diebus statuit æris tricenos, cum & carnis aridæ & salsamenti certa pondera in singulos dies cõstituerit. Sed quicquid esset tum è terra, vite, arboreque, promiscue atque indefinite largita est. Huius legis Lælius poeta meminit in Erotopægniis. Verba Lælii hæc sunt, quibus indicat hœdum, qui ad epulas fuit allatus, dimissum, cœnamque, ita vt lex Licinia sanxisset, pomis holeribusque instructam: Lex Licinia, inquit, introducitur: lux liquida hœdo redditur. Lucilius quoque legis istius meminit in his verbis, Legem vitemus Licini. Postea L. SYLLA Dictator, cũ legibus istis situ atque senio obliteratis plerique in patrimoniis amplis helluarentur, & familiam pecuniamque suam prandiorum gurgitibus proluissent: legem ad populum tulit, qua cautum est, vt Calẽdis, Idibus, Nonisque diebus ludorum, & feriis quibusdam solennibus HS tricenos in cœnam insumere ius potestasque esset: cæteris autẽ aliis diebus omnibus nõ amplius ternos. Præter has leges AEMILIAM quoque legem inuenimus: qua lege non sumptus cœnarum, sed ciborum genus & modus præfinitus est. Lex deinde ANTIA præter sumptum æris id etiã sanxit, vt qui magistratus esset, magistratumve capturus esset, ne quo ad cœnam nisi ad certas personas itaret. Postremo lex IVLIA ad populum peruenit Cæsare Augusto imperante, qua profestis quidem diebus ducenti finiuntur: Calendis, Idibus, Nonis, & aliis quibusdã festiuis, trecenti: nuptiis autẽ & repotiis HS milies esse. Etiã dicit Capito Atteius edictum, diui ne Augusti, an Tiberii Cæsaris non satis commemini, quo edicto per dierum varias solennitates, à CCC HS adusque duo milia sumptus cœnarum propagatus est, vt his saltem finibus luxuriæ efferuescentis æstus coerceretur.

Licinia lex

Lex Syllana.

Aemilia lex.

Antia lex.

Iulia lex.

ASCEN. In latino sermone. In hoc capite docet authoritate Varronis analogiam nõ satis efficacem ad formandos casus, aut præterita aut aduerbia à similibus similia. Nam lupus & lepus similiter exeunt: & tamen lupus facit lupi vt probus probi: & lepus leporis. Item nauo nauaui, & tamen lauo laui. sic autẽ libentius lego quâm paro paraui: quia paro & lauo non similiter exeunt. Similiter pungo pupugi, vt tũdo tutudi: sed pingo pinxi, & iungo iunxi. A quibusdam etiam neutralibus aut absolute sumptis fit præteritum deponentale: vt à poto potus sum, à cœno cœnatus sum, à prandeo pransus sum: quæ in actiua significatione sua habent præterita: vt quædam alia, iuro &c. Et contra à passiuis absolute sumptis præterita neutralia: vt à lauor laui: dum enim absolute dicimus, lauerunt puellæ, à lauor deducitur: nam idem est ac si dicamus lotæ sunt. sic extergor vel extergeor, extersi, pro extersus sum. & ab astringor astrinxi. Intelligo absolute poni dum accusatiuus non exprimitur: nam subaudiri videtur accusatiuus pronominis primitiui, vt laui sup. me: sic astrinxi, extersi. quòd si alius fecerit, dicerem lotus, astrictus, extersus sum. Cætera parent. Quintilianus lib. i. Nam siue est falsum assentior, Sisenna dixit assentio, multi quoque & hunc & analogiam secuti: siue illud verum est, hæc quoque pars consensu defenditur.

Quid Græci ἀναλογίαν: quid contrà ἀνωμαλίαν vocent.

CAPVT XXV.

IN Latino sermone, sicuti in Græco, alii ἀναλογίαν sequẽdam putauerũt, alii ἀνωμαλίαν. ἀναλογία est similium similis declinatio: quam quidam latine Proportionem vocant. ἀνωμαλία est inæqualitas declinationum, consuetudinem sequens. Duo autem Græci grammatici illustres Aristarchus & Crates, summa ope ille ἀναλογίαν, hic ἀνωμαλίαν defensitauit. M. Varronis liber ad Ciceronem de Lingua Latina octauus, nullam esse obseruationem similium docet. Itaque in omnibus pene verbis consuetudinem dominari ostendit. Sicuti cum dicimus, inquit, lupus lupi, probus probi, & lepus leporis. Item nauo na- „ uaui, lauo laui, pungo pupugi, tũdo tutudi, & pingo pinxi. Cumq;, inquit, à cœno, & prã- „

Analogia.

Anomalia

„ deo,& poto,& cœnatus sum,& pransus sum,& potus sum dicamus:& astringor,tum & „ extergor,& lauor,astrinxi,& extersi,& laui dicimus.Item cum dicamus ab osco, thusco, græco,osce,thusce,græce:à gallo tamen & à mauro,gallice & maurice dicimus. Itẽ à probus,probe,à doctus docte:sed à rarus non dicitur rare, sed alii raro dicunt, alii rarenter. Idem Marcus Varro in eodem libro,Sẽtior,inquit,nemo dicit,& id per se nihil est:assentior tamen fere omnes dicũt.Sisenna vnus assentio in senatu dicebat,& eum postea multi secuti:neque tamen vincere consuetudinem potuerunt. Sed idem Varro in aliis libris multa pro ἀναλογίᾳ tuenda scripsit.Sunt igitur hi tanquam loci quidam communes contra ἀναλογίαν dicere:& item rursus pro ἀναλογίᾳ.

Raro aut rarenter. Assentior. Assentio.

ASCEN. Ad Marcum Frontonem viseret,id est visum aut videndi causa iret:est enim viso, vt ex hoc loco adnotasse putem Vallam,visum eo.itaque inquit Valla, actum corporis non desiderium aut affectũ animi indicat.Cum ibi.vacare videtur ibi,quia sequitur apud Frontonem. Videtur autem is esse de quo Iuuenalis,Frontonis platani conuulsaque marmora clamant &c.Et Martialis,Clarum militiæ Fronto togæque decus.Pædibus ægrum.Sic & Sallustius,Antonius pedibus æger.Putat tamen Valla oratoriũ fuisse,pedibus ægris.Plerisque,id est compluribus,aut ferme omnibus.Et ruber, sic aptius. Nam Quintianus & alii nonnulli negant rubeum latine dici.Et quod mirari quosdam video.sunt qui legant mirare: qua voce vsus est Varro vt citant Marcellus,& Festus Pompeius.Despoterius grammaticus diligens probans rubeus dictionem latinam,hoc cap.citat dicens scriptum esse, Rufus enim color & ruber nihil à vocabulo rubei differunt.vbi etiam Aldina impressio vt nostra Rufi habet : quanquam concinnior videtur lectio si rubei legatur:quomodo enim Rufus differat à vocabulo rufi?Nestor grammaticus ait Lythron dici cruorem à quo luthum deducatur:& citans hunc locum dicit Gellium aliter sentire,à luce namque trahit, additque dictionem h non recipere,si vera Gellij est sentẽtia:quod à viris doctis aliter recipitur. Virg.in Buco.ait,Croceo mutabit vellera lutho,prima producta.quam corripit inquit Iuuenal.dicẽs,Gladiosque parauit Incude,& lutheo Vulcano ad rhetora misit.Vbi sinæresim malunt alii esse.hæc Nestor. Mas.Id nouissimum crediderim.Nam & Ouidius in.vii.ait,Luthea mane videt pulsis aurora tenebris. quod est pulcherrimum auroræ epitheton.hæc ille.Badius sentit luteum à luce deductum,& aspiratione carere:sed vt discernatur à luto quod est cœnum,aspirationem appositam:est enim rubrum sublucidum,quale est in rostro merulæ:semperque primam producit vt lux lucis:nã in Iuuenale à luto cœno, vulcanus luteus aptissime dicitur:cum enim sudorem crebrum fabri inter carbones & puluerẽ emittant,nihil appositius quàm lutei aut lutosi dicuntur:non enim rubidi aut sublucidi sunt.Idem Nestor in.xiiij. vt ait Mas. & Calep. legunt apud Ennium in quarto citatum, Cæruleum spumat sale conserta rate pulsum Per mare. eamque puto veram lectionem ab antiquo aliquo citatam.

Viso. Pedibus ægrum. Mirare. Luthum. Lutheum.

Sermones M.Frontonis,& Phauorini philosophi de generibus colorum, vocabulisque eorũ Græcis & latinis.Atq; inibi color spadix, & cuiusmodi sit. CAP.XXVI.

Viseret ad Frontonẽ.

PHauorinus philosophus, cum ad M. Frontonem consularem pedibus ægrum viseret, voluit me quoque ad eum secum ire. Ac deinde cum ibi apud Frontonem plerisque viris doctis præsentibus sermones de coloribus vocabulisque eorum agitarentur, quòd multiplex colorum facies, appellationes autem incertæ & exiguæ forent: Plura sunt, inquit Phauorinus,in sensibus oculorum,quàm in verbis vocibusque colorum discrimina.Nã vt alias eorum concinnitates omittamus,simplices isti * rufus & viridis colores singula quidem vocabula, multas autem species differentes habẽt. Atque eam vocum inopiam in lingua magis latina video, quàm in græca. Quippe qui RVFVS color à rubore quidem appellatus est. Sed cum aliter rubeat ignis, aliter sanguis, aliter ostrum, aliter crocus, has singulas rufi varietates latina oratio singulis propriisque vocabulis non demõstrat,omniaque ista significat vna ruboris appellatione. Cum tamen ex ipsis rebus vocabula colorum mutuantur, & igneum aliquid dicit, & flammeum, & sanguineum, & croceum, & ostrinum, & aureum. Rufus enim color & ruber nihil à vocabulo rubei differunt: neque proprietates eius omnes declarãt, ξανθὸς δὲ ὁ πυῤῥὸς, καὶ ἐρυθρὸς, καὶ φοινικὸς. Sed habere quasdam distantias coloris rufi videntur, vel augentes eum, vel remittentes, vel mista quadam specie temperantes. Tum Fronto ad Phauorinum, Non inficias,inquit,imus, quin lingua græca quam tu vidêre legisse, prolixior fusiorque sit, quàm nostra: sed in iis tamen coloribus,quibus modo dixisti,designandis non perinde inopes sumus, vt tibi videmur.non enim hæc sunt sola vocabula rufum colorem demõstrantia,quæ tu modo dixisti,rufus & ruber:sed alia quoque habemus plura, q̃ quæ dicta abs te græca sunt.Fuluus enim & flauus,& rubidus,& phœniceus,& rutilus, & luteus,& spadix appellationes sunt rufi coloris,aut acuentes eum,quasi incendentes, aut cũ colo-

Rufus.

Rubri coloris species.

re viridi miſcentes, aut nigro infuſcantes, aut virenti ſenſim albo illuminātes. Nā PHOENICEVS quẽ tu Græcè φοίνικα dixiſti, noſter eſt. & rutilus & ſpadix phœnicei συνώνυμα. qui factus græcè noſter eſt, exuberantiam ſplendorémque ſignificat ruboris. Quales ſunt fructus palmæ arboris, non admodum ſole incocti: vnde ſpadici & phœnicei nomen eſt. SPADICA enim Dorici vocant auulſum è palma termitem cum fructu. FVLVVS autẽ videtur de rufo atque viridi miſtus, in aliis plus viridis, in aliis plus rufi habere. Sic poeta verborum diligẽtiſſimus, fuluam aquilam dicit & iaſpidem, fuluos galeros, & fuluum aurum, & arenam fuluam, & fuluum leonem. Sicque Ennius in Annalibus, Fuluo ære dixit. FLAVVS cōtrà videtur ex viridi, & rufo, & albo cōcretus. Sic flauẽtes comæ: & quod mirari quoſdam video, frondes olearum à Virgilio dicuntur flauæ. Sic multo ante Pacuuius aquam flauam dixit, & flauum puluerem. cuius verſus (quoniam ſunt iucundiſſimi) libens commemini, Phœniceus. Spadix. Fuluus. Flauus.

Cedo tamen pedem, lymphis flauis flauum vt puluerem, „
Manibus iiſdem, quibus Vlyſſi ſæpe permulſi, abluam, „
Laſſitudinemq; nimiam manuum mollitudine. „

RVBIDVS autem eſt rufus atrore & nigrore multo miſtus. LVTEVS contrà rufus color eſt dilucidior. vnde eius quoque nomen eſſe factũ videtur. Non ergo, inquit, mi Phauorine ſpecies rufi coloris plures apud Græcos, quàm apud nos nominantur. Sed ne VIRIDIS quidem color pluribus ab illis quàm à nobis vocabulis dicitur. Neque nō potuit Virg. colorem equi ſignificare viridem, volens cœruleum magis dicere equum q̃ glaucũ. ſed maluit verbo vti notiore Græco, quàm inuſitato Latino. Noſtris autem Latinis veteribus COESIA dicta eſt, quæ à Græcis γλαυκῶπις, vt Nigidius ait, de colore cœli, quaſi cœlia. Poſtquam hæc Fronto dixit, tum Phauorinus ſcientiam rerum vberem, verborúmq; eius elegantiam exoſculatus, Abſque te, inquit, vno forſitan lingua profecto Græca lōge anteiſſet. Sed tu mi Fronto quod in verſu Homerico eſt, id facies, Rubidus. Luteus. Viridis coloris ſpecies. Cœſia. Glaucopis

καὶ νίκην ἐπ' ἀρετῇ ἀμφήριστον ἔθηκας.

Sed cum omnia libens audiui, quæ peritiſſime dixiſti, tum maxime quòd varietatem flaui coloris enarraſti: feciſtique vt intelligerem verba illa ex Annali XIIII Ennii amœniſſima, quæ minime intelligebam,

Verrunt extemplo placide mare marmore flauo, „
Cœruleum ſpumat ſale conferta rate pulſum Per mare. „

Non enim videbatur cœruleum mare cum marmore flauo cōuenire. Sed cum ſit (ita vt dixiſti) flauus color viridi & albo miſtus, pulcherrime prorſus ſpumas virentis maris flauo marmore appellauit. Flauũ marmor.

ASCEN. Philippus Macedonum Rex & Alexandri Magni pater Methonam obſidens alterum perdidit oculum. Vnde per irriſionem dictus eſt Arimaſporum frater: eam tamen rem eidem non ab re ſummæ attribuit Demoſthenes gloriæ. Hæc æmulari volens Salluſtius. de hoc Cælius libro octauo cap. quinto. Quòd hiſtoricum nobiliſsimum à Demoſthenis æmulatione excidiſſe videri vult, inſulſiſsimũ eſt ac hominis atticiſsationem nimio plus oſtentantis. Cur enim non ex propria dicamus ſententia Salluſtium potius ea duxiſſe conſcribenda, quàm Demoſthenis imitatione? An ſumus ſub rege, nec ſibi ſe quis vindicat? An ad Græcorum præſcripta, & dicimus & facimus? Quam vanitatem in pluribus ſequitur & Macrob. cum Virgilianam vellicando claritatem Græcos tanquam in ſinu Mineruæ ac Mercurij & natos & educatos effert præconijs. Ego vero, ſi modo libera coniectatio eſt, nec cogitaſſe quidem hiſtoricum ſuper eo Demoſthenis loco contenderim, cum ea proderet: non quia græce neſciret, qui fuit doctiſsimus, vt in illa ingeniorum fertilitate, ac feliciſſimo temporum ſtatu: ſed quia proprij ingenij viribus ferebatur & eminentiſſima qua pollebat, eloquentia: præſertim cum & ipſa dictet ratio vt corpore deminuto, non fere quiſquam ſimpliciter lætetur, verum exultet mirificè, virtutis imagine ſculpta. Hæc ille. Vbi ego dixiſſem inſculpta: nam licet ſculpere minime dixerim, tamen vt ab ſalio fit inſulto: ita ab ſcalpo inſculpo. Vbi in textu erat tribus milibus in Hiſpaniam. malui legere, Tribunus militum in Hiſpania. De oculo captis non ſine gloria plura huc affert Maſ. exempla: dicit enim ſic, Lycurgus Lacedæmoniorum legiſlator à quodam in contione oculo priuatus eſt. Inde ducti pœnitentia illius turbæ authores Lacedæmonij, percuſſorem pro merito plectendum tradidere: ſed ea fuiſſe perhibetur modeſtia Lycurgus, vt traditum hominem ad ſupplicium interpollarit, melioribúſque moribus erudierit: & inde contionem ingreſſus dixerit cunctis mirantibus, Ecce quem noxium, perditum, ſontémque dediſtis, optima reddo imbutum diſciplina. Plura Plutarchus in vita Lycurgi: & in vita Sertorij duces optimos citat altero orbatos oculo: Antigonum, Philippum, & Sertoriũ. Adiungi poſſunt ſuperioribus Annibal Pœnus, & Oliuerius Cliſſonus Bryto fortiſſimus & ditiſsimus. Salluſtij defenſio. Lycurgi præclara mititas.

Quid T. Castritius super Sallustii verbis & Demosthenis: quibus alter Philippũ descripsit, alter Sertorium. CAPVT XXVII.

VERBA sunt hæc grauia atque illustria de rege Philippo Demosthenis, ἑώρων δ' αὐτὸν φίλιππον, πρὸς ὃν ἦν ἡμῖν ὁ ἀγὼν ὑπὲρ ἀρχῆς καὶ δυναστείας, τὸν ὀφθαλμὸν ἐκκεκομμένον, τὴν κλεῖν κατεαγότα, τὴν χεῖρα, τὸ σκέλος πεπηρωμένον, πᾶν ὅ,τι ἂν βουληθῇ μέρος ἡ τύχη τοῦ σώματος παρελέσθαι, τοῦτο προϊέμενον, ὥστε τὸ λοιπὸν μετὰ τιμῆς καὶ δόξης ζῆν. Hæc æmulari volens Sallustius, de Sertorio duce in historiis ita scripsit, Magna gloria Tribunus militum in Hispania T. Didio imperante, magno vsu bello Marsico paratu militum & amicorum fuit. Multáque tum du ctu eius quæ rapta primo per ignobilitatẽ, deinde per inuidiã scriptorum celebrata sunt, quæ eminus faciem suã ostentabant, aliquot aduersis cicatricibus, & effosso oculo. Quo ille dehonestamento corporis maxime lætabatur. Neq; illis anxius, quia reliqua gloriosius retinebat. De vtriusq; his verbis T. Castritius cum pensitaret, Nõne, inquit, vltra naturæ modũ humanæ est dehonestamẽto corporis lætari? Siquidem LAETITIA dicitur exultatio quædam animi cum gaudio efferuentiore euentu rerum expetitarum. Quanto illud syncerius & humanius, magisque omnibus conueniẽs, πᾶν ὅ,τι ἂν βουληθῇ μέρος ἡ τύχη τοῦ σώματος παρελέσθαι τοῦτο προϊέμενον. Quibus verbis, inquit, ostẽditur Philippus non vt Sertorius corporis dehonestamẽto lætus, quod est inquit insolẽs, & immodicũ: sed præ studio laudis & honoris, iacturarum damnorúmque corporis contẽptor: qui singulos artus suos fortunæ prodigendos daret quæstu atq; compendio gloriarum.

Lætitia.

ASCEN. De terræmotu extat opusculũ Philippi Beroaldi. scripsit etiam Crinitus cap. vij. lib. ix. de honesta disciplina, huic loco cõsona: sed quia in manibus sunt, nõ curaui huc adscribenda. Seneca quoque Stoicus lib. vj. quæstionum naturalium multis explicat vnde fiat terræ motus. ad eum recurre, & non pœnitenda leges. in eo libro male scriptum est ἐννοσείγαιον cum tertia corripienda sit. Non modo compertum non est. Hæc quibusdam videretur integra lectio, quam & Valla probaret. sunt tamen qui particulam non est sustulerint argumentantes simile genus dicendi apud Ciceronem reperiri. Ego quia ablatã offendi, non ausus sum apponere, sed in margine tantùm signare: præsertim cum videam doctissimo Budæo tale dicendi genus probari, & multis authoribus in libro Annotationum in Pandectas confirmari: & rationem subesse, eo quòd in particula, sed ne, negatio præcessisse satis indicetur: & licet non exprimatur pro expressa haberi faciat. Quiescebant, abstinebant, supersedebãt. Hostiam si deo, si deæ, immolabat. hoc est pronunciando sub disiunctione, q.d. si deo debetur, deo immolo: si deæ, deæ.

Non esse compertum cui deo rem diuinam fieri oporteat, cum terra mouetur viribus. CAPVT XXVIII.

Terræmotus ratio.

QVænam esse causa videatur quamobrem TERRAEMOTVS fiant, nõ modo his communibus hominum sensibus opinionibúsq; compertum, sed ne inter physicas quidem philosophias satis constitit: ventorũ ne vi accidant, specus hiatúsq; terræ subeuntium: an aquarum subter in terrarũ cauis vndantium fluctibus pulsibúsq;, ita vti videntur existimasse antiquissimi Græcorum qui Neptunũ ἐννοσίγαιον, καὶ σεισίχθονα appellarũt: an cuius aliæ rei causa, alteriusve dei vi ac numine, nondũ etiam (sicut diximus) pro certo creditũ. Propterea veteres Romani cum in omnibus aliis vitæ officiis, tum in constituẽdis religionibus, atq; in diis immortalibus animaduertendis castissimi cautissimiq;, vbi terram mouisse senserant, nunciatũve erat, ferias eius rei causa edicto imperabãt. Sed dei nomen, ita vti solet, cui seruari ferias oporteret, statuere & edicere quiescebant, ne alium pro alio nominando falsa religione populũ alligarent. Eas ferias si quis polluisset, piaculóq; ob hanc rem remotus esset: hostiã si deo, si deæ, immolabat. Idq; ita ex decr. PONT. obseruatũ esse M. Varro dicit: quoniam & qua vi, & per quẽ deorum dearũve terra tremeret, incertũ esset. Sed de lunæ motibus, solisq; defectionibus, non minus in eius rei causa reperienda sese exercuerunt. Quippe M. Cato vir in cognoscendis rebus multi studii, incerta tamen causa &
" incuriosa, super ea re opinatus est. Verba Catonis ex Originum quarto hæc sunt, Non li-
" bet scribere quod in tabula apud PONT. Maximum est, quoties annona cara, quoties
" lunæ aut solis lumini caligo, aut quid obstiterit. vsqueadeo paruifecit rationes veras solis & lunæ deficientium, vel scire, vel dicere.

Neptunus Ennosigæus, id est quassator terræ. Sisichthon .i. motor telluris.

ASCEN. Ex huius apologi occasione est apud Erasmum prouerb. Suã quisque homo rẽ meminit. quod est. xxxviij. cẽturiæ primæ Chil. iiij. Cũ quæ vtilia lego, quoniã quæ &c. In animos induit, legi potest induxit. Appetat. i. instet, appropinquet. sic Liuius, Appetente vere: & aliâs sæpe: quod & Sabellicus &

Appeto.

alij obseruant. Vnde & appellere quidã non indocti absolute posuerunt. sed Valla malit aut actiue poni, vt hinc me digressum vestris deus appulit oris:& Terent. Poeta cum primum animũ ad scribendũ appulit. Aut passiua voce vti: vt appulsus sum his oris. Concesserat, lego consederat, à consido hoc est descẽderat nidificandi habitandique gratia. Tẽpestiuiores.i.citius metendas quàm illi cõduceret. Sese asportet. bona reciprocatio. quia principale suppositum quod est pulli, respicit. Tempori.i.tempestiue. Operam, quã dare rogati sunt, supersedent. repete dare, aut lege quam operam. Nidũ migrauit.i.transportauit, alio migrans, vt psal.lj. Et emigrabit te de tabernaculo tuo. & radicem tuam de terra viuentium. Virg.in.iiij. absolute dixit, Migrantes cernas &c. De versibus quadratis collegit hæc doctissimus Maserius. Cælius cap. xv.lib.x. multa refert de quadrato corpore, oratione quadrata, quadrato agmine, & versibus quadratis, citátque hunc locum & caput.vij.lib.iiij. Gellij de quadrato numero. Plutarchus in Agesilao, quadrati agminis meminit. Terentianus meminit iambicum trimetrũ fieri posse quadratũ additis duobus pedibus, siue mauis duplici pede capiti: cuius verba sunt, Vnũque carmẽ lege tali pertulit. Sed hic trimetrus quando duplicem pedem A capite sumet, tũc quadratus dicitur: Idémque dictus est & octonarius. Ante ergo versum collocabo iambicum Phasellus ille quem videtis hospites. Quadratus iste talis effici potest: Adest celer Phasellus ille quẽ videtis hospites. Ex quibus verbis colligi potest quid sit versus quadratus iambicus. Quod si verum est, iam nemo dicat secundũ versum Quinti Ennij quadratum esse, quia non octonarium: nec illum versum quem Gellius ca. supra notato adfert: sed ex his alterũ dicemus non perfectũ citatum à Gellio perfecto sensu contento. alioqui videas scazontis finem cum cretico in prima sede: Nequid expectes &c. Quid autem de illo quem Gellius ex altero loco repetit sentire debeant, alijs relinquo, id vnum addens ex Cælio quadratum cum iambico confundi:& id si verum, habes Terentianum aliter sentiẽtem qui ex hipponetio acatalectico quadratum volens efficere ait Phasellus ille quẽ videtis hospites sabinus, Quadratus vt sit, parte ab ima claudicat: Erit quadratus reddita nouissima Phasellus ille quẽ videtis hospites, sabinus est. Sed num dicendum est Gellium in errorem lapsum? absit. Nã versus ille, qui propter Annibalis copias consederant, iambicus est. quadratus quidem sed brachycatalecticus: vtpote cui deest vnus pes. alter vero ex his duobus modo dictis imperfectus remansit, quòd verba forte sequentia ad rem non faciunt. Nam Gellius ex multis versibus quadratis, hoc tãtum adferre voluit quod iuuaret: nisi velis ita legere, vt scriptum reliquit Cælius: Hoc erit tibi argumentum semper in promptu situm, Nequid expectes amicos quod tu per te agere possis. Cæterum vltima sedes hoc non patitur: legas itaque tutius, Ne quid expectes amicos quod per te possis agere. Nec te terreat agere in fine. Nam & Seneca in Hercule furente dixit, Vt sæpe puppes æstus inuitas recipit. & Eschilus teste Philelpho, Qui mẽtis altæ frugifer sulcans segetem. Addo insuper numerũ quadratũ fieri ex quatuor.s.sedecim. Hæc ille. Intelligo ex quatuor quater ductis, ita vt in quadrãgulo paria & æqualia sunt sita, vt in.xvj. quatuor, sunt enim quater quatuor: quæ res quadrato versui nomen dedit: sunt enim in eo si purus & perfectus sit.xvj. syllabæ, quocirca non quadrat illud agere, nisi forte in temporibus. in Seneca legi potest capit: in Eschilo dicam Philelphum nõ reddidisse græcum nobis totidem syllabis. Si quid autem mutare ausim, versus Ennianos sic legam, Hercle hoc erit tibi argumentum semper in promptu situm, Nequicquam amicos expectes quod agere tu per te potes. Quia in priore versu redundat puto & in posteriore quantũ reposui deest. Præterea si legatur, Nequid expectes amicos, non iambicus sed trochaicus sit versus. si tamen vetus lectio placet, exponatur ne quid, id est ne in aliquo: sin nostra, nequicquam, id est frustra.

[Margin: Quadrata Quadratus versus. — Quadratus versus.]

Apologus AEsopi Phrygis memoratu non inutilis. CAP. XXIX.

AESOPVS ille è Phrygia fabulator haud immerito sapiens existimatus est: quoniam quæ vtilia monitu suasúque erant, non seuere, non imperiose præcepit, & censuit, vt philosophis mos est: sed festiuos delectabilésq; apologos commentus, res salubriter ac prospicienter animaduersas in mentes animósque hominum cum audiendi quadam illecebra induxit. velut hæc eius fabula de auiculæ nidulo lepidè atque iucundè præmonet, spem fiduciámque rerum, quas efficere quis possit, haud vnquam in alio, sed in semetipso habendam. Auicula, inquit, est parua, nomen est Cassita, habitat nidulatúrque in segetibus, id ferme temporis, vt appetat messis, pullis iamiam plumantibus. Ea Cassita in sementes forte consederat tempestiuiores, propterea frumentis flauescentibus pulli etiam tunc inuolucres erãt. Cũ igitur ipsa iret cibũ pullis quæsitũ, monet eos, vt si quid ibi rei nouæ fieret, diceretur ve, animaduerterẽt: idq; vti sibi, vbi redisset, nunciarẽt. Dominus postea segetũ illarũ filiũ adolescentẽ vocat, Et vidêsne, inquit, hæc ematuruisse, & manus iam postulare? Idcirco die crastino, vbi primũ diluculabit, fac amicos adeas, & roges veniant, operãq; mutuam dent, & messem hanc nobis adiuuent. Hæc ille vbi dixit, discessit. Atque vbi rediit Cassita, pulli trepiduli circũstrepere orareq; matrẽ, vt statim iã properet, atq; aliũ in locũ sese asportet. nã dominus, inquiũt, misit qui amicos rogaret, vti luce oriẽte veniãt, & metant. Mater iubet eos à metu ociosos esse. Si enim dominus, inquit, messiũ ad amicos reiicit, crastino seges non metetur: neq; necesse est hodie vti vos auferam. Die igitur postero

[Margin: AEsopi apologus. — Cassita. Appetat.]

mater in pabulũ volat:dominus quos rogauerat opperitur,ſol feruit,& fit nihil,& amici nulli erant. Tum ille rurſum ad filium, Amici iſti,inquit,magnam in partem ceſſatores ſunt:quin potius imus,& cognatos,affines vicinóſque noſtros oramus, vt adſint cras tẽpori ad metendum?Itidem hoc pulli pauefacti matri nunciant. Mater hortatur, vt tum quoque ſine metu,ac ſine cura ſint:cognatos affineſque nullos ferme tam eſſe obſequibi-
Obſequibilis.
les ait,vt ad laborem capeſſendum nihil cunctentur,& ſtatim dicto obediant. Vos modo,inquit,aduertite,ſi modo quid denuo dicetur. Alia luce orta,auis in paſtum profecta eſt:cognati & affines operam,quam dare rogati ſunt,ſuperſedent. Ad poſtremum igitur
Operã ſuperſedent, repete dare.
dominus filio, Valeãt,inquit,amici cum propinquis. Afferes prima luce falces duas, vnã egomet mihi,& tu tibi capies alteram, & frumentum noſmetipſi manibus noſtris cras metemus. Id vbi ex pullis dixiſſe dominum mater audiuit, Tempus,inquit,eſt cedendi, & abeundi:fiet nunc dubio procul quod futurũ dixit. In ipſo enim iam vertitur, cuia eſt
Dubio procul. Migro nidum.
res:non in alio,vnde petitur. Atque ita Caſſita nidũ migrauit,& ſeges à domino demeſſa eſt. Hæc quidem eſt AEſopi fabula de amicorum & propinquorum leui & inani fiducia. Sed quid aliud ſanctiores libri philoſophorum monent,quàm vt in nobis tãtum ipſis nitamur? alia autem omnia,quæ extra nos,extráque noſtrum animum ſunt,neque pro noſtris, neque pro nobis ducamus? Hunc AEſopi apologũ Q. Ennius in Satyris ſcite admodum & venuſte verſibus quadratis compoſuit: quorum duo poſtremi iſti ſunt, quos habere cordi & memoriæ operæprecium eſſet,

Hercle hoc erit tibi argumentum ſemper in promptu ſitum,
Ne quicquam expectes amicos,quod agere tu per te potes.

Actiuorũ abſolute ponẽdi ratio. Poſuit.
ASCEN. Simul ac ventus poſuit. Ex frequenti lectione admonitus plurima verba quæ actiua videntur abſolute poni,cauſam mecũ ac ex ea diſcrimen indagare cœpi:animaduertique, quod & prius tetigi, ea verba quæ actorem externum non habent,eleganter abſolute poni:quia cũ aliud nihil ſit, intelligitur ſe:vt,iam nox humida cælo præcipitat:videlicet ſe non dicit præcipitatur:nec diceret forte ſi metrum pateretur:quia cũ idem agat & patiatur,quia agit in ſe,& nobilius ſit agere quàm pati: maluit dicere præcipitat quàm præcipitatur:& hoc loco,ventus poſuit ſup.ſe.i.quieuit.ſic in ſuperiori, vt appetat meſſis.& exercitus appulit &c. Ponere autem & latine & gallice ſignificat etiam deponere. vt,Cõueniens latio pone ſupercilium.&, Grande cothurnati pone Maronis opus. Auſtri & Africi,quod notum eſt,flant à meri-
Sub.
die. Quòd autem dicit propelli ſurſum atque ſubiici pro eodẽ ponit. Nam ſubiici eſt ſurſum iaci aut agi: ſub enim interdum ſurſum ſignificat,vt ſe ſubiicit alnus:tot ſurrigit aures,Súſque déque fero.

Quid obſeruatum ſit in vndarum motibus:& quæ in mari alio atque alio modo fiunt auſtris flantibus aquilonibuſque. CAP. XXX.

Vndarum motus varij.
HOc ſæpenumero in vndarum motu obſeruatum eſt, quas aquilones venti,quique ex eadem cæli regione aer fluit:quáſve faciunt in mari auſtri atque Africi. Nam fluctus,qui flante Aquilone maximi ac creberrimi excitantur,ſimul ac ventus poſuit,ſternuntur & conflacceſcun[t], & mox fluctus eſſe deſinunt. At non idem fit flante Auſtro,vel Africo. quibus iam nihil ſpirantibus vndæ tamen factæ diutius tument, & à vento quidem iãdudum tranquillæ ſunt:ſed mare eſt etiam atque etiam vndabundum. Eius rei cauſa eſſe coniectatur, quòd venti à ſeptentrionibus ex altiore cæli parte in mare incidentes, deorſum in aquarum profunda quaſi præcipites deferuntur,vndáſque faciunt non prorſus impulſas,ſed vi intus commotas:quæ tantiſper erutæ voluuntur,dum illius infuſi deſuper ſpiritus vis manet. Auſtri vero & Africi ad meridianum orbis circulum,& ad partem axis infimam depreſſi,inferiores & humiles per ſuprema æquoris euntes protrudunt magis fluctus, q̃ eruunt:& idcirco non deſuper læſæ,ſed propulſæ in aduerſum aquæ etiam deſiſtente flatu retinent aliquantiſper de priſtino pulſu impetum. Id autem ipſum,quod dicimus, ex illis quoque Homericis verſibus,ſi quis non incurioſe legat,adminiculari poteſt. Nam
Auſter. Boreas.
de Auſtri flatibus ita ſcripſit,

ἔνθα νότος πόντιο λυδῶνα εἰς λᾶαν ὠθεῖ. Contrà autem de Borea,quem Aquilonem appellamus,alio dicit modo,

καὶ βορέης αἰθρηγενέτης μέγα κῦμα κυλίνδων. Ab aquilonibus enim qui alti ſuperniq́ue ſunt,fluctus excitatos quaſi per prona volui dicit. Ab Auſtris autem iis,qui humiliores ſunt,maiore vi quadã propelli ſurſum atq; ſubiici. Id enim ſignificat verbũ λᾶαν ὠθεῖ. Sicut in alio loco, λᾶαν ἄνω ὠθεῖ. Id quoque à peritiſſimis rerum philoſophis obſerua

tum est,austris spirantibus mare fieri glaucũ & cæruleũ:aquilonibus,obscurius atriúsq;. Cuius rei causam cum Aristotelis libros problematum percerpsimus,notaui,Cur austro spirante mare cæruleum fiat:aquilone,obscurius atriûsq;. An propterea ꝙ aquilo minus mare perturbat? Omne autem quod tranquillius est,atrum esse videtur.

Maris colorē à vento mutari.

ASCEN. Certum est auaritiam nō minus corpus quàm animum effœminare, dummodo sola est: nam qui auari sunt,spiritu tristi sunt:spiritus autem tristis desiccat ossa.Propterea vt de auaro Flaccus cecinit,Quærit & inuentis miser abstinet.De quo & Seneca,Tam deest auaro quod habet,quàm quod non habet.qui ergo vere & pure auarus est,macie conficitur:& corpus flaccidum & nō minus effœminatum quàm animum habet.Verum sunt quidam prodigi magis gulosi quàm auari censendi : qui cum non satis habeant ad explendam ventris ingluuiem:per rapinas,furta,fraudes,dolos,mēdacia,& periuria quæ absumant inuadunt:nihil tale facturi,si quod gulæ satis sit haberent:talésque in bona fere habitudine corporū sunt,pingues & nitidi,bene curata cute:sed non proprie auari existimandi:quia non auent vt habeant,sed vt absumant.Vtroque tamen modo peccant & acquirendi & absumendi.Sane Volaterranus in Philo.libro xxxj.multa dicit de auaritia ex philosophorum sententijs.Et Petrus Crinitus cap.vij.lib.j.Et Polyanthea suo loco:Archithrenius quoque in fine quinti & in principio sexti libri,cupiditatem & auaritiam grauiter suggillat.Hos legito.

AVLI GELLII NOCTIVM ATTICARVM COMMENTARIORVM, LIBER III.

Quæsitum ac traditum quam ob causam Sallustius auaritiam dixerit nō animum modo virilem,sed corpus quoque ipsum effœminare. CAPVT I.

HYEME iam discedente apud Balneas Sicias in area sub calido sole cū Phauorino philosopho ambulabamus,atque ibi inter ambulandum legebatur Catilina Sallustii:quē in manu amici conspectum legi iusserat. Cumq; hæc verba ex eo libro lecta essent, Auaritia pecuniæ studiū habet:quam nemo sapiens cōcupiuit.ea quasi venenis malis imbuta,corpus animūmque virilem effœminat:semper infinita & insatiabilis est, neq; copia neq; inopia minuitur. Tum Phauorinus me aspiciens,Quo inquit,pacto corpus hominis auaritia effœminat? Quid enim istuc sit, quòd animū virilem ab ea effœminari dixit,videor ferme assequi. Sed quonam modo corpus quoq; hominis effœminet,nondum reperio. Et ego inquam , longe iamdiu in eo ipso quærendo fui:ac nisi tu occupasses,vltro te hoc rogassem. Vix ego hæc dixeram cunctabundus:atq; inibi quispiam de sectatoribus Phauorini,qui videbatur esse in literis veterator,Valeriū, inquit, Probum audiui hæc dicere,vsum esse Sallustium circūlocutione quadam poetica:& cum dicere vellet,hominem auaritia corrūpi,corpus & animum dixisse , quæ duæ res hominem demonstrarent. nanque homo ex anima & corpore est. Nunquam,inquit Phauorinus,quod equidem scio,tam importuna tamque audaci argutia fuit noster Probus,vt Sallustium vel subtilissimum breuitatis artificem periphrasim poetarū facere diceret. Erat tum nobiscum in eodem ambulacro homo quispiam sane doctus,is quoque à Phauorino rogatus,ecquid haberet super ea re dicere, huiusmodi verbis vsus est , Quos, inquit,auaritia minuit & corrumpit,quique sese quærenda vndique pecunia dediderūt, eos plerosque tali genere vitæ occupatos videmus:vt sicuti alia in his omnia præ pecunia , ita labor quoque virilis , exercendique corporis studium relictum sit . Negociis se plerunque vmbraticis , & sellulariis quæstibus intentos habent , in quibus omnis eorum vigor animi corporisque elanguescit:& quod Sallustius ait,effœminatur. Tum Phauorinus legi denuo verba eadem Sallustii iubet:atque vbi lecta sunt, Quid igitur,inquit, dicimus,quòd multos videre est pecuniæ cupidos, & eosdem tamen corpore esse vegeto ac valenti? Tum ille ita respondit,non hercle inscite , Quisquis est,inquit,pecuniæ cupiens,& corpore tamen est bene habito ac strenuo:aliarum quoque rerum vel studio vel exercitio eum teneri necessarium est,atque in sese colendo non æque esse parcum . Nā si auaritia sola summa,omnes hominis partes affectionésque occupet, & si ad incuriā vsq; corporis grassetur,vt per illam vnam,neque virtutis,neque virium,neque corporis, neq; animi cura adsit: tum denique is vere dici potest effœminato esse & animo & corpore,

Sallust.locus de auaritia.

Sallustij laus.

qui neque sese,neq; aliud curet,nisi pecuniam.Tum Phauorinus, Aut hoc,inquit,quod dixisti,probabile est,aut Sallustius odio auaritiæ plusquàm potuit,eam criminatus est.

ASCEN. A sole occaso,id est qui iam occidit:vnde non dixit à sole occidente. Hoc autẽ caput fere pro suo recitat in Saturn.Macrob.Vt vero dierum apud varios varia initia memoriæ commendes,lege hoc lepidum AEgidij Maserij distichon, Atticus occasum spectat,Babylonius ortum,Nox media Ausonijs,medius sol perplacet Vmbris.Indicuntur autem nobis festa ab Rom. ecclesia: à media nocte in mediam noctem. Horas tamen Itali incipiunt à sole occidente:easque vigintiquatuor numerant: quarũ prima est post solis occasum:vltima quæ & xxiiij.sole iam cadente. Quæ sacra nocturna fuerint apud Romanos,docet Politianus cap.x.Miscell.Macrobius autem docet qui sit ciuilis dies.Proximus eam noctem virtute præpositionis accusatiuumiregit,vt apud Sallust.Proximi Hispaniam Mauri sunt. Auspicauerunt antique,nunc auspicati fuerunt,dicitur. Abesse Roma,recte cum ablatiuo, quia locum non detrimentum notat,alioqui bene dixeris,pater mihi abest.Ante diem quartum Calendas &c.Calepinus hunc locum citãs dicit, Vsurpari à iurisperitis accipi pro eo quod est præteritis vti.Mihi autẽ hic videtur vsurpare quasi per vsum,suum efficere,quod de re derelicta & quæ dominũ aut possessorem non habet,dici solet. Vsurpatum vero passiue accipi videtur:in qua significatione Valla prius supinum accipi negat,veteres nõ negant.Sensus itaque mihi est, Mulierem non esse vsurpatam,id est factam propriam iure vsurpationis,quæ cum cœpisset esse apud virum causa matrimonij Calendis Ianuarijs, isset vsurpatum, id est vt vsurpetur ab eo ante diem quartum Calend.Ian.seq.Ex quibus verbis propter legis ignorationem subobscuris,opinor mulierem quæ cum viro fere annũ consueuisset,si vellet ab eo vsurpari,debere ab eo in fine anni triduum integrum abesse,& sic quasi nouum in matrimonium accipi. quæ ergo vsurpandi causa.iiij.Calẽd. non abijsset:non fuisset Calendis vsurpata,eo quòd non abfuisset triduum & trinoctium integrum,si quidem.iiij.Calend.non abijsset à media nocte.nam tertiæ noctis sex posteriores horæ alterius sunt anni, & ita quarti diei, in quo se vsurpatam frustra putauit.Legẽdum ergo est haud dubie posteriores, non posterioris:refertur enim ad horæ, & non ad noctis.nam si ad noctis,dicendum esset,trium noctium postremæ, eo quòd superlatiuum inter plura duobus locum solum habet,comparatiuum vero partitiue tentum: inter duo,aut in duas partes diuisa,ideòque quia nox sicut dies diuiditur in senas horas, sex ante mediũ noctis & sex post:bene dixit tertiæ noctis posteriores sex horæ. Nõ posse impleri.repete dicere solitum.sed prolixior fio. Addam tamen quod Maserius noster recentius adnotauit.Seruius in illum Virgilij locũ, Torquet medios nox humida cursus, Et me sæuus equis oriens afflauit anhelis:ait inchoare diem secundum AEgyptios ab occasu solis,secundum Persas ab ortu solis,secundum Hetruscos & Athenien.à sexta diei hora,id est meridie:secundum Romanos à media nocte,& hoc nũc secutum poetam dixisse, Medios cursus nox humida torquet.Hæc autẽ plane exequitur Cicero in Auguralibus, & A.Gellius in libris Noctium Atticarum.Hoc enim indicat illa res iuris,quòd cum Tribunum plebis abnoctare ab vrbe non liceret,licebat tamen exire post noctem mediam & ante mediam reuerti. Hæc Seruius. Sane hac tempestate videmus horum omnium similitudinem: nam Itali.xxiiij. horis diem dimentientes primam ponunt post occasum solis,Iudæi & Persæ post ortum, sic & olim Romæ.Vnde Mart. Prima salutantes atque altera suscipit hora,Exercet raucos tertia causidicos.Ecclesia indicit festa à media nocte in mediam sequẽtem: chorus celebrat cantum à vespera in vesperam.Operarij locant operas ab ortu in occasum, excubitores ab occasu in ortum vsque.

Absum.

Vsurpatũ passiue.

Quęnam esse natalem diem M.Varro dicat eorũ,qui ante noctis horã sextam,postve eam nati sunt:atq; inibi de temporibus terminisq; dierũ, qui ciuiles nominantur,& vsquequaque gentium varie obseruantur:& præterea quid Q. Mutius scripserit super ea, quam maritus non iure vsurpauisset,quòd rationem ciuilis anni nõ habuerit. CA. II.

Macrobiũ lege lib.j. Saturn.ca. iij.

Dierũ obseruatio & constitutio varia.

Sol occasus.

QVæri solitum est, qui noctis hora tertia quartave, siue qua alia nati sunt, vter dies natalis haberi appellarique debeat:is ne,quem nox ea consecuta est,an qui dies noctem consecutus est.M.Varro in libro rerum Humanarum,quę de diebus scripsit,Homines,inquit,qui media nocte ad proximã mediã noctem in his horis XXIIII nati sunt, vna die nati dicuntur. Quibus verbis ita videtur dierũ obseruationem diuisisse, vt qui post solẽ occasum ante mediam noctem natus sit,is ei dies natalis sit,à quo die ea nox cœperit: contrà vero qui in sex horis posterioribus nascatur,eo die videri natum, qui post eam noctem diluxerit. Atheniẽses autẽ aliter obseruare idẽ Varro in eodẽ libro scripsit, eósque à sole occaso ad solem iterũ occidentẽ omne id medium tempus vnum diem esse dicere.Babylonios porro aliter.à sole enim exorto ad exortum eiusdem incipientem, totum id spatium vnius diei nomine appellare. Multos vero in terra Vmbria vnum & eundem diem esse dicere à meridie ad insequentem meridiem.Quod quidem,inquit,nimis absurdum est.Nã qui Calendarum hora sexta natus est apud Vmbros,dies eius natalis videri debebit,& Calẽdarum dimidiarum,& qui est post Calendarum dies,ante horam eiusdem diei VI.Po-

pulum autem Romanum ita vti Varro dixit, dies ſingulos annumerare à media nocte vſque ad mediam proximam, multis argumentis oſtēditur. Sacra ſunt Romana partim diuina, partim nocturna, ſed ea quæ inter noctē fiunt, diebus adiiciuntur non noctibus. Quæ igitur ſex poſterioribus noctis horis fiunt, eo die fieri dicuntur, qui proximus eā noctem illuceſcit. Ad hoc ritus quoque & mos auſpicandi eandem eſſe obſeruationem docet. Nā magiſtratus quando vna die eis auſpicandum eſt, & id ſuper quo auſpicauerūt, agēdum, poſt mediam noctē auſpicatur, & poſt meridiem ſole magno: auſpicatiq; eſſe & egiſſe ex eodē die dicuntur. Præterea Tribuni pleb. quos nullū diem abeſſe Roma licet, cum poſt mediam noctem proficiſcuntur, & poſt primā facem ante mediam ſequentem reuertuntur, non dicuntur abfuiſſe vnum diem, quando ante horam noctis VI regreſſi, partē aliquam illius in vrbe Roma ſunt. Q. quoque Mutium Iuriſconſul. dicere ſolitum, Lege non eſſe vſurpatam mulierem, quæ cū calendis Ianuariis apud virum cauſa matrimonii eſſe cœpiſſet, ante diem IIII Calendas Ianuarias ſequentes vſurpatum iſſet. non enim poſſe impleri trinoctium, quod abeſſe à viro vſurpandi cauſa ex XII tab. deberet: quoniā tertiæ noctis poſteriores ſex horæ alterius anni eſſent, qui inciperet ex calēdis. Iſthæc autem omnia de dierum temporibus & finibus, ad obſeruationem diſciplināmq; iuris antiqui pertinentia, cum in libris veterum inueniremus, non dubitabamus quin Virgilius quoque idipſum oſtenderit, non expoſitē atque aperte, ſed vt hominem decuit poeticas res agentem, recondita & quaſi operta veteris ritus ſignificatione.

Proximus noctem. Auſpicauerunt. Vſurpandi lex.

Virg. loc. lib. v.

Torquet (inquit) medios nox humida curſus,
Et me ſæuus equis oriens afflauit anhelis.

His enim verſibus oblique, ſicuti dixi, admonere voluit diem quem Romani ciuilē apellauerunt, à VI noctis hora oriri. Dies ciuilis.

ASCEN. Verum eſſe comperior. deponentale aut cōmune verbum vt experior. Dioмedéſque ait comperior apud Salluſtium legi: Sed ego comperior Bocchum magis punica fide. nos tamen cōperio dicimus. Atque contente. i. contendendo, & cum attentione: à contendendo, non à continendo. Solariū, id eſt indicem horarum ad vmbram factam à ſtipite in medio circuli in duodenas aut. xxiiij. partes diuiſo: quæ vmbra ad ſolis motum diuerſas tangit lineas, vt nunc index, vt Galli dicunt, quadrantis horologio motus. Nam me puero vterus erat ſolariū. Sic Quintia. legendum monuit: quæ lectio Plautino ingenio maxime congruit. Vult enim dicere prius quàm ſolarium inuentum erat: non expectabam horā nonā (nam vt dicit Mart. Imperat extructos frāgere nona toros) qua comederem: ſed vterus erat mihi ſolarium: hoc eſt edebam quādo eſuriebā. Vnde addit: vbi iſte. i. vterus, monebat eſſe. i. manducare, ab edo: niſi cū nihil eſſet ſcilicet quod manducarē: quia tūc fruſtra monuiſſet. Nunc etiam quod eſt. ſ. cibi, nō eſtur niſi lubet Soli: quia expectāda eſt hora à Sole in ſolario ſignanda. Legamus itaque vterus non vetus. ſed ne metrū mancū ſit, & ſimul vt paraſiti morem explicet: qui ventrem oſtentat: legam vterus hic. i. meus. Cælius ait in foro fuiſſe Meniana vnde ſpectarētur ludi & dicta ſolaria. vnde ad ſolarium verſari prouerbialiter deducit pro eo qui frequenter ſpectacula viſitat. Addit inſuper eſſe horologia vt hic. Item vectigalia quæ pro ſolo pendūtur apud Iuriſconſultos. i. nequid in publico fiat. Solarium dicitur inſtituiſſe L. Papyrius Curſor. Præterea in vltimo verſu legam Maiórque pars &c. Eſt autē figurata locutio Pars aridi. Verſiculus qui in vulgatis codicibus ex Neruularia Plau. ſic legitur. Strateæ, ſcrupedæ, ſtratiuulæ, ſordidæ: à Nonio Marcello aliter legitur: & ex alia comœdia accerſitur. dicit enim ſic. Scraptas, ſcrupedas, ſtrictiuelas, exprobratio deformitatis meretricū. Plautus in Aulularia. Scraptæ, ſcrupedæ, ſtrictiuelæ, ſordidæ. Baptiſta etiā hūc verſū Aululariæ adducit. cap. cciiij. adnot. legitque Scraptæ, ſcrupedæ, ſcriptipellæ, ſordidæ. his in Varrone reperi locū ex Eruolaria citatum: ſicque omnia inuerſa ſunt. Idē lib. iij. de lingua latina verſum citat: vt videtur ex Accio, qui eſt. Scractiæ, ſcrupidæ, rutabulæ, tantalæ. additque: Ab excreando Scractiæ. Sic adſignificat ſcrupidam &c. Vocat & ſcrupeam curioſam: in Menalippa: Reijcis abs te religionem: ſcrupeæ imponas. Vocat etiam ſtritabillas aut ſtritibillas à ſtritilando. Beroaldus vult Scractiæ & Scrupeæ dicantur facetiſſime à Plau. duo genera meretricum: Sctactiæ vetulæ quæ merere non vltrà valentes lenocinio victitant: & igni aſſidentes in ahænea vaſa excreant. Scrupeæ & Scrupedæ à duritia & moleſtia lapillorum qui ſcrupi & ſcrupuli dicuntur: ſunt ſuperſtitioſæ & anxiæ ac vietæ. Mihi placet vt legatur Scraptæ, ſcrupedæ, ſtratiuolæ, ſordidæ. Stratiuolæ quòd ſtratum volunt, aut ad ipſum volant cum pigræ ſurgāt. Pius addit. xxxiiij. ca. adnotationum pri. Vermiculum in frondibus habitantem quem Latini vocant ſcraptiam, nomen meretricibus liquiſſe, quæ dicuntur ſcraptiæ, à Plauto & Gellio ſcraptæ. In altero verſu rutabulæ dictæ videntur quòd ignem aſſidue rutēt. i. verſent, vt rutabula carbones in furno. Tantalæ autē quòd iam decrepitæ: aut Tantalæ quòd inexpleta ſiti laborēt vt Tantalus. Legat quiſque & intelligat pro captu ſuo. Reſponſum Arietini. ſ. Iouis: qui Dionyſio ſeu Libero ſiti laborāti in Libyca arena occurrit in forma arietis, & ad fontē perduxit, vbi Hāmoni tēplū extructū erat: in quo ſub forma arietis colebatur, & reſponſa dabat. Peribo ſi non fecero &c. Id vſu venire poteſt, habenti duos heros, aut herum & heram contraria præcipiētes. Maſer. Puto, inquit, intelligi tēdiculas cornutas & ſophiſticas, quibus vt arietino cornu impetimur. Has Quintilianus vocat Ceratinas lib. j. Eſt enim κέρασ cornu. Inde κερατινός corneus, & κεραός cornutus. Vide

Cōperior. Solaria & ad ea verſari. Solarium. Scractiæ. Scrupeæ. Scraptæ. Rutabulæ. Tantalæ. Oraculū Arietinū. Dilemma Ceratinū.

Angelum Politianum cap.liiij.Miscel.Hoc autem quod ceratinum dicitur,Peribo si non fecero &c.est di lemma.i.ratiocinatio vtrinque capiens aduersarium.Propterea apud diuum Hieronymum epist.xl.contra Ruffinum legendum est,Hoc est verum dilemmatum tuum:non ex dialectica arte,quā nescis,sed ex carnificum officina & meditatione prolatum:Si tacuero,criminosus ero:si respondero,maledicus.Potest etiā legi dilemma vt poema & poematum:cum male scribatur dilematum.Nam δίλημμα dicitur.Hæc Mas. Sunt qui alia de causa Ceratinas vocant:vtpote quòd à cornu sit sumpta captio huiusmodi. Si quis ab incauto quærat,habes adhuc omnes dentes tuos:& ille dicat habeo quia nullum amisi : & captator inferat, quicquid igitur non amisisti habes:si ille annuerit,inferat:cornua non amisisti,ergo cornua habes. Est & crocodilina à Crocodilo (vt aiunt)inuenta:Crocodilus deprendit in ripa Nili matrē cum infante : dixitq; ad matrem,non euades quin te aut natum deuorem nisi verum mihi responderis : mater dixit se libenter verum responsuram:dic igitur inquit:absumam filium tuum nec ne? Si responderit mater, non absumes: intulerit ille:mentita es,& ideo filium absumam:si responderit:absumes.vt igitur,inquit,verum dixeris necesse est vt absumam,quia si non absumpsero mentita fueris:& ita ex pacto absumere debeā. Talibus griphis vsi sunt olim sophistæ,nunc vero insolubilibus quos dicunt.Pistori.molitori qui pinsit.i.frangit frumētum,non qui panem facit,quanquam vnus vtrunque facere potest.

Hierony. locus.

De noscendis explorādisque Plauti comœdiis,quoniam promiscue veræ atque falsæ nomine eius inscriptæ feruntur. Atque inibi quòd Plautus in pistrino,& Næuius in carcere fabulas scriptitarint. CAPVT III.

VERVM esse comperior,quod quosdam bene literatos homines dicere audiui,qui plerasque Plauti comœdias curiosè atque contentè lectitauerunt, non indicibus Helii Sedigiti,nec Claudii,nec Aurelii, nec Accii,nec Manilii,super his fabulis,quæ dicuntur ambiguæ,credituros:sed ipsi Plauto, moribúsque ingenii atque linguæ eius. Hac enim iudicii norma Varronem quoque vsum videmus. Nam præter illas vnam & xx quæ Varronianæ vocantur, quas idcirco à cæteris segregauit,quoniam dubiosæ non erant,sed consensu omniū Plauti esse censebantur : quasdam item alias probauit, adductus stilo atque facetia sermonis Plauto congruentis:eásque iam nominibus aliorum occupatas, Plauto vindicauit. Sicuti istam,quam nuperrime legebamus,cui est nomen BOEOTIA:nam cum in illis vna & xx non sit, & esse Aquilii dicatur, nihil tamen Varro dubitauit quin Plauti foret:neque alius quisquam non infrequens Plauti lector dubitauerit,si vel hos solos versus ex ea fabula cognouerit:qui quoniam sunt,vt de illius Plauti more dicam,plautinissimi,propterea & meminimus eos & ascripsimus. Parasitus ibi esuriens hæc dicit,

Cōperior. Plauti quæ sūt comœdiæ dicendæ.

Bœotia Plauti. Plautinissimi versus.

„ Vt illum dii perdant,primus qui horas repperit,
„ Quique adeo primus statuit hic solarium,
„ Qui mihi comminuit misero articulatim diem. * * *
„ Nam me puero vterus hic erat solarium
„ Multo omnium istorum optumum & verissimum,
„ Vbi iste monebat esse,nisi cum nihil erat. * * *
„ Nunc etiam quod est,non estur,nisi soli lubet.
„ Itaque adeo iam oppletum'st oppidum solariis,
„ Maiórque pars populi aridi reptant fame.

Phauorinus quoque noster cum Neruulariam Plauti legerem, quæ inter incertas est habita,& audisset ex ea comœdia versum hunc,

Scraptæ,scrupeæ,stratiuolæ,sordidæ,

Scraptæ.

delectatus faceta verborum antiquitate,meretricum vitia atque deformitates significātium,Vel vnus hercle,inquit,hic versus Plauti esse hanc fabulam satis potest fidei fecisse. Nos quoque ipsi nuperrime cum legeremus FRETVM (nomen est id comœdiæ, quā Plauti esse quidam non putant)haud quicq̄ dubitauimus,quin & Plauti foret,& omniū maxime genuina. Ex qua duos hos versus excripsimus,vt historiam quæreremus oraculi Arietini. Nunc illud est,quod Arietini responsum magnis ludis dicitur,Peribo,si nō fecero: Si faxo,vapulabo.

Fretum Plauti.

M.autem Varro in libro de comœdiis Plautinis,primo actu verba hæc ponit, Nam nec Gemini, nec Leones, nec Condalium, nec Anus Plauti, nec Bis compressa, nec Bœotia vnquam fuit:neq; adeo Ἄγροικος,neq; Commorientes,sed M. Acutici. In eodem libro Varronis id quoq; scriptū,etiam PLAVTIVM fuisse quempiam poetā comœdiarū:cuius quoniam fabulæ Plauti inscriptæ forent,acceptas esse quasi Plautinas, cū essent non à Plauto Plautinæ,sed a Plautio Plautianæ. Ferūtur autē sub Plauti nomine comœdiæ circiter cētū atq; triginta. Sed homo eruditissimus Lælius quinq; & viginti esse eius

Plautius poeta comicus.

solas existimauit. Non tamen dubium est, quin ista & quæ scripta à Plauto non videntur, & nomini eius adiiciuntur, veterum poetarum fuerint, & ab eo retractatæ expolitæque sint, ac propterea recipiant stylum Plautinum. Sed enim Saturionem & Aditum, & tertiam quandam, cuius nunc mihi nomen non suppetit, in pistrino eum scripsisse Varro, & plerique alii memoriæ tradiderunt: cum pecunia omni, quam in operis artificum scenicorum pepererat, in mercationibus perdita, inops Romam redisset, & ob quærendum victum ad circūagendas molas, quæ trusatiles appellantur, operam pistori locasset. Sicuti de Næuio quoque accepimus, fabulas eum in carcere duas scripsisse, Ariolum & Leontem: cum ob assiduam maledicentiam, & probra in principes ciuitatis de Græcorum poetarum more dicta, in vincula Romæ à III viris cōiectus esset. Vnde post à Trib. pleb. exemptus est cum in iis quas supra dixi, fabulis, delicta sua, & petulātias dictorum, quibus multos antè læserat, diluisset. In pistrino Plautus scripsit.

ASCEN. Vt nuper adnotauit Mas. Haliabas author est potissimum pulchritudinis, roboris, & ornatus argumentum esse barbam. Addit Cælius barbā quæ toto increscit mento dici mystaca, sed & quæ nascitur sub naribus: illud vero quod inferiori labro innascitur barbitium, dici pappum & vtrumque barbitium, hypenen. Item eam dici aruncum quæ in caprarū mento nascitur pēdula. Aristoteles vocat cryngum. Addit idem Mase. In. xij. tabulis scribitur carmen his verbis, Mulieres genas ne radunto, Neve lessum funeris ergo habento, id est ne summam deradūto cutem, nec vestimentum funebre habento, aut lugubrem eiulationem faciunto, vt interpretantur alij. Cato ab Horatio dicitur intonsus ad antiquos habito respectu. Primos tonsores in Italiam ex Sicilia P. Ticinius adduxit, anno. ccccliiij. vt scriptum est in publicis libris Ardeæ. Quòd radere genas sit interdum lacerare ostendit Iuuenalis similiter vtens verbo. post hunc raduntur tubera, si ver Tunc erit. Ad lessum de quo paulo ante, allusit Tibullus, Tu manes ne læde meos, sed parce solutis crinibus, & teneris Delia parce genis. Eumque, neque barbam desisse radi. figurate, pro eo quod est, barbam habere rasam. noluit forte dicere, desisse radere: ne tonsor per hoc videatur. sed non placet, quia paulopost dicet nobiles viros barbam in eiusmodi ætate rasitauisse. Neque tamen recte dixeris. Eique, neque &c. quia neque sic multiplicatum eundem requirit casum. Male autem meo iudicio legitur: Neque non candida veste vti, quia redundat non, cum repetatur verbum desisse. vt sit. Neque desisse vti veste candida. cum rei vt misericordiam excitent atra & pulla, quinetiam sordida interdū veste vterentur. Minorem. xl. annorum: subaudi ætate. Barba. Lessum habere.

Quòd P. Africano, & aliis tunc viris nobilibus, ante ætatem senectam barbam & genas radere moris fuit.

CAPVT IIII.

IN libris quos de vita P. Scipionis Africani compositos legimus, scriptū esse animaduertimus, P. Scipioni Pauli filio, postq̄ de Pœnis triūphauerat CENS. q; fuerat, diē eidē dictū esse ad populum à Claudio Asellio Trib. pleb. cui equū in Censura ademerat. eumque cum esset reus, neq; barbam desisse radi, neque candida veste vti, neque fuisse cultu solito reorum. Sed cum in eo tempore Scipionem minorem XL annorum fuisse constaret, quod de barba rasa ita scriptum esset, mirabamur. Comperimus autem cæteros quoque in eisdem temporibus nobiles viros, barbam in eiusmodi ætate rasitauisse. Idcirco plerasque imagines veterum, non admodum senum, sed in medio ætatis, ita factas videmus. Radendi barbam tempus.

ASCEN. Vt Mase. adnotauit, notatur ab Ouidiana Phædra iuuenum mollities cum dicit, Sint procul à nobis iuuenes vt fœmina compti: Fine coli modico forma virilis amat. Seruilius in vita AEmilij ait, Sergius Galba homo nitida cute, & corpore propter vmbram continuam molli, nec vnquam vulnus perpesso, de re militari ac de fortitudine & ignauia imperatorū verba facere audet contra eos qui sunt vulneribus innutriti? Quod autem ad locum hunc facit mœchatio in oculis à satyrographo notatur: Ille supercilium madida fuligine tinctum Obliqua producit acu. Sed & beatissimus Hieronymus ait oculos & orbes fuliginatos stibio. Cælius testis est. hæc & plura repetēs, idē Hieronymus cōtra Iouinianū. xxv. ca. epi. v. secundo tractatu primæ partis ait, Qui habent oculos plenos adulterio & insatiabili libidine, & decipiunt animas, necdum charitate Christi robustas: Loquuntur enim verba tumentia &c. Et castus perintegr. legam perintegre. Cinædi sunt molles & pathici, verenda motare soliti aut ea experti. Nam κινέω dicitur moueo, αἰδοῖα autem sunt verenda aut pudenda membra. Molles notati.

Deliciarum vitium, & mollities oculorū & corporis, ab Archesilao philosopho cuidam opprobrata acerbe simul & festiuiter.

CAP. V.

PLVTARCHVS refert ARCHESILAVM philosophū vehemēti verbo vsum esse, de quodā nimis delicato diuite, qui incorruptus tamē, & castitatis perintegræ dicebatur. Nā cum vocē eius infractam, capillūq; arte compositū, & oculos ludibūdos atq; illecebræ voluptatisq; plenos videret: Nihil interest, inquit, quibus mēbris cinædi sitis, posterioribus, an prioribus. Dictum in molles.

Supra. ASCEN. Si ſupra palmæ arboris lignum &c. Valla diceret ſuper, quia contingue fit. Sed vt adnotauit Maſ. id neque ſemper neque paſſim obſeruatur: quoniam nec Liuius id ſemper ſeruat, nec ipſe Quintilianus Vallæ deus. Hæc ille: quæ licet vera ſunt, non fruſtra tamen huius elegãtiæ admonuerim imperitos: quando venuſtius ſecundum Vallæ præceptum ac ſecus vtantur. Palmæ arboris: appoſitio bona, quia eſt palma non arbor, vt in manu, & dum pro victoria ſumitur: ſed pro victoria metaphoricôs: cuius ratio hic habetur. Neque tamen neceſſaria erat appoſitio: quia additur lignum: differtque lignum ab arbore, quòd hæc proprie ſit viua, illud mortuũ: ideoque quædam pro ligno, qui fructus earum eſt, in neutro genere ponuntur, vt hebenum, buxum, &c. licet eam differentiam Seruius rideat: nam vero ſimile eſt vt quia lignũ eſt arboribus ſterilibus pro fructu: & fructus fere neutro ſignificatur genere: authores lignũ neutro enunciaſſe genere. Ingenium Quoniã ingeniũ .i. natura, & dicitur hic de rebus inanimis: ſic Claudianus primo de raptu Proſerpinæ. Ingenio confuſa loci. Eſt enim ingenium ingenita vis & virtus, quam genus Porphyrius dici Pandari. cenſet: vnde & genius dictus. Hermolaus autem Barbarus in caſtigationibus poſterioribus ait pandari trabẽ id eſſe quod incuruari & ponderi cedere: cuius contrarium palmæ faciũt: quippe non cõtra inferiora, ſed in diuerſum renitendo fornicantur, vt illud genus aſinorũ, quos Xenophon cantelios vocari tradit. Palmam pro victoria ponunt. Hinc ergo (inquit Maſe.) in horamate noſtro cecini, Nec parti ancipitem dederat victoria palmam: Nam ſurgebat, hebes cui modo pectus erat. Vbi victoria non eſt proprium pro dea, vt apud Valerium Flaccum in. vj. argo. & palma inde cultius poſitum videtur.

De vi atque natura Palmæ arboris, quòd lignum ex ea ponderibus impoſitis renitatur. CAPVT VI.

Palma renititur põderi.

PErhercle rem mirandam Ariſtot. in VII Problematum, & Plutrc. in VIII Sympoſiacôn dicit, Si ſupra Palmæ, inquit, arboris lignum magna pondera imponas, ac tam grauiter vrgeas oneresque, vt magnitudo oneris ſuſtineri non queat, non deorſum palma cedit, nec intra flectitur: ſed aduerſus pondus reſurgit, & ſurſum nititur recuruaturque. Propterea, inquit Plutarchus, in certaminibus palmam ſignum eſſe placuit victoriæ, quoniam ingenium eiuſmodi ligni eſt, vt vrgentibus opprimentibusque non cedat.

Nominũ confuſio. ASCEN. Quia de nomine non conuenit inter doctos, adnotauit hæc Maſ. Beroaldus in illum Propertij locum. Et deus extinctum creſſis Epidaurius hærbis Reſtituit patrijs Androgeona focis, ait Glaucũ dictum Androgeona binominem aut mutatam fabulam quod & oratoribus interdum cõceditur. Sic Gellius Ceditium nominat, licet Quadrigarius Laberium, qui dicitur Calphurnius Flamma à Plinio & Liuio. Hæc illi. Pulchrum, dij boni, facinus. eſt ergo medium vocabulum facinus, ita vt in bonam partem accipi poſſit. Græcarumque facundiarum magniloquentia condignum. Hoc quoque in bonam partem qui dicit, accipit author, quia Græcarum literarum plus nimio mirator. Verum callidus cauillator diceret ideo dignum, quòd verum non eſſet: Græci autem quæ vera non ſunt, ſic coloribus excolunt, vt vera videãtur. vnde eſt illud Iuuenalis, Et quicquid Græcia mendax audet in hiſtoria. Bello Carthaginenſi. Hanc lectionem veram prædicant, eo quòd in carmine, vbi Carthaginenſi non habet locum, repererunt. Officiũ Tribuni militum deſcribitur apud Crinitum lib. xj. cap. ij. de diſci. hone. Quod Sanguen, ſic tempore Catonis dicebatur. vnde nobis ſanguinis &c. Sic & Lucreti. Viſceribus viſcus gigni, ſangueque creari. Leonidæ Spartani facinus Herodotus celebrat: recitatque Vale. Maximus in cap. de fortitudine.

Hiſtoria ex annalibus ſumpta de Q. Ceditio Trib. militũ: verbaq; ex Originibus M. Catonis appoſita, quibus Ceditii virtutẽ cũ Spartano Leonida æquiparat. CAP. VII.

Ceditij facinus.

PVlchrum, dii boni, facinus, græcarumque facundiarum magniloquentia condignum M. Cato libris Originum de Q. CEDITIO Trib. militum ſcriptum reliquit. Id profecto eſt ad hanc ferme ſententiam, Imperator Pœnus in terra Sicilia bello Carthaginenſi primo, obuiã Romano exercitui progreditur: colles locosq; idoneos prior occupat. Milites Romani, vti res narrata eſt, in locum inſinuant fraudi & perniciei obnoxium. Tribunus plebis ad COS. venit, oſtendit exitium de loci importunitate, & hoſtium circunſtantia. Maturum cenſeo, inquit, ſi rem ſeruare vis, faciundum, vt CCCC aliquos milites Verruca montis. ad verrucam illam (ſic enim M. Cato locum editum aſperumque appellat) ire iubeas, eamque vti occupent, imperes, horterisque. hoſtes profecto vbi id viderint, fortiſſimus quiſque & promptiſſimus ad occurſandum pugnandumque in eos præuertentur, vnoq; illo negocio ſeſe alligabunt, atque illi omnes CCCC proculdubio obtruncabuntur. Tu interea occupatis in ea cæde hoſtibus, tempus exercitus ex hoc loco educendi habebis. Alia niſi hæc, ſalutis via nulla eſt. COS. Tribuno reſpondit, Conſilium quidem fidum atque prouidens ſibi viderier. Sed iſtos, inquit, milites CCCC ad eum locum in hoſtiũ cuneos quiſnam erit, qui ducat? Si alium, inquit Tribunus, neminem reperis, me licet

ad hoc periculum vtare, Ego hanc tibi & Reip. animam do. COS. Tribuno gratias laudesque egit. Tribunus & CCCC ad moriendũ proficiſcuntur. Hoſtes eorum audaciã demirantur. quorſum ire pergant in expectando ſunt. ſed vbi apparuit, ad eãdem verrucam occupandam iter intendere, mittit aduerſum illos Imperator Carthaginenſis peditatum equitatumque, illos quos in exercitu viros habuit ſtrenuiſſimos. Romani milites circũueniuntur: circunuenti repugnant. fit prælium diu anceps. tandem ſuperat multitudo. Quadringenti omnes tum vna perfoſſi gladiis, aut miſſilibus operti cadunt. Conſul interibi, dum ea pugna fit, ſe in locos tutos atq; editos ſubducit. Sed quod illi Tribuno duci militum CCCC diuinitus eo prælio vſus venit, nõ iam noſtris, ſed ipſius Catonis verbis ſubiecimus. verba Catonis, Dii immortales Trib. militum fortunam ex virtute eius dedere. Nam ita euenit, cum ſaucius multifariam ibi factus eſſet, tum vulnus capiti nullum euenit. eumque inter mortuos defatigatum vulneribus atque ſpirantem, quòd ſanguen defluxerat, cognouere: eum ſuſtulere, isque conualuit. Sæpe poſt illam operam Reipub. fortem atque ſtrenuam perhibuit. Illoque facto quòd illos milites ſubduxit, exercitum cæterum ſeruauit. Sed idem benefactum loco in quo ponas, nimiũ intereſt. Leonidas Lacedæmonius laudatur, qui ſimile apud Thermopylas fecit. propter eius virtutes omnis Græcia gloriam atque gratiam præcipuam claritudinis inclytiſſimæ decoraucre monimentis, ſignis, ſtatuis, elogiis, hiſtoriis, aliisque rebus gratiſſimum id eius factũ habuere. At Tribuno militum parua laus pro factis relicta, qui idem fecerat, atque Remp. ſeruauerat. Hanc Q. Ceditii virtutẽ M. Cato tali ſuo teſtimonio decorauit. Claudius autem Quadrig. Annali III non Ceditio nomen fuiſſe refert, ſed Laberio.

Sanguen. Leonidæ factum.

ASCEN. Quiſpiam Timochares. quia nomen poſuit debuerat ſecundum Vallam, quidam dicere. Inimiciter. Plura ergo aduerbia in ter fiunt à poſitiuis ſecundæ, quàm à Pomponio Læto enumerentur. Et fidei ergo. i. cauſa, vt Aeneid. vj. Illius ergo venimus. Hiſtoriam etiam Valerius recitat.

Inimiciter

Literæ eximiæ Cõſulum C. Fabritii & AEmilii ad Regem Pyrrhum, à Q. Claudio ſcriptore hiſtoriarum in memoriam datæ. CAP. VIII.

CVm Pyrrhus Rex in terra Italia eſſet, & vnam atque alteram pugnam proſpere pugnaſſet, ſatisque angerentur Romani, & pleraque Italia ad regem deſciuiſſet: tum Ambracienſis quiſpiam Timochares regis Pyrrhi amicus ad C. Fabritium Conſulem furtim venit, ac præmium petiuit, & ſi de præmio conueniret, promiſit regem venenis necare. Idque facile eſſe factu dixit, quoniam filii ſui pocula in conuiuio regi miniſtrarent. Eam rem Fabritius ad Senatum ſcripſit. Senatus legatos ad regem miſit, mandauitque vt de Timochare nihil proderent, ſed monerent, vti rex circunſpectius ageret, atque à proximorum inſidiis ſalutem tutaretur. Hoc ita vti diximus, in Valerii Antiatis hiſtoria ſcriptũ eſt. Quadrigarius autem lib. III non Timocharem, ſed Niciam adiſſe ad Conſulem ſcripſit. neque Legatos à Senatu miſſos, ſed à COSS. & Regem Po. Ro. laudes atque gratias ſcripſiſſe, captiuosque omneis, quos tum habuerit, reſtituiſſe & reddidiſſe. COSS. tum fuerunt C. Fabritius atque AEmilius. Literas quas ad regem Pyrrhum ſuper ea cauſa miſerunt, Cl. Quadrigarius ſcripſit fuiſſe hoc exemplo. COSS. Romani ſalutẽ dicunt Pyrrho regi, Nos pro tuis iniuriis continuo animo ſtrenue commoti, inimiciter tecum bellare ſtudemus, ſed communis exempli & fidei ergo viſum eſt vti te ſaluum velimus, vt eſſet, quem armis vincere poſſimus. Ad nos venit Nicias familiaris tuus, qui ſibi preciũ à nobis peteret, ſi te clam interfeciſſet. Id nos negauimus velle: neve ob eam rem quicquam commodi expectaret. & ſimul viſum eſt, vt te certiorem faceremus, ne quid eiuſmodi ſi accidiſſet, noſtro conſilio ciuitates putarent factum: & quòd nobis non placet, precio, aut præmio, aut dolis pugnare. Tu niſi caueas, iacebis.

Timochares proditor. Nicias. Literæ COSS. ad Pyrrhũ Inimiciter Ergo.

ASCEN. Seianus equus, inter diuerbia apud Eraſmum eſt. Apud quem, adagium, Muſtellam habes, idem notat. Exitus Dolobellæ (ſic enim antiquis ſcribebatur) eſt apud Appianum Alexandrinum lib. iiij. de bellis ciuilibus. Argos, ad Euriſtea regem. HS. i. ſeſter. alii ſcribunt LLS. Aurum Toloſanum Iuſtinus illud putat, quod ex direptione Delphici templi Gallis obtigerat. Punicei coloris equum. ſunt qui badiũ putent aut non abſimilem: quo colore, etiam equus in Gallicis fabulis celebratus memoratur. Legendum

autem Cepio nō Scipio: licet apud Strab.lib.iiij. sic deprauatum legatur. quia Sidon.primo Paneg.inquit, Haud aliter cæsus quondam quum Cepio robur Dedidit Ausonium.

Quis & cuiusmodi fuerit, qui in prouerbio fertur, equus Seianus: & qualis color equorū sit, qui Spadices vocātur. deq; istius vocabuli ratione. CAP. IX.

Seianus equus.

Caius Bassus in cōmentariis suis, itē Iulius modestus in II Quæstionum confusarum, historiam de EQVO SEIANO tradunt, dignā memoria atq; admiratione. Cn. Seium quempiam scribunt fuisse, eumq; habuisse equū natum Argis in terra Græcia: de quo fama constans esset tanquam de genere equorū progenitus foret, qui Diomedis Thracis fuissent, quos Hercules Diomede occiso è Thracia Argos perduxisset. Eum equum fuisse dicunt magnitudine inusitata, ceruice ardua, colore phœniceo, flaua & comanti iuba, omnibusque aliis equorum laudibus quoque longe præstitisse. sed eundem equum tali fuisse fato siue fortuna ferunt, vt quisquis haberet eum, possideretque, is cum omni domo, familia, fortunisque omnibus suis ad internicionem deperiret. Itaque primum illum Cn. Seium dominū eius à M. Antonio, qui postea III vir. R. P. cōstituendæ fuit, capitis damnatū miserando supplicio affectum esse. Eodem tempore Cor. Dolobellam COS. in Syriā proficiscentem fama istius equi adductum, Argos diuertisse, cupidineque habendi eius exarsisse, emisseque eum HS centum milibus. Sed ipsum quoque Dolobellam in Syria bello ciuili obsessum atque interfectum esse. Mox eundem equū, qui Dolobellæ fuerat, C. Cassium, qui Dolobellam obsederat, abduxisse. Quem Cassium postea satis notum est, victis partibus, fusoque exercitu suo, miseram mortem oppetiisse. Deinde Antonium post interitum Cassii parta victoria, equū illum nobilem Cassii requisisse: & cum eo potitus esset, ipsum quoque postea victum atque desertum detestabili exitio interisse. Hinc prouerbiū de hominibus calamitosis ortum, dicique solitum, Ille homo habet equum Seianū. Eadem sententia est illius quoque veteris prouerbii, quod ita dictū accepimus, AVRVM TOLOSANVM. Nam cū oppidum Tolosanum in terra Gallia Q. Cepio COS. diripuisset, multumque auri in eius oppidi templis fuisset: quisquis ex ea direptione aurum attigit, misero cruciabilique exitu periit. Hūc equum C. Bassus vidisse se Argis refert, haud credibili pulchritudine vigoreque, & colore exuberantissimo. Quem colorem nos, sicuti dixi, puniceum, græce partim φοίνικα, alii σπάδικα appellant: quoniam palmæ termes ex arbore cum fructu auulsus, spadix dicitur.

Prouerb. Aurū Tolosanum. Aliter strabo lib.iiij. Puniceus color. Spadix.

ASCEN. Septenarium celebrat Quintianus, vt Ausonius ternarium. de quo etiam multa Macrobius primo de somnio Scip. & Cæl.lib.ij.cap.liiij. & lib.xij.cap.xij. Volaterranus etiam nonnulla lib.xxxv. Et commentarij in illud Aeneid.i. O terque quaterque beati. Nec minus est nobis celeber: vt patet de sacramentis, operibus misericordiæ, ordinibus, diebus &c. E queis. i. è quibus. Omnes numeros. comprehendēdo etiam vnitatem: quāuis non numerus, sed principium numeri censeatur. Nam vnum, duo, tria, & quatuor faciunt decē: & quinque, sex, & septē octodecim: quæ simul octo & viginti faciunt. Hoc etiā obiter notandū quòd in omni supputatione quatuor prima constituunt denarium sui generis, vt. i. ij. iij. iiij, decem x. xx. xxx. xl. centū. c. cc. ccc. cccc, mille: & ita deinceps. Vt vero nuper adnotauit Mas. Diuus August. cap. xxx. lib. xj. probat senariū numerum esse perfectissimū: vbi probat deum omnia fecisse in numero, mensura & pōdere. Numerus enim ille fit ex omnibus suis partibus vt dicunt aliquotis, & ideo perfectus est: fit enim ex monade seu vnario sexies posita vel posito: ex binario ter posito, & ex ternario bis posito. reliquæ partes nō sunt aliquotæ: quia quaternarius quotiescunque sumatur integre nō cōstituit senarium, sed
Senarius.
quaternarius cū semi: & ita de quinario. senarius autē non est pars senarii, sed totus ipse senarius: vide illic interpretē. At in cap. xxxi. numerū septenarium alia ratione ostēdit esse perfectū. Nā cū primus numerus impar sit ternarius, & eius partes vnum & duo & primus numerus sequens sit quaternarius, constat numerum ex vtrisque constitutum esse perfectissimum: is autem est septenarius: quo sæpe propterea vtimur. Nā legimus iustum septies in die cadere & resurgere. Et in Psal. Septies in die laudem dixi tibi. Itē septē dona spiritussancti. Addit expositor diui Augustini, corpora gigni ex quatur elementis tribus distantiis & interuallis, seorsis: Vnde fiunt septem. Item septem planetas: & semen septimo die concretum pellicula, contentum. Item aliquid innouatur in homine septimo quoque die, mense & anno, nec sine mysterio fa-
Septenarius.
ctum credo, quod Diuus Hieronymus ad Innocentium scribit de muliere vercellana gladio septies percussa, nec interempta. Vide locum in tertia parte tractatus, si recte memini. vi. epistola. xxiij. remque videbis mirabilem de mulieris constantia. Leguntur etiam septem boues pingues & . vij. macilentæ Gen. xl. Septem annis fames in Iudæa. iiij. Reg. viij. Nec prætermittendum quod Heliseus prophetes dixit regi Iudæo qui dicebatur Ioas: Si percussisses quinquies aut sexies, siue septies percussisses Syriam vsque ad consummationem. Septem annis seruiuit Iacob pro Rachele: & falsus à socero tempus repetiuit. Gen. xxix. Septem viri de genere Saulis cruci affixi sunt. ij. Reg. xxj. Septem ecclesiæ per id sunt signatæ quod spiritussanctus ait per os Esaiæ: Apprehendent septem mulieres virum vnum in die illa.

Septem fratres ab Antiocho cæsi.ij.Mach.vij.Diuus quoque Hieronymus epistola.lxxx. tract. xv. partis tertiæ ait, Quia enim septenarius numerus solet in scripturis ad quandam perfectionem mysticus apparere. Et in secunda epistola tract.j.partis secundæ ait, Nonnulli septenarium numerum plenum & perfectũ interpretantur, de multis scripturarum locis testimonia contrahentes. Et hunc esse sensum quẽ supra perstrinximus, quòd qui interfecerit Cayn ab ingenti illum afflictione & omnia supplicia excedente liberarit pœna. Hæc Hierony .exponẽs illud Omnis qui occiderit Cayn septem vindictas exoluet: vel vt interpretatur Aquila , septempliciter vlciscetur : vel vt Symmachus hebdomada vel septimus vindicabitur. Vel vt.lxx.interpretes & Theodotium septem vindictas exoluet . Nec idem vir & sanctissimus & eruditissimus, quippe qui omnium scientissimus quæ sciuit humanitas, prætermisit illud quod dicitur de. lxxvij. vindictis Lamech:& quòd lxxvij. generationes ab parente primo ad Christum de virgine natũ procedunt per numerum septenarium. Super illum locum Gen.l.Fleuitque eum omnis ægyptus.lxx. diebus : decies s.septenario numero repetito: dicit vnus ex interpretibus Ethnicos flere.ix . diebus mortuos,& septẽ diebus exequias celebrare. Vnde Eccl.xiij.Luctus mortui septem dies: luctus autem fatui omne tempus vitæ eius. septenarius enim requiem significat, Vnde septima dies sabbatum.i.requies dicitur. Celebrabant ergo septimam diem mortuorum optantes illos cum domino quiescere à laboribus præsentis vitæ. Hinc ergo dicitur: fleuit eum ægyptus.lxx.diebus: qui est decuplatus septenarius : septies enim deni septuaginta sunt. Et in primo cap.Exodi dicitur, septuaginta animas de femore Iacob egressas. Item in euãgelio. lxx. ponuntur discipuli domini. Et in oratione dominica septem sunt petitiones:& septem recitãtur vnius mulieris mariti. Matt.xxij. Septem panes cap.xv.licet aliubi quinque panes & duo pisces. Hæc Mase . Addit Cælium cap.xiij.lib.v.quid sit cricote sphæra exponere: item quid cricos, quidve Demosthenis cricos: Præterea de corporis humani modulo Solinus ait, nullũ posse pedũ septem excedere longitudinẽ, quòd Hercules intra hunc modum fuerit, Pusio tamen & Secundilla denos pedes dicuntur habuisse:& Gablarũ nouem pedes & totidem vncias . Orestis ossa Tegeæ inuenta impleuisse longitudinem septem cubitorum quam celebrat Architrenius, Staturam cubitis septem distendit Orestes: Bis senis phrygios potuit mouisse ruentis. Gemagog arduitas Cœnæi fracta lacertis. Sic enim video Architrenium repositum . Melius tamen vt Corinæi non Cœnæi sit legendum (licet ab Ouidio & nostro Gellio, alijsque nõ paucis Cœnæus modo vir, modo fœmina celebretur) hoc sensu , quòd magnitudo cadentis Gemagog gigantis Brytannici collisa brachijs Corinæi potuit terruisse phrygios Brutũ & Corineũ cæterosque exules nobilissimos, nobili phrygum sanguine progenitos. His enim auspicibus Albion à gigantibus possessum phrygibus cessit,& à Bruto dicta est Brytannia.u in y mutata. A Corinæo autem dicta est Corinæia, quæ nunc Cornubia. Et nequis forsam modo ambigat quod de Corinæo producimus , Architrenium in quinto sic canentem legat. Hanc domitor mundi Tirynthius alter, Achiuis Atridæque timor Corinæus , ferra gigantum Clauaque monstriferam sociæ delegit alumnam Omnigenam Troiæ : pluuioque fauiflua lacte Filius exilio fessæ dedit vbera matri. A quo dicta prius Corinæia dicitur, aucto tẽpore corrupti Cornubia nominis hæres . Ille gigantæos attritis ossibus artus Implicuit leto . & quæ sequuntur . Inde paulopost loquens de gigantibus addit . Hos auidi belli Corinæi robur auerno Præcipites misit cubitis ter quatuor altum Gemagog Herculea suspendit in aera lucta: Antæũque suum scopulo detrusit in æquor: Potauitque dato thetis ebria sanguiue fluctus : Diuisimque tulit mare corpus, cerberus vmbram. Siquis horum magnitudinem admiretur , necesse est & illius robur & altitudinem suspiciat , cuius os in vrbe visitur, catena suspensum ferrea in arce quam dicunt Parrisij Luparam. Est Guinguanij Albani D . Acygnæij herois Coetmenij siue mauultis Baronis sepulchrum , vbi os illud quod pedem genu alligat , alterius hominis hac tempestate maximi os idem quatuor digitis & supra excedit . Vnde habita proportione ad cæterorum membrorum dimensionem , qua corporis proceritate fuerit facile potest colligi . Est & in Armorica Brytannia Mauricij insularis altitudo in pariete depicta, cuius verticem primoribus digitis sursum protensis vix nostri temporis quispiam vel procerus maxime posset contingere. Ego etiam Germani Fabri sancti Clodoaldi decani, viri sane præ alijs humanissimi auditor, quendam vidi in famatissimo bonorum puerorum musæo cimbrum natione sesquipede superãtem maximorum altitudinem. At is erat tibijs præter decorum turgentibus , coxis vero pertenuibus . Nec omittendum quod dicitur Deutero.cap.iii. Solus quippe Og rex Basan, restiterat de stirpe gigantum. Monstratur lectus eius ferreus qui est in Rabbath filiorum Ammon nouem cubitos habens longitudinis & quatuor latitudinis, ad mensurã cubiti virilis manus. In quem locum ait Nicolaus de lyra . De magnitudine huius Og dicunt Iudæi quòd à planta pedis vsque ad cauillam pedis erãt triginta cubiti humani. Quod si verũ esset , cum illa pars sit quarta respondens longitudini pedis, sequeretur, quòd pes habuisset.cxx.cubitos. Ergo habita proportione ad pedes & cubitos regis illius potuit lecti ferrei magnitudo ciuitatẽ magnã pene facere. Ipsum lege interpretẽ . Idẽ quoque in.xxj.cap.Num.Iudæorũ incredibilẽ adfert fabulã ex libro qui benedictiones inscribitur. cũ audisset Og quòd Israelitarum castra occuparent tria terræ miliaria, eradicauit montẽ tantũ spatij continentem:& supra caput posuit, quem in castra conijceret: sed deus formicas immisit quæ montem penetraueruntt: sicque per foramen in collum descendit:& cum se vellet eo explicare, dẽtes succreuerunt, & montis foramina sic intrarunt vt non potuerit inde expediri . Addit inde ex eodem libro quòd Moyses habebat decẽ cubitos altitudinis secundum mensuram tabularum tabernaculi: qui cum videret Og ita impeditum accurrit,& per.x.cubitos in altum saltauit:& sic attigit ad cauillam pedis eius & in terram proiecit . Hæc & alia commentantur Iudæi de Og: quare minus miramur poetarum figmenta, qui Iudæorum mẽdacijs exacte reuolutis simul & ægyptijs poemata scripturi multa finxerunt à vero semotissima . Hæc Mase. qui & sequentia adnotauit . Diuus Augustinus cap.ij. lib.vj.de ciuitate dei meminit Varronis: de quo hic

Corporis humani modus Orestis.

Architrenij locus.

Brytannia Corinæus.

Gigantes.

Og.

Mosis altitudo.

Varro.

Gellius,qui Academicus fuit ſubtilis ingenioſusque maxime,minus tamẽ eloquẽs quàm M.T. Cicero. Is xc.annos pene vixit.Interpres addit Euſebij teſtimonio.De huius ſcientia multa Auguſtinus diſſerit cap. prædict.& ſeq.In quinto autẽ ponit ex Varronis traditione triplicẽ theologiã, poeticã, naturalẽ & ciuilẽ. Hác theologiæ diuiſionem ante poſuerat Scæuola pontifex.Quid autem de his Varro: quid D. Auguſtinus cenſuerint in.vj.de ciui.dei libro prolixe exponitur.& in.vij.In vndecimo vero ponit Auguſtinus philoſophiam rationalem,naturalem,& moralem.De Climacterico anno diſputat Beroal.in adnotatis Plin. Plura autem dicentur à Gellio ipſo lib.xv.cap.vij.Oreſti corpus.ſicut à Virgilio dicitur Acris Oronti:Immitis Achilli,infelicis Vlyſſi &c.eo quòd nominatiui græci in es tertiæ,illis etiã in eus exeũt.Si ſeptem cubita faciunt.xij. pedes & quadrantem.i.quartam partem pedis : ſingula cubita binos faciunt pedes dẽpto quadrante ſingulis:nam ſi ſingulis quadrantem adieceris,binos pedes integros fecerint,fuerintque pedes quatuordecim.Dentes quoque &c.Miraculum mihi certe videtur,& magnum labantis mundi indicium, quòd qui modo ſaltem in Gallia naſcuntur,tertia(reſpectu eorum qui ante annum ſeſquimilleſimum nati ſunt)dentium parte defraudantur.Septem opera miranda . de quibus Perotus in principio Cornucopiæ,ad illud Barbara pyramidum ſileat miracula Memphis:Aſſyrius iactet &c. Vbi Maſſerius non ſubſcribit Andreæ Alzato:qui Aſſiduus legit.Baptiſta Egnatius capite vltimo racemationum , de ſeptẽ diebus ſeptemque planetis ſcitu digna diſſerit.Alijs cubitus ſeſquipes eſt vt ſupra patuit . Et putem Solinum ſenſiſſe ſeptem pedes cuiusque eſſe menſuram corporis ipſius,licet hic Gellius aliter ſentiat.

Quòd eſt quædam ſeptenarii numeri vis & facultas,in multis naturæ rebus animaduerſa,de qua M.Varro in Hebdomadibus diſſerit copioſe. CAP. X.

Septenarij numeri poteſtas. Errones.

M Ar.Varro in primo librorũ qui inſcribuntur Hebdomades, vel de Imaginibus, SEPTENARII numeri,quem Græci ἑβδομάδα appellant, virtutes poteſtatesque multas variasque dicit.Is nanque numerus(inquit) Septẽtriones maiores minoresque facit in cælo:item Vergilias,quas πλειάδας vocant.Facit etiam ſtellas,quas alii Erraticas,P. Nigidius Errones appellat.Circulos quoque ait in cælo,circum longitudinem axis ſeptẽ eſſe,ê queis duos minimos,qui axem extimum tangunt , πόλους appellari dicit:ſed eos in ſphæra , quæ κρικωτὴ vocatur propter breuitatem non ineſſe . At neque ipſe Zodiacus ſeptenario numero caret.nam in VII ſigno fit ſolſtitium à bruma:in ſeptimo bruma à ſolſtitio:in VII æquinoctium ab æquinoctio . Dies deinde illos, quibus HALCYONES hyeme anni in aqua nidulantur,eos quoque ſeptem eſſe dicit.Præterea ſcribit lunæ curriculum confici integris quater ſeptenis diebus. Nam duodetriceſimo luna,inquit , ex quo veſtigio profecta eſt,eodem redit:authoremq; opinionis huius Ariſtidem eſſe Samium . In qua re non id ſolum animaduerti debere dicit,quòd quater ſeptenis,id eſt octo & viginti diebus conficeret iter luna ſuum:ſed quòd is numerus ſeptenarius , ſi ab vno profectus, dũ ad ſemetipſum progreditur,omnes,per quos progreſſus eſt , numeros comprehendat , ipſumque ſe addat,facit numerum VIII & XX quot dies ſunt curriculi lunaris.Ad homines quoque naſcendos vim numeri iſtius porrigi pertinereq; ait.Nã cum in vterũ,inquit, mulieris genitale ſemen datum eſt primis ſeptem diebus conglobatur coagulaturque:fitque ad capiendã figurã idoneum.Poſt deinde quarta hebdomade, quod eius virile fœtus futurũ eſt,caput,& ſpina quæ eſt in dorſo,informatur.Septima autẽ fere hebdomade , id eſt, nono & XL die,totus,inquit,homo in vtero abſoluitur.Illam quoq; vim numeri huius obſeruatam refert,quòd ante mẽſem VII neque maſculus neque fœmina ſalubriter ac ſecũdũ naturã naſci poteſt. quòd ii qui iuſtiſſime in vtero ſunt,poſt CCLXXIII dies,poſtq̃ ſunt cõcepti,quadrageſima deniq; hebdomade ita naſcũtur.Pericula quoq; vitæ,fortunarumq; hominum,quæ Climacteras Chaldæi appellant,grauiſſima quæque fieri affirmat ſeptenariis.Præter hæc modum eſſe dicit ſummũ adoleſcendi humani corporis, ſeptẽ pedes:quod eſſe magis verum arbitramur,q̃ quod Herodotus homo fabulator in primo hiſtoriarum,inuentum eſſe ſub terra ſcripſit ORESTI corpus cubita longitudinis habens ſeptem,quæ faciunt pedes XII & quadrantẽ.Niſi ſi (vt Homerus opinatus eſt) vaſtiora prolixioraque fuerint corpora hominum antiquorũ:& nunc quaſi in mundo ſeneſcente rerum atq; hominum decrementa ſint. DENTES quoque & in ſeptẽ primis menſibus,& ſeptenos ex vtraque parte gigni ait,& cadere annis ſeptimis : & genuinos annaſci annis fere bis ſeptenis. VENAS etiam in hominibus,vel potius arterias, medicos muſicos dicere ait , numero moueri ſeptenario , quod ipſi appellant τὴν διὰ τεσσάρων συμφωνίαν, quæ fit in collatione quaternarii numeri.Diſcrimina etiã periculorũ in morbos maiore vi fieri putant in diebus,qui conficiuntur ex numero ſeptenarii.eosque dies omniũ maxime, ita vt medici appellant,κριτικοὺς ἢ κρισιμοὺς,cuiquã videri primam hebdomadã,& ſecundã & tertiam. Necnon id etiam ad vim facultatesque eius numeri augendas , quòd quibus

Halcyonij dies.

Septenarij in hominis geneſi poteſtas.

Climacteras.

Herodotus fabulator.

Oreſti corporis lõgitudo.

Dentes.

Venæ.

inedia mori consilium est, septimo demum die mortem oppetunt. Hæc Varro de numero septenario scripsit admodum conquisite. Sed alia quoque ibidem congerit frigidiuscula. veluti septem opera esse in orbe terrarum miranda, & sapientes item veteres septē fuisse, & curricula ludorum Circensium solennia septem esse, ad oppugnādas Thebas duces septem delectos. Tum ibi addit, se quoque iam duodecimam annorum hebdomadā ingressum esse, & ad eum diem septuaginta hebdomadas librorum conscripsisse. Ex quibus aliquandiu cum proscriptus esset, direptis bibliothecis suis, non comparuisse.

Varro scripsit libros CCCCXC.

ASCEN. Capite. xxj. libri. xvij. de Homeri & Hesiodi ætate multa fuseque disseruit. De Homeri fato patria & morte Stephanus Niger in Dialogo quodā plausibiliter differit: quæ ne quis desideret his duximus apponenda. Oraculum Homero datum, cum patriam sciscitaretur, est.

Homero oraculum datum.

ὄλβιε, καὶ δύσδαιμον, ἔφυς γὰρ ἐπ' ἀμφοτέροισι	O fœlix & infortunate, nā in vtraque es ortus sorte,
πατρίδα δίζηαι, μητρὸς δέ τοι, οὐ πατρός ἐστιν.	Patriam quæris, matris tibi non patris est.
ἔστιν ἴος νῆσος μητρὸς πατρὶς, ἥ σε θανόντα	Ios insula matris est patria, quæ te defunctum
δέξεται, ἀλλὰ νέων παίδων αἴνιγμα φύλαξαι.	Excipiet, sed puerorum ænigma caueto.

Ostēdit autem in ipsa insula Homeri sepulchrū necnō & Clymenes, quā fuisse Homeri matrē ferunt. Cyprij Homerū sibi vendicāt, cuius Themisto indigenam mulierem matrem dicunt. Cicero in oratiōe pro Archia poeta, Homerum, inquit, Colophonii ciuem esse dicunt suum, Chij suum vendicant, Salaminij repetunt. Smyrnij vero suum esse confirmant: itaque etiam delubrum eius in oppido dedicauerunt. Permulti alij præterea pugnant inter se atque contendunt. Herodotus Criteide matre, patre vero incerto genitū esse Homerum tradit. Aristoteles in tractatu de poetice, Dæmonem Homeri genitorem fuisse prodidit. Sunt cui Mæonis & Ornithus fuisse filium velint. Alij tam de parentibus quàm de patria, inter se penitus diuersa senserunt. Omnes enim literarum principem tanquam in medio positum sibi certatim asserere conabantur: Itaque Antipater diuini ac cœlestis ingenii admiratione ductus, Cælum quidem Homeri esse patriam: Calliopen vero matrem, hoc scribit Epigrammate,

Homeri sepulchrum. Mater. Patria. Parentes. Pater Dæmon Mæon.

οἱ μέν σευ Κολοφῶνα τιθηνήτειραν Ὅμηρε	Hi quidem tuam Colophona nutricem Homere,
οἱ δὲ καλὰν Σμύρναν, οἱ δ' ἐνέπουσι Χίον.	Hi vero pulchrā Smyrnam, hi vero dicunt Chion.
οἱ δ' Ἴον, οἱ δ' ἐβόασαν εὔκλαρον Σαλαμῖνα.	Hi vero Ion, at hi dixerunt fœlicem Salamina.
οἱ δέ νυ τῶν Λαπιθέων ματέρα Θεσσαλίην.	Hi vero Lapitharum matrem Thessaliam.
ἄλλοι δ' ἄλλην γαῖαν ἀνίαχον. εἰ δέ με Φοῖβος	Alij aliam terram cecinerunt: si vero me Phœbe
χρὴ λέξαι πινυτὰν ἀντίχα μαντοσύναν,	Decet dicere prudens aperte vaticinium,
πάτρα σοι τελέθει μέγας οὐρανὸς, ἐκ δὲ τεκούσης	Patria tibi est magnum cælum: ex matre autem
οὐ θανατᾶς, ματρὸς δ' ἔπλεο Καλλιόπας.	Non mortali: nam matre es Calliope.

Ortus est autē, vt fama tenet, iuxta Meleten Smyrneorum fluuiū: vnde Melesigenes, postea Homerus ab oculorum cæcitate nuncupatus est. Smyrnei enim seu Cymei & vt Calepinus scribit Cumæi & Iones luminibus captos (vt Plutarchus refert) Homeros appellant. A Melete flu. iuxta Smyrnam labente fit meleteus a, um. Vnde Tibullus lib. iiij. Posse Meletæas nec mallē mittere chartas. i. Homericas. Pap. Attollat refluos in astra fontes Graio nobilior Melete Bethis. Et in tertio, Smyrna tibi gentile solum, potusque verēdo Fōte meles. Vide Plutarch. in Sertorio. Tāta autē discēdi cupiditate flagrauit, vt vniuersam Græciā peragrauerit, ibique & Heroum nomina & eorum gesta perceperit, traieceritque & in AEgyptum (vt Siculus scribit Diodorus) In Ithacā autē profectus ab Vlyssis manibus Græcorū ac Troianorum res gestas, ea lege, vt Philostratus ait, audiuit: vt Vlyssem quidem quoad eius fieri posset, celebraret. Palamedis vero omnino nullā faceret mētionē. Qua itē tēpestate floruerit, inter scriptores mira dissensio est. Nā sunt (vt idē testatur Philostratus) qui Homerū quarto & vigesimo post Troianū bellū āno fuisse velint. Alii cētesimo ac vigesimo septimo: nōnulli cētesimo ac sexagesimo, quo tēpore & Hesiodus fuisse traditur. Nō desunt qui statim capta Troia opus aggressum fuisse cēseāt. Scripsit (vt eius lusus de industria omittamus,) poemata duo. Iliada. s. & Odyssean, quorū altero bellū Troianū, altero Vlyssis varios errores, reditumque eiusdē in patriā cōplexus est. Homeri Iliada rei militaris viaticū, magnus Alexander appellatus vna cum pugione, semper sub puluino, vt Onesicrates tradidit, tenere solitus erat. Hæc autem cum variis in locis cecinisset, ac dispersa reliquisset, à Pisistrato demū in vnū quasi corpus digesta sunt. Lycurgus Lacedæmonius (vt Plutarch. refert) in Asiā profectus Homeri poemata apud Creophili filios repperit, eaque cōscripsit vt in patriā portaturus. Erat enim carminū pertenuis fama apud Græcos. Obijt aūt postremū diē in Io insula nimio animi angore ac solicitudine, quòd piscatorū ænigmaticū quoddā respōsum, griphumque dissoluere atq; interpretari nō valuisset. Nā cū eos interrogasset, ecquid cepissent? Quæcūque cepimus nō habemus, quæ vero nō cæpimus ea habemus, respōderūt. Pedūculos seu pediculos quibus vestes purgauerant, non pisces innuentes: quare in ipso littore huiusce Epigrammatis inscriptione sepultus est.

Melesigenes Homerus. Homeri studia. Tēpora Home. & opera. Iliada Alex. secū tulit. Obitus seu mors Homeri

ἐνθάδε τὴν ἱερὰν κεφαλὴν κατὰ γαῖα καλύπτει,	Hic sacrum caput terra contegit,
ἀνδρῶν ἡρώων κοσμήτορα θεῖον Ὅμηρον.	Virorum Heroum ornatorem diuinum Homerum.

Plutarchus quoque in Sertorij vita de ortu atque obitu Homeri hoc refert: Chios & Smyrna opulentissimarū ciuitatū nomina habēt: quarū in altera natus est Homerus, in altera decessit. Hæc ille. Annius aūt Viterbiē. vbi Archilochi epitomē colligit. Si de Homeri (inquit) patria à Pindaro Lyrico quæres, ipse sibi diuersus erit, & nūc Smyrnæū nūc Chiū asseuerabit. Si ab Antimacho & Nicādro expetes, cēsebis Colopho

nium. Si ab Aristarcho & Dionysio Thracio.haud dubitabis Athenien.esse. Aristoteles dicit Salaminiũ. Simonides Argiuũ. C. vero Sempronius ait octo fuisse Homeros, Primum Smyrnæum Nini præfectum. Secundum Chium medicum. Tertium Cumæũ magis insignẽ magica quàm literatura. Quartum Salaminium, & ita Cyprium, arte institorem. Quintum Colophonium pictorem & scalptorẽ. Sextum Athenien. antiquarum legum abolitorem, & nouarum latorem. Septimum Argiuum musicum & geometram. Octauum hunc poetam. Eadem fere sed prolixius & ex Archilocho dicit Iacobus Bononien. circa finem annotationum suarum, putans per hoc litem hanc dirimere, quasi quæ diuersis congruant poetico more vni attribuãtur. Cui sententiæ non solum subscribo, non enim vero simile Aristotelem, Ciceronem, & cæteros graues authores poetico more de Homero locutos esse. Sed propter gloriam tanti alumni puto diuersas nationes de eo cõtendisse vario iure, quo & nos vtimur. Quocirca & Homerum variæ vrbes ac regiones varijs de causis sibi vẽdicauerunt. Quod vero idem Bononien. sentit, hoc loco potius Chius aut Chios quàm Ius & Ios est legendum, secundũ illud, Diceris à multis Colophonis alũnus Homere. Hic te Smyrnæum credit, & ille Chium. Nullus enim (quod sciã, inquit) Ion tradit patriam Homeri: multi vero Chion. In Io autem decessit, & sepultus est Homerus, Strabonis & Plutarchi authoritate, non natus. Hæc & plura ille, quæ mihi placent in hoc quòd dicit Chios potius legendum. non tamen propter illud distichon Diceris à multis &c. quia in eodẽ ponitur quòd & Ios eius sit patria, quod & Aristoteles asseruit eodem Bononien. cõfitente, sed emendandum censente vt pro Io Chio legatur. Sane distichon illud est ex Antipatro sumptum: quod iam ad verbum redditum vidimus. Guarinus Veronen. versibus reddidit, quos Scautetus olim ad Guaguinum pro suis recitauit. Sunt autem integri tales,

Diceris à multis Colophonis alumnus Homere.
Hic te Smyrnæum credit, & ille Chium.
Quin & Ion quidam, quidam Salamina superbam,
Thessaliam multi te genuisse putant.
Sunt & qui memorent alijs te sedibus ortum.
Sic varijs ortus diceris esse locis.
Dicere si liceat mihi Phœbi oracula, cœlum
Certa tibi patria est: Calliopæa parens.

Hæc ille. Si ergo Aristoteles & Antipater & alij in Io natum asserunt, nõ verum est id nullum dicere. Vt tamen hic libentius Chios legam ea est ratio, quòd dicitur ἑπτὰ πόλεις. i. septem vrbes. Chios enim vrbs est, Ios insula. Vnde Strabo lib. xi. ab his singulis Ius parua insula abest, in qua poetam Homerum sepultum esse aiũt. De morte autem Homeri quam Niger attulit, constans est fama: eáque asserit Baptista Guarini filius cũ Iliada prælegere auspicaretur, cuius rei testimoniũ præstare possum: nam adesse memini. verũ in ea quædam admiranda sunt, vel arcanum dei iudicium, permittentis ingenium in excogitandis argutijs acerrimũ tam ignobili ænigmate deuinci: vel admirabile fuisse tunc mortalibus veritatis studiũ, vt ne nautas quidem mẽtitos suspicaretur. quis enim nunc proponentibus illis quæ capere non posset, non continuo mendaces arguat? Factũ est ex eo ænigmate distichon vulgare quod pene infans didici. In syluas abeo venatu rus cane quino. Quod capio perdo, quod fugit hoc habeo. vbi caput pilosum pro syluis, & canes quini pro vnguibus ponuntur. Ad oraculum autem Homero de patre & parentibus sciscitanti datum, quòd patre careret, aut quòd vt Aristoteles scripsit, Dæmon illi pater esset, allusisse mihi videntur qui Merlinum Brytannicũ vatẽ, nunc sine patre, nunc dæmone patre satum cantitant: plus malo genio quàm bono viro cõcedẽtes. sed tandẽ receptui canamus. Si vacat tamen vel legere vel audire, addatur & hoc à Mas. adnotatũ. Didymus grammaticus qui scripsit quatuor librorum milia (vt Seneca lib. xiij. epistolarum ait) & miser erat si tã multa superuacua legisset. In ijs libris de Homeri patria quæritur. quo dicto innuere vult quæstionem illam fuisse inutilem, vt eam quam Gellius inquit adductam à plerisque de Homeri patria. De Homeri autem vita, patria, & operibus libellum cum Herodoto impressimus.

Homeri octo.

Merlinus.

Quibus, & quàm friuolis argumentis Accius in Didascalicis vtatur, quibus docere nititur Hesiodum esse, quàm Homerum natu antiquiorem. CAP. XI.

Homeri Hesiodique ætas.

SVper ætate HOMERI atque HESIODI non consentitur. Alii Homerum quàm Hesiodum maiorem natu fuisse scripserunt: in queis Philochorus, & Xenophanes. Alii minorem: in queis L. Accius poeta, & Ephorus historiæ scriptor. M. autem Varro in primo de imaginibus, vter natus prior sit, parum constare dicit: sed non esse dubium, quin aliquo tempore eodem vixerint. idque ex epigrammate ostendit, quod in tripode scriptum est, qui in monte Helicone ab Hesiodo positus traditur. Accius autem in primo Didascalico, leuibus admodum argumentis vtitur, per quæ ostendit Hesiodum natu priorem: Quod Homerus, inquit, cum in principio carminis Achillẽ esse filiũ Pelei diceret, quis esset Peleus non addidit. quam rem procul, inquit, dubio dixisset, nisi ab Hesiodo iã dictum videretur. De Cyclope itidẽ, inquit, vel maxime quòd vnoculus fuit, rem tam insignẽ non præterisset, nisi æque prioris Hesiodi carminibus vulgatum esset. De PATRIA quoq; Homeri multo maxime dissensum est. Alii Colophonium, alii Smyrnæum, sunt qui Atheniẽsem, sunt qui AEgyptium dicant fuisse. Aristoteles tradit ex insula Io natũ. M. Varro in lib. de Imaginibus primo Homeri imagini hoc epigramma apposuit.

Vnoculus Polyphemus.

Homeri patria.

Capella Homeri candida hoc tumulum indicat,
Quòd ariete mortuo faciunt ſacra.
Ἑπτὰ πόλεις διερίζουσι περὶ ῥίζαν ὁμήρου.
Σμύρνα, ῥόδος, κολοφὼν, Σαλαμὶν, χίος, Ἄργος, Ἀθῆναι. Epitaphiũ

ASCEN. Biboſus non à bibo verbo deductum mihi & alijs nonnullis videtur: ſed à nomine bibus minus quidem vſitato, ſed vnde bibulus deducitur. Quòd ſi omnino à verbo deductũ velis, dicam ipſum non ſolum à verbo deductum, quia clamoſus ſic fiat à clamo, cũ à clamore clamoroſus fiat. Maxime autem oſus & exoſus qui verbi naturam ſapiunt.

Largum atque auidum bibêdi à P. Nigidio doctiſsimo viro nouo & propemodum abſurdo vocabulo biboſum dictum. CAP. XII.

BIBENDI auidum P. Nigidius in commẽtariis grammaticis bibacem & biboſum dicit. BIBACEM ego, vt edacem, à pleriſque aliis dictum lego: BIBOSVM dictum etiam nuſquam reperi, niſi apud Laberium. Neq; aliud eſt, quod ſimili inclinatu dicatur: non enim ſimile eſt, vt vinoſus, aut vitioſus, cæteráque quæ hoc modo dicuntur: quoniam à vocabulis, nõ à verbis inclinata ſunt. Laberius in Mimo libro primo qui Salinator inſcriptus eſt, verbo hoc ita vtitur, Bibax & Biboſus à verbo deductum.

Non mammoſa, non annoſa, non biboſa, non procax.

ASCEN. Δημαγωγοὺς, id eſt populi ductores. in quo vocabulo mira includitur oratoris laus, qui animos vulgi quò vult impellit. vnde & illud AEneid. j. de viro graui dicendi perito, Ille regit dictis animos & temperat iras. Potuit (inquit Maſerius) Architrenius dictionem Anglicanam aut Brytannicam Gemagog facere Latinam aut Græcanicã Gemagogus vt modo dicitur Demagogus. Vſus eſt etiã vvaſſeil, & vtraque bis. Item Tincaiol non ſine periculo. nam cum dictionem faciat triſyllabam, ſecundam corripit vocalem ante i conſonans cum ait: facie dum falſus adulter Tincaiol irrumpit, nec amoris pendragon æſtum Vincit & omnificas Merlini conſulit artes, Mentitúrque ducis habitus, & rege latenti Induit abſentis præſentia Grolois (melius quàm Golois) ora. Vbi quàm recte ſit poſitus rectus ille pendragon vltima breui viderint eruditi. In quem locum quoniam tranſeunter oculos coniecimus, non ab re videtur ſi quod hiſtoricus quidam conſcripſit compendioſe adferatur: eſt enim iuuentuti maxime gratum quod nõ inepte conſeritur: & ex authore allegato dubium & obſcuritatem aufert. Igernam omnium ſpecioſiſsimã Grolois Cornubienſium ducis vxorem Vterpendragon Anglorum rex deperibat: qua cum potiri nequiret (erat enim inter Brytannas Lucretia) poſt indignationem ſubiti deceſſus Igernæ & mariti ex curia, vbi pudicitiæ tendebátur inſidiæ, coortam, bellúmque graue & Grolois mortem duxit vxorem: vnde natus eſt Arturus ille probitatis exemplar. Hæc in ſecundo volumine hiſtor. Brytan. ſed poetam non explicant quem D. Hacygnæius heros Coætmenius inter Brytonas religioſiſsimus, & ſi veterum facta dictáque digna commendatione expoſcis, doctrinæ & memoriæ mirabilis vir egregius ſic enodabat: vt Merlini vatis opera Vterpendragon verſus in Groloim Tincaiol arcem inexpugnabilem irruperit, Igernámque compreſſerit: ita vt mihi videatur acta Plauti Amphitryon ſi cædes tollatur. Nam Merlinus, Vterpendragónque Grolois & famulus cum Igerna: Mercurij, Iouis, Amphitryonis, Soſiæ & Alcumenæ vices ſubeunt. Non id tamen vitio dare velim penitus & dedecori: quando Solomon in prudentia, Arturum in militia referre poteſt. hicque ex Igerna Grolois, ille ex Vriæ Berſabea natus eſt: & vterque magni regis filius. Sic quod Cacodæmonis infeliciter inſidiæ procurant, Dei optimi maximi & pietas & gratia feliciter deducunt. Hæc Maſerius. Poſt quæ ſi liceret pauca hiſcere, dicerem propter egregiam ſobolem non eſſe vitio pergraui eximenda homicidia & adulteria: quod & author ſentire videtur, addens penitus: in qua re male merentur de fide, qui in nugis & nænijs fictitijs quas compto quidem & fucato ſtylo mendacijs tamen pleno de Arturo, Lanceloto, ſimilibúſque ſcripſere, vt rem plauſibilem commemorant. ſed quod magis ad rẽ facit, errauit Architrenius in multis ſyllabis præſertim græcanicis vt ſunt eccleſia, eremus, philoſophia &c. quocirca maluit quædam vocabula barbare quàm græcè aut latinè enunciare. nam ſi Gemagogus vt demagogus enunciaſſet, neceſſe fuiſſet penultimam producere. Pendragon autem Brytannicum eſt vocabulum ſignificans caput draconis, neque propterea velim vltimam corripere. Tincaiol autem, vt opinor, ſic pronunciandum duxit vt vulgus perperam Iob pronunciat. atque ita cenſuit ſimplex conſonum, vt in biiugus triiugus & ſimilibus compoſitis, quod an recte putarit non definio, ſed Vvaſſeil technice poſuit, neque enim eſt proprium alicuius, ſed locutio Saxonica aliquantulum (vt opinor) corrupta, nunc enim vt Flandri vvachteil dicunt, quod eſt expecta aut obſerua ſalutem, quam virgo adhibitura, regi dixit: quæ res ex hiſtoria Brytonũ, quam Aquitanicè in mẽbranis optime ſcriptam habeo, facile dignoſcitur, ſed finem facio. Arturus inculpatus rex.

Quòd Demosthenes etiam tum adolescens cum Platonis philosophi discipulus foret, audito forte Callistrato rhetore in contione populi, destitit à Platone, & sectatus est Callistratum. CAPVT XIII.

Demosthenes ex philosopho orator. Callistratus. Demagogus.

HERmippus hoc scriptum reliquit, DEMOSTHENEM admodum adolescentem ventitare in academiam, Platonémque audire solitum. Atque is, inquit, Demosthenes domo egressus, vt ei mos erat, cum ad Platonẽ pergeret, complurésque populos concurrentes videret, percunctatur eius rei causam, cognoscitq; currere eos auditum Callistratũ. Is Callistratus Athenis orator in Rep. fuit: illi δημαγωγὸς appellant. Visum est paulum diuertere expeririq; an ad digna auditu, tanto properatum studio foret. Venit, inquit, atque audit Callistratum, nobilem illam τὴν περὶ ὀρόπου δίκην dicentem. Atque ita motus, & demulctus, & captus est, vt Callistratum iam inde sectari cœperit, academiam cum Platone reliquerit.

ASCEN. Dimidium mihi bifariam accipi videtur: substantiuè & adiectiuè: substantiuè cum genitiuo alterius substantiui, & tunc parum differt à dimidiato: licétque dicere, legi dimidium libri, persolui dimidium aurei. adiectiue significat substantiuum cui annectitur æstimari quidẽ dimidio totius, sed esse quid integrum & nõ dimidiatum: vt verbi gratia, si sit aureus æstimatus. xl. solid. dimidius aureus talis erit quidem integer, sed æstimatus. xx. solid. Dimidiatum autem est rei diuisæ medietas, vt si aureum in duas partes æquales scideris, vtraque dicetur dimidiatus aureus: si duos semiaureos habueris, dicetur dimidius vterque aureus, dure tamen illud prius. Nam vt recte dicas aureum dimidiatũ qui in duas sit sectus partes: ita dure, dedi tibi dimidiatum aureum de altera parte: cum verius dicas, dedi alteram dimidiati partem &c. Et res quæ non manent nõ dicetur dimidiatæ, vnde dicam dimidiũ horæ non dimidiatam horã. Nõ dimidiatũ &c. deest meo iudicio dimidiũ, vt sit, dimidiũ, nõ dimidiatum. cõtinet itaque sextarius heminas binas. Vnde est illud, At cotylas, quas si placeat dixisse licebit Heminas. recipit geminas sextarius vnus. Ideo autem non dicemus dimidiatum sextarium effusum, quia sextarius non est dimidiatus, cum maneat integer, licet vinũ sit dimidiatum. Itaque licebit dicere effudi huius sextarij dimidiatũ vinum: & vendidi dimidiatũ butyrũ libræ istius: quòd si diuisum non est, sed ad dimidiatũ libræ formatũ, dicam dimidium libræ &c. Sicuti siquis ferat, &c. s liquescit in siquis, & syllaba manet breuis. Vnde etiam in illo, Longe erit à primo quisquis secundus erit. quisquis non quisque legitur. Sic etiam liquescit in dictione tribus. Dimidio & tribus confectis &c. Similiter in dictionibus scrutarius & improbus, & alijs sexcentis. Dico cum Cælio scrutarius & scruta, non scutarius & scuta. Is enim lib. x. cap. lvj. explicans illud Horatij in epistolis, Vilia vendentẽ tunicato scruta popello, dicit sic, Eo verbo veteramẽta omnifaria significari puto, quæ cũ vsu iam detrita sint, precio item diminuta censentur. Hinc significãter ab Horatio vilitatis apposito expressa præmonstratáque sunt. Ex qua origine factum, vt scrutaria dicantur vilissima quæque. Quod vt sentiam Lucilius facit apud Gellium noctium Atticarum libro tertio, Quid ni? & scruta quidem, vt vendat, scrutarius laudat. Præfractam strigilem soleam improbus dimidiatam. Negociatio scutariorũ dicitur scrutaria. Apuleius, Enimuero vos bonæ frugi latrones inter furta parua atque seruilia timidicule per balneas & aniles cellulas reptantes, scrutariam facitis.

Siquis. Scruta. Scrutaria.

Dimidium librum legi, aut dimidiam fabulam audiui, aliáque huiuscemodi, qui dicat, vitiose dicere. Eiúsq; vitii causas reddere M. Varronem: nec quenq̃ veterum iisce verbis ita vsum esse. CAPVT XIIII.

Dimidiũ librum ne dicas nec dimidiatũ nũmorum

DIMIDIVM librum legi, aut dimidiam fabulã audiui, vel quid aliud huiuscemodi, male ac vitiose dici existimat Varro. Oportet enim, inquit, dicere dimidiatum librum, non dimidium: & dimidiatam fabulam, nõ dimidiam. Contrà autem si è sextario hemina fusa est, dimidium non dimidiatum sextarium fusum dicendum est. Et qui quoque ex mille numûm, quod ei debebatur, quingentos recepit, non dimidiatum recepisse dicemus, sed dimidium. At si scyphus, inquit, argenteus mihi cum alio communis in duas partes dissectus sit, dimidiatum eum dicere esse scyphum debeo, non dimidium: argenti autem quod in eo scypho inest, dimidium meum esse non dimidiatum, disserit: ac diuidit subtilissime quid dimidium dimidiato intersit, & Q. Enniũ scienter hoc in Annalibus dixisse ait,

Dimidiatũ

Sicuti siquis ferat vas vini dimidiatum.

Sic pars quæ deest è non vase, dimidiata dicenda est, sed dimidia. Omnis autem disputationis eius quam subtiliter quidẽ sed subobscure explicat, summa hæc est, DIMIDIATVM est quasi dismediatũ, & in partes duas pares diuisum. Dimidiatũ ergo, nisi ipsum quod diuisum est, dici haud conuenit. DIMIDIVM vero est non quod ipsum dimidiatum est, sed quæ ex dimidiato pars altera est. Cum igitur partem libri dimidiam legisse

Dimidiũ.

volumus dicere,aut partem dimidiam fabulæ audisse:si dimidiam fabulam, aut dimidium librum dicemus,peccabimus.totum enim ipsum,quod dimidiatũ atque diuisum est,dimidium dicis.Itaque Lucilius eadem secutus,

Vno oculo(inquit)pedibúsque duobus dimidiatus ”
Vt porcus. Et alio loco, ”
Quid ni?& scruta quidem vt vendat,scrutarius laudat, Scrutarius
Præfractam strigilem,soleam improbus dimidiatam.

Iam in vigesimo manifestius dimidiam horam dicere studiose fugit.Sed pro dimidia dimidium ponit in hisce versibus,

Tempestate sua atque eodem vno tempore,& horæ ”
Dimidio & tribus confectis duntaxat eandem, Et quartam. ”

Nam cum obuium proximúmque esset dicere,& hora dimidia & tribus confectis,vigilate atque attente verbum non probum mutauit. Per quod satis apparet, ne horã quidem dimidiam recte dici:sed vel dimidiatam horam,vel dimidiam partem horæ. Propterea Plautus in Bacchidibus dimidium auri dicit,non dimidiatum aurũ. Item in Aularia,dimidium obsonii, non dimidiatum obsonium,in hoc versu,

Ei adeo obsonii hinc iussit dimidium dari.

In Menæchmis autem dimidiatum diem,non dimidium, in hoc versu,

Dies quidem iam ad vmbilicum dimidiatus mortuus est. ” Ad vmbilicum.

M.Cato in libro quem de Agricultura conscripsit,Semen cupressi serito crebrum, ita vti linum seri solet:eo crebro terram insternito,dimidiatum digitum,iam id bene tabula, aut pedibus, aut manibus complanato. Dimidiatum, inquit, digitum, non dimidium.nam digiti quidem dimidium, digitũ autem ipsum dimidiatum dici oportet. Item M.Cato de Carthaginensibus ita scripsit,Homines defoderunt in terram dimidiatos,ignémque circumposuerunt:ita interfecerunt. Neque quisquam omnium,qui probe locuti sunt,his verbis secus quàm dixi,vsus est.

ASCEN. Et lætissime gauderet.legam latissime:aut pro eo lætissime transumptũ dicã.quod enim
læte fit,ampliter & late fit.Vnum pugilem &c.Discrimen horũ innuit Quintilianus lib.ij. ita scribẽs, Peri
tus non si docendum Pancratiasten susceperit,pugno ferire,vel calce tantum, aut nexus modo atque in
his actus aliquos docebit:sed omnia quæ sunt eius certaminis. In cuius loci declarationem Cælius lib.vij.
cap.l.Aristo.citat lib.j.Rheto.sic scribentem,Agonistice siue certatiua corporis virtus magnitudine con-
stat,vi,& celeritate.Celer nãque robustus est.Qui vero pedib.diu ac citissime mouetur,dromicus est,hoc Celer.
est cursor.Qui aduersarium premere ac retinere valet,palæstricus.i.luctator.Qui vero plagas impingere Cursor.
potest,plicticos.i.pugil ac percussor.Qui duob.his præcellit,Pãcratiasticus:qui his omnibus, Pentathlus. Luctator.
Hactenus Aristoteles.In quem Cælius multa scitu dignissima affert: sed prælõgum esset omnia recitare. Pancratiastes.
Pugil dicitur nobis quòd pugnis præcipue rem agat:Luctator quòd lucta,quæ vi brachiorum & crurum Pẽtathlus.
fit,valeat:Pancratiastes quòd omni virtute innitatur,aut potius vtraque tam pugilis quàm luctatoris.Pen
tathlus autem qui in quinque certaminibus athleticã facit: & vt Festus inquit,qui se artibus quinque exer
ceat:iactu disci, cursu,saltu,iaculatione vel cæstu,& luctatione.Sunt,inquit Cælius,qui apud Græcos octo
statuãt certamina. Stadiũ,Diaulũ,Diolichũ,Hopliten,Pygmen.i.pugilatũ,Pancratium,Palem.i.luctam,&
Halma.i.saltum.Vide dictũ Cælij caput.Maserius autem noster in AEgidiæ Coetmeniæ exitu ad primo-
geniti Vicecomitis Loyatis commendationem transiens,sic istorũ meminit:Pollucem cæstus pyctem, vis
magna Milonẽ Testatur,cautũ patria lucta virũ.Iphiclũ cursus,disci iaculatio phœbũ.Huic venit ex duro
gratia Pãcratio.Idem exemplum matronæ nobilissimæ præ gaudio emortuæ afferens inquit sic, De hoc
Val.Max.Plin.& Plutar.in Annibale.At ne antiqua putemus fabulosa,referendum est quod audiui in Bri
tannia Armorica superioribus annis gestũ.Est istic dictũ à Briãdro castrũ dominorum nobilitate,potẽtia,
virtute nominatissimũ,insignis maiorũ fide,re bellica & stẽmatibus lõgis dominũ modo late patẽs. Huius
olim dominus vere dei famulus natale solũ,terra nostris patribus promissa mutauit,tantisper dũ pro fidei
argumẽto & animæ salute Christo deditus quicquam fecisset quod deo opt.max.esset acceptissimũ.Ibiq;
tãdiu loca sacra visitãs & cũ orthodoxis cõtra fidei hostes fortiter dimicãs pugil magnanimus perstitit,vt
infinitis sit desideratus lachrymis:quas vxor pudicissima,quasque liberi vtrique parenti charissimi,& sub-
diti fideles,quotidie fundebãt.At cũ longa absentia obitum persuaderet,nõ iam pro viuo, sed vita defun-
cto preces fundi,requiẽ æternã optari. Et ecce familiæ inexpectatus adesse nũciatur,qui dudũ vt mortuus
deplorabatur,quũ nescio quid susurrãtiũ inter se famulorũ domina audiens,nec certo credens nũcio pro-
cedit obuiam.Ibi tantus stupor primũ,tantũ deinde gaudiũ vxoris viscera ob inopinatũ viri aduẽtũ subin-
trat,vt inter optatos mariti amplexus animam efflarit.Vir autẽ motus his grauiter,nõ tamen fractus,cru-
cẽ illic loci & deinde sacellũ cui prior dicitur præesse cũ aliquot viris religiosis,in perpetuã rei memoriã,
& potissimũ(quæ fuerat hominis deuotio)in dei & matris eius sanctique Michaelis honorem iussit erigi.
Accepi id factum tempore diui Ludouici Francorum regis Christianissimi & sanctissimi,qui D.Briãdeo
à captiuitate reuerso lilia sine numero gerenda obtulit:cum prius tria mala pinea haberet insignia.

Extare in literis, pérque hominum memorias traditum, quòd repēte multis mortem attulit gaudium ingens insperatum, interclusa anima, & vim magni nouiq; motus non sustinente.

CAPVT XV.

Gaudio enecti.
Polycrata.
Philippides.
Diagoras.

Cognito repēte insperato gaudio expirasse animam refert Aristoteles philosophus POLYCRATAM nobilem fœminam è Naxo insula. PHILIPPIDES quoque comœdiarum poeta haud ignobilis, ætate iam edita, cum in certamine poetarum præter spem vicisset, & lætissime gauderet, inter illud gaudium repente mortuus est. De Rhodio etiam DIAGORA celebrata historia est. Is Diagoras tres filios adolescentes habuit, vnum pugilem, alterum pācratiasten, tertiū luctatorem. eósque omnes vidit vincere, coronariq; eodem Olympiæ die. & cum ibi eum tres adolescentes amplexi, coronis suis in caput patris positis suauiarentur, cumq; populus gratulabundus flores vndique in eum iaceret: ibi in stadio inspectāte populo, in oculis atque in manibus filiorū animam efflauit. Præterea in nostris Annalibus scriptum legimus, qua tempestate apud Cānas exercitus populi Romani cæsus est, ANVM matrem, nuncio de morte filii allato, luctu atque mœrore affectā esse. Sed is nūcius non verus fuit, atque is adolescens non diu post ex ea pugna in vrbem rediit. Anus repente filio viso, copia atque turba, & quasi ruina incidentis inopinati gaudii, oppressa exanimatáque est.

Anus Romana.

ASCEN. Septimo mense iam parere in cōfesso est, etiam vitales, quinetiam vidimus à maturis nihil discrepantes: sed quæ suspectæ erant duobus mensibus ante legitimas nuptias, aut mariti congressum concepisse. Octauo etiam mense nasci dubium non est, & in AEgypto aut Naxo, vt Cælius recitat lib. xij. cap. xiij. etiam vitales, apud nos vero parum victuros, aut in partu extinctos. Nono legitimum & opor tunū fieri partum mortalium est cōsensus, quē multæ quæ prima nocte cōceperunt, & peractis nouē præcipue mēsibus pepererunt, cōfirmauerūt: sed omniū maxime diuæ virginis partus, quem suo tēpore factū nemo dubitat. Decimo etiā mēse nasci certū, sed raro exacto. Vndecimo non negē omnino fieri posse labefacta enitendi virtute, aut impedimento interueniente, verū id suspicari à multis, quod de vxoribus bellatorū, quibus per risum vulgo conceditur biēniū gestādi fœtus in absentia maritorum. Neptuni dictū purgant Phauorinus & Gellius. Neque præter hos alios, lego alio, vt sit alio mēse præter nonū & decimum. Et idcirco, inquit Varro, fecerūt antiqui nomina tribus parcis à pariēdo, & à nono atque decimo mense, secundū quē parcarū nomina sint, parca, nona, decima: Nā parca, inquit, immutata litera vna à partu nominata. Mutatur enim t in c, si parta pro parca dicitur. Cesellius autē Vindex &c. De hoc loco sic habet Cælius Rhodoginus lib. xij. cap. xiij. Quia porro partus octimestris nō fere vitalis est, putat Cæcilius Minutianus Apul. parcis tribus facta nomina hæc, Mortuā, nonā, decimā. Quod si est, Gellius illustratur egregie. simul & falli eos dilucet, qui pro morta vel mortua mœram substituūt. Hæc ille. Quæ satis declarant quare parca à partu dicta. quòd in eo fata legāt, aut nona aut decima aut mortua seu morta dicatur: quia videlicet in alio quàm nono aut decimo mense nati fere moriātur, neque solū de natis octauo mēse intelligam, sed de quocūque præter nonum & decimum, quanquam in septimo vt dixi, vitales esse possunt. Nā si de octauo præcise loqueretur, ex ordine diceret, mortuam, nonā, decimā. Verū quæ sequūtur verba adhuc mihi obscura sunt. Sed homo minime malus Cesellius, pro quo Rhodogino ponitur Cæcilius Minutianus, quibusdam autē adhuc in vulgari deuerbio est de homine parū prudēte, est homo minime malus. Mortam quasi nomen. hæc lectio diuaricatur. Nam alij legunt. Mortā quasi mortē accepit, cum accipere quasi μοῖραν deberet. i. fati præstitem deam. Alij sic, mortam quasi nomen scilicet vnius parcarū, accepit cū accipere quasi mortē deberet. Prouerbia autē quæ hic habētur ex Varrone, latius ab Erasmo explicantur, quæ nisi Gellius exposuisset, sic accepissem. Si decimo mense nati asini sunt ad lyrā. i. inepti & indisciplinabiles ac minime sciti: quia meos negare possū, exhæredes sunto. Siqui vndecimo, quia plane mei non sint: licet Aristoteles putarit vndecimo gigni posse. Accio idem quod Titio ius esto. i. siue apti siue inepti, exhæredes sunto. De iure autē triū liberorū sic meminit Martialis. Quod fortuna negat fieri, permitte videri Natorū genitor dicar vt esse triū. Cū enim natos haberet nullos, ius & gratiā tantùm sibi fieri postulabat. Qui tres in vrbe liberos aut quinque in Italia aut septem in prouincia habebāt, iure triū liberorū vtebantur, quod erat vt immunitatibus donarentur, plúsque cæteris bonorum consequerētur. Vnde teste Appiano Iulius Cæsar in diuisione agrorum, eos qui circa Capuam erant, quòd alijs essent fœcundiores, triū liberorum patribus iussit diuidi. Quod etiam testatur Tranquillus in vita Cæsaris. Triplicem insuper frumenti tesseram accipiebant: & in magistratuum petitionibus cæteris præferebantur. Vnde edita est lex Iulia in fine. Sicut sternuisse à coitu, id est statim post coitum. sup. est abortiuum, id est abortus effectiuū.

Prouerb.

Ius triū liberorum.

Superaddidit nuper Maserius. De his Cælium lege cap. j. lib. xj. de partu octimestri. Parcarum autem nomina & cuiusque officia sic Archithrenius ponit. Cui Clotho & Lachesis deseruit & Atropos: illa Stamina dispensans fusis vitalibus, illa Fila trahēs operi, donec concluserit illa. Ea sunt fata quibus subesse humanum genus aiunt poetæ, hæ sunt Iouis scribæ. Et nos in AEgidiæ heroidis Coetmeniæ insignis fatum ludentes queruli cecinimus: Flet Clotho, Lachesis titubat, postrema sororum Negligit elanem sollicitata colum. Vbi à lana nomen non insuaue deduxit, vt à lingua deducitur elinguis, à sanguine exanguis, à nodo enodis, & ab alijs alia. Addidit præterea Maserius. Ioannes Parrhasius ait legendū esse μοῖραν in vtroque loco in litera posito: tūcque sensus erit, Cesellius ex Liuio adijcit tria nomina parcarū, nonā, deci-

Parcæ.

Mœra.

mam καὶ μοῖραν. Nam vnaquæque parcarũ dici poteſt nona à nono mẽſe, & decima à decimo. itẽ μοῖρα id eſt fati antiſtes ſeu præſes & præſtes. Ergo in verſu Liuiano legendum eſt, Quando dies aduenient quã profata μοῖρα eſt. i. parca dea fatalis, fatorũ præſtes. Sed homo minime malus Ceſellius Minutianus Apul. (ait Cæl.) errauit quando putauit μοῖραν nomẽ eſſe certum vni, cũ ſit omniũ cõmune: omnes ſiquidem parcæ ſunt fati præſtites. Accepit igitur μοῖραν quaſi nomen vnius certũ, cum ſit omniũ cõmune. Tu vide Cæliũ vbi agit de fatali & violenta morte, ibique accipies μοῖραν pro fato. Si autẽ Cælij ſentẽtia abiecta Ceſelliũ eligis, dices eũ fuiſſe falſum. Io. Baptiſta Pius ita ſcribit. Ceſellius tria ponit parcarũ nomina, nonã, decimã, & mortã: ſed Ceſellius Vindex mortã accepit quaſi nomẽ, cũ deberet accipere quaſi μοῖραν. i. parcã. Nec legas meram dictionem nihili. hæc Pius. Placet ſane quod adfert Parrhaſius, nec Cælius diſplicet. Hæc ille. Secutus ſum Aldinũ de his exemplar, cui conſonat ſentẽtia Ioannis Pij. Neque mihi veriſimile fit, cum duo poſuerit latina nomina, tertiũ addidiſſe græcũ. Præterea ea nomina rei maxime cõuenire: nam nono & decimo menſe partus fere vitalis eſt, cæteris niſi interdũ ſeptimo, mortæ, & morti addictus, idque voluiſſe Ceſelliũ: qui authore Gellio in hoc errauit quòd apud Liuiũ Mortam pro nomine proprio accepit cũ illic ponatur pro μοῖρα. i. fati præſtite. Potuerit tamen parũ erraſſe Ceſellius ſi ſic tertiũ nomen mortã poſuerit vt reliqua duo nonã & decimã: nã quælibet & nona & decima & morta dici poſſet. Adnotauit Maſ. Præterea Stratonicũ citharœdũ in alterũ citharœdum qui dicebatur Bos, dixiſſe βοῦς λύρας, quod olim ὄνος λύρας. Vide Cælium cap. xxviij. lib. v. Iuxta quæ D. Hieronymus. xj. tract. partis. iij. epiſt. lvij. ait, Aſino quippe lyra ſuperflue canit. Addit demum Sternutamentũ interdũ eſſe ominoſum inauſpicatúmque: interdũ proſperũ: & quòd ſpiritus à capite procedens tanquam ſacer adoratur, quia pars illa ſacra eſt. Sed Ariſtoteles ait ſternutamentũ proſperũ quod fieri ſolet poſt meridiẽ. Albertus Magnus ait eſſe prognoſticum liberationis ex hoſtiũ diſcrimine & inſidijs, & virtutis ſeu veritatis ſignũ. Poſteriorem lectionẽ approbat ruſticorum adagio, ſternutauit, verum eſt. Item veteres bonũ augurabantur, ſi à dextris fiebat, vt oculi dextri palmus. i. motus tremulus. Auguſtinus ait veteres ſolitos lectum repetere, ſi dum calceus inducitur obtigiſſet ſternutamentũ. Expurgat autẽ nariũ canaliculas. Cælius addit ex Gellio Sternutamentum bono eſſe mulieri quam vitia vteri infeſtant, aut quæ difficulter parit ſi ſternutamentum ſuperuenit. Item eſt ominoſum vt addit ex Gellio & Plinio Cælius. Itẽ pernoxium in initio decumbentis catharri & coryzæ, cum quiete opus eſſet ad humorem decoquendum: ſed tunc reprimi debet maxime in febribus: quia tunc forte gigni poſſet ſcotomia. i. obtenebratio, ſtupor, & vertigo. Procedit etiã ſternutatio ex violenta luminis ſolaris ſuſceptione. Item ſi pertenui feſtuca nares iritentur, vnde fit vt ſiquis plagam diſſimulans percuſſus rogetur, quod non moueatur: reſpondeat verberatus aptiſſime, qua ratione non ſternui. i. non ſenſi, tanquam diceret ſe minus affectum, quàm ſi nares iritentur feſtuca. *Sternutamentum quid.*

Temporis varietas in puerperiis mulierum quænam ſit à medicis & philoſophis tradita: atq; inibi poetarũ quoq; veterum ſuper eadem re opiniones: multáq; alia auditu atq; memoratu digna. Verbáque ipſa Hippocratis medici ex libro illius ſumpta, qui inſcriptus eſt περὶ τροφῆς. Id quoq; eſſe à grauiſſimis viris memoriæ mandatum.

CAPVT XVI.

ET medici, & philoſophi illuſtres de tempore humani partus quæſiuerũt, πόσος ὁ τῆς τῶν ἀνθρώπων κυήσιος χρόνος. Et multa opinio eſt, eáque iam pro vero recepta: poſtquam mulieris vterus cõceperit ſemen, gigni hominem ſeptimo rarenter, nunquam octauo, ſæpe nono, ſæpenumero decimo menſe. Eumque eſſe hominem gigendi ſummum finem, decem menſes nõ inceptos, ſed exactos. Idque Plautum veterem poetam dicere videmus in Comœdia Ciſtellaria his verbis, *Tẽpus partus humani.*

Tum illa quam compreſſerat,
Decumo poſt menſe exacto, hic peperit filiam. ”

Hoc itidem tradit etiam Menander poeta vetuſtior, humanarum opinionũ vel peritiſſimus. Verſus eius ſuper ea re de fabula Plotio poſui, γυνὴ κυεῖ δεκάμηνος. ”

Sed noſter Cæcilius cum faceret eodem nomine & eiuſdem argumenti comœdiam, ac pleraque à Menandro ſumeret: in menſibus tamen genitalibus nominandis, nõ prætermiſit octauum, quem præterierat Menander. Cæcilii verſus hi ſunt,

Inſolet ne mulier decimo menſe parere?
Pol nono, etiam ſeptimo atque octauo. ”

Eam rem Cæcilium non inconſiderate dixiſſe, neque temere à Menandro atq; à multorum opinionibus deſciuiſſe, M. Varro vti credamus, facit. nam menſe nonnunquam octauo editum eſſe partum in lib. XIIII rerum diuinarum ſcriptum reliquit. Quo in libro etiam XI menſe aliquando naſci poſſe hominem dicit. eiuſque ſententiæ, tam de VIII quàm de XI menſe Ariſtotelem laudat authorem. Sed huius de menſe VIII diſſenſionis cauſa cognoſci poteſt in libro Hippocratis, qui inſcriptus eſt περὶ τροφῆς. ex ”

Octauo menſe edi partum & vndecimo. Laudat. i. cum laude citat.

quo libro verba hæc ſunt, ἔστι δὲ καὶ οὐκ ἔστιν ὀκτάμηνος γόνος. Id tam obſcure atque præciſe, támque aduerſè dictum Sabinus medicus qui Hippocratem commodiſſime commentatus eſt, his verbis enarrauit, ἔστι μὲν φαινόμενα ὡς ζῶα μετὰ τὴν ἔκτρωσιν, οὐκ ἔστι δὲ ὡς θνήσκοντα μετὰ ταῦτα. καὶ ἔστιν οὖν φαντασίᾳ μὲν παραυτίκα ὄντα, δυνάμει δὲ οὐκ ἔστι. Antiquos autem Romanos Varro dicit non recepiſſe huiuſcemodi quaſi monſtroſas raritates, ſed nono menſe aut decimo: neque præter hos alio partionem mulieris ſecundum naturam fieri exiſtimaſſe. Idcirco eos nomina PARCIS tribus feciſſe à pariendo, & à nono atque decimo menſe. Nam Parca, inquit, immutata litera vna à partu nominata. Item nona & decima à partus tempeſtiui tempore. Ceſellius autem Vindex in lectionibus ſuis antiquis, Tria, inquit, nomina Parcarum ſunt, NONA, DECIMA, MORTA. Et verſum hunc Liuii antiquiſſimi poetæ ponit ex ὀδυσσείᾳ, Quando dies aduenict, quam profata Morta eſt? Sed homo minime malus Ceſellius, Mortam quaſi nomen accepit, cum accipere quaſi μοῖραν deberet. Præterea ego de partu humano, præterquam quæ ſcripta in libris legi, hoc quoque veniſſe vſu Romæ comperi: Fœminā bonis atque honeſtis moribus, non ambigua pudicitia, in XI menſe poſt mariti mortem peperiſſe, factúmque eſſe negocium propter rationem temporis, quaſi marito mortuo poſtea concepiſſet: quoniam X VIRI in decem menſibus gigni hominem non in vndecimo ſcripſiſſent. Sed diuum Adrianum cauſa cognita, decreuiſſe in XI quoque partum edi poſſe. idque ipſum eius rei decretum nos legimus. In eo decreto Adrianus id ſtatuere ſe dicit, requiſitis veterum philoſophorum & medicorum ſententiis. Hodie quoque in Satyra forte M. Varronis legimus, quæ inſcribitur Teſtamentum, verba hæc, Si„ quis mihi filius, vnus pluresve in decem menſibus gignuntur: ii ſi erunt ὄνοι λύρας ex„ hæredes ſunto. Quòd ſi quis vndecimo menſe, κατ' Ἀριστοτέλην natus eſt, Accio idem„ quod Titio ius eſto apud me. Per hoc vetus prouerbium Varro ſignificat, ſicuti vulgo dici ſolitum erat, de rebus inter ſe nihil diſtantibus, Idem Accii quod Titii: ita pari eodéq; iure eſſe in X menſibus natos, & in XI. Quod ſi ita, neque vltra decimum menſem fœtura mulierum protolli poteſt: quæri oportet, cur Homerus ſcripſerit Neptunum dixiſſe puellæ à ſe recens compreſſæ,

Parcæ. Nona. Decima. Morta. Μοῖρα. Vndecimo menſe partus factus. Prouerb.

χαῖρε γύναι φιλότητι, περιπλομένου δ' ἐνιαυτοῦ
τέξεις ἀγλαὰ τέκνα, ἐπεὶ οὐκ ἀποφώλιοι εὐναὶ ἀθανάτων.

Homeri locus.

Id cum ego ad compluréis grammaticos attuliſſem, partim eorum diſputabāt Homeri quoque ætate ſicuti Romuli, annum fuiſſe, non XII menſium, ſed X. Alii conueniſſe Neptuno maieſtatique eius dicebant, vt longiore tempore fœtus ex eo grandeſceret. Alii alia quædam nugalia. Sed Phauorinus mihi ait, περιπλομένου ἐνιαυτοῦ non confecto eſſe anno, ſed affecto. In qua re vſus eſt verbo non vulgariæ ſignificationis. AFFECTA enim (ſicuti M. Cicero, & veterum elegantiſsimi locuti ſunt) ea proprie dicebantur, quæ non ad finem ipſum, ſed proxime finem progreſſa, deductáve erant. Hoc verbum ad hanc ſententiam in Ciceronis oratione fuit, quam dixit de prouinciis Conſularibus. Hippocrates autem in eo libro, de quo ſupra ſcripſi, cum & numerum dierum quibus conceptum in vtero coagulum conformatur, & tempus ipſius partionis nono aut decimo menſe definiſſet: neque id tamen ſemper eadem eſſe fini dixiſſet, ſed alias ocyus fieri, alias ſerius: hiſce ad poſtremum verbis vſus eſt, γίνεται δὲ ἐν τούτοις„ καὶ πλείω, καὶ ἐλάσσω, καὶ ὅλου τοῦ μέρους. καὶ εἴπωμεν δὲ τὰ πλείω πλειόνων, καὶ ἐλάσσω„ ἐλασσόνων. Quibus verbis ſignificat, quod aliquando ocyus fieret, non multo tamen fieri ocyus: neque quod ſerius, multo ſerius. Memini ego Romæ accuratè hoc atq; ſollicite quæſitum, negocio non rei tunc paruæ poſtulante, an VIII menſe infans ex vtero viuus editus & ſtatim mortuus, ius trium liberorum ſuppleuiſſet: cum abortio quibuſdam, non partus videretur menſis octaui intempeſtiuitas. Sed quoniam de Homerico annuo partu ac de vndecimo menſe diximus quæ cognoueramus, viſum eſt non prætereundum, quod in Plinii Secundi libro ſeptimo naturalis hiſtoriæ legimus. id autem quia extra fidem eſſe videri poteſt, verba ipſius Plinii poſuimus. Maſſurius author eſt L. Papyrium Prætorem ſecundo hærede lege agente, bonorum poſſeſſionem contra eum dediſſe: cum mater partum ſe XIII menſibus tuliſſe diceret, quoniam nullum certum tempus pariendi ſtatutum ei videretur. In eodem libro Plinii Secundi verba hæc ſcripta ſunt, Oſcitatio in nixu letalis eſt: ſicut ſternuiſſe à coitu, abortiuum.

Affecta quæ ſint. Cic. locus. Ius triū liberorum. Plin. locus. Oſcitatio in nixu, & ſternuiſſe poſt coitū.

ASCEN. Decem millibus denariûm. de diuersitate & valore denariorum lege Budæum de Asse. Timon hic dictus est Misanthropos, id est osor hominum.

Quod tres libros Plato Philolai Pythagorici, & Aristoteles pauculos Speusippi philosophi mercati sunt, preciis fidem non capientibus. CAP. XVII.

MEmoriæ mandatum est Platonem philosophum tenui admodum pecunia familiari fuisse: atq; eum tamen treis PHILOLAI Pythagorici libros decem millibus denariûm mercatum. Id ei precium donasse quidam scripserunt amicum eius Dionem Syracusanum. Aristotelem quoque traditum libros pauculos SPEVSIPPI philosophi post mortem eius emisse talentis Atticis tribus. Ea summa fit numi nostri, HS, duo & septuaginta milia. τίμων amarulentus librum maledicentissimum conscripsit, qui σίλλος inscribitur, in eo libro Platonem philosophum, quem dixeramus tenui admodum pecunia familiari fuisse, contumeliose appellat, quòd impenso precio librum Pythagoricæ disciplinæ emisset, exque eo Timæum nobilem illum dialogum continuasset. Versus super ea re τίμωνος hi sunt,

Plato quāti libros emerit. Aristoteles quāti. Talenta tria quot numos faciant. Timon.

καὶ σὺ πλάτων, καὶ γάρ σε μαθητὴν ὁ πόθος ἔχε.
πολλῶν δ' ἀργυείων ὀλίγην ἤλλαξαο βίβλον
ὅθεν ἀπαρχόμενος γεάφειν ἐδιδάχθης.

ASCEN. Pedarij (vt hic scriptum offendi) siue pedanei (vt apud Crinitum de honesta disc. lib. xv. cap. vij.) sed vt hic sentit Gellius, barbare pedanei, à pedibus dicti sunt & iudices & fautores. Iudices quidem quòd quia ius curulis sellæ non haberent pedibus itarent. Ideo autem curulē non habebant quòd minores tantū causas diiudicarent ad quas à maioribus subrogabantur, vt dicto loco Crinitus late explicat. Fautores autem quòd nihil dicendo, sed discedēdo in eā partem cui fauebant pedibus sententiā ferebant, quæ & pedaria ob id dicta est: & Senatuscōsultū quod sic fiebat, per discessionem fieri dicebatur, vt latius explicabitur lib. xiiij. cap. vij. huius. In eas discedebant: & discedendo descendebant, ideóque vtrūque scriptum inueni. Vnde vt adnotauit Mas. Prouerbiū ab Erasmo citatur in eos dici solitum qui in consultationibus & disceptationibus quod dicant non habent, sed aliorum sententijs annuunt & eas approbāt. Nam pedarij Senatores non rogabantur sententias, sed in aliorum opinionem discedebant pedibus. Cui simile est muta persona κυφὸν πρόσωπον tractum à comœdijs: de hoc Vola. Petrus Crinitus addit quosdam esse iudices honorarios: item prouinciales: item pedaneos, qui minores causas & negocia obibant humilia: cū illi honestiores causas absoluerent grauioráque officia. Eiusmodi autem pedanei iudices erant alijs subrogati, qui nequeuntes omnes causas absoluere hos creabant, qui causis incumberent minoribus. Iūgit idem, fautores pedarios esse qui pedibus irent in aliquorum sententiam. Alia autem ratione equites pedarij dicuntur & Senatores. D. Hieronymus ad Euagrium loquens de Melchisedech ait, Transiui ad Didymum sectatorem eius, & vidi hominem pedibus in magistri ijsse sententiam.

Quid sint Pedarii Senatores, & quam ob causam ita appellati: quámque habeāt originem verba hæc ex edicto tralatitio Consulum, Senatores. quibúsq; in Senatu sententiam dicere licet. CAPVT XVIII.

NOn pauci sunt qui opinantur PEDARIOS Senatores appellatos, qui sententiam in Senatu non verbis dicerent, sed in alienam sententiam pedibus irent. Quid igitur cum SENAT. Consultum per discessionem fiebat, nonne vniuersi Senatores sententiam pedibus ferebant? Atqui hæc etiam vocabuli istius ratio dicitur, quam C. Bassus in commentariis suis scriptā reliquit. Senatores enim dicit in veterum ætate, qui Curulem magistratū gessissent, curru solitos honoris gratia in curiam vehi. in quo curru sella esset, super quam cōsiderent, quæ ob eam causam Curulis appellaretur. Sed eos Senatores, qui magistratum Curulem nondum ceperant, pedibus itauisse in curiam. propterea Senatores nondum maioribus honoribus functos, pedarios nominatos. M. autem Varro in satyra Menippea, quæ ἱπποκύων inscripta est, equites quosdam dicit pedarios appellatos: videtúrque eos significare, qui nondum à CENSS. in Senatum lecti, Senatores quidem non erant: sed quia honoribus populi vsi erant, in Senatum veniebant, & sententiæ ius habebant. Nam & Curulibus magistratibus functi, qui nondum à CENSS. in Senatum lecti erant, Senatores non erant. Et quia in postremis scripti erant, non rogabantur sententias: sed quas principes dixerant, in eas discedebant. Hoc significabat edictum, quo nunc quoque COSS. cum Senatores in curiam vocant, seruandæ consuetudinis causa, translatitio vtūtur. Verba edicti hæc sunt, Senatores, quibúsque in Senatu sententiam dicere licet. Versum quoque Laberii, in quo id vocabulum positum est, notari iussimus, quem legimus in Mimo, qui Scriptura inscriptus est,

Pedibus ferre sententiā, aut ire in sententiam. Sella curulis. Pedarij Senatores. Pedarij equites. Edicti verba.

Pedaria sententia non pedanea.

Caput sine lingua, pedaria sententia est. Hoc vocabulum à plerisque barbare dici animaduertimus, nam pro pedariis pedaneos appellant.

ASCEN. Aut nostratiũ.i.latinorũ:quia latinus est qui loquitur Gellius. Est enim nostras idẽ quod nostræ sectæ, linguæ, gentis, aut patriæ. Confabricatus est.i.confinxit, cum non sit vera vocabuli compositio aut deductio. Neque etiam à parum videtur eius deductio: sed à parcendo. Nam parci parcunt.i.conseruãt, quia parcere interdũ conseruare dicitur: vt apud Maronem AEnei.x. Argẽti atque auri memoras quæ multa talẽta Gnatis parce tuis.i.serua. Sed parco à parum deduci potest. Mosellanus magis ad Bassi sententiam accedit, ego à parco deduco. Nã vt verbale genitiuum regit. Horat. Veteris nõ parcus aceti.

Parco.

Qua ratione C. Bassus scripserit, parcum hominem appellatum, & quam eius vocabuli causam putarit: & contrà quem in modum, quibúsque verbis Phauorinus hãc traditionem eius eluserit. CAPVT XIX.

APud cœnam Phauorini philosophi cũ discubitum fuerat, cœptúsq; erat apponi cibus, seruus assistens mensæ eius legere inceptabat, aut Græcarũ quid literarum, aut nostratiũ. velut eo die, quo affui ego, legebatur C. Bassi eruditi viri liber de origine verborum & vocabulorum: in quo ita scriptũ fuit, PARCVS cõposito vocabulo est, quasi par arcæ. quando sicut in arca „ omnia reconduntur, eiúsque custodia seruantur & continentur, ita homo tenax, paruóque contentus, omnia custodita & recondita habet sicuti arca. quam ob causam parcus, „ quasi par arcæ nominatus est. Tum Phauorinus, vbi hæc audiuit, Superstitiose, inquit, & „ nimis molestè atque odiosè confabricatus commolitúsque magis est originem vocabuli C. iste Bassus, quàm enarrauit. nam si licet res dicere commentitias, cur non probabilius videatur, vt accipiamus parcum ob eam causam dictum, quòd pecuniam cõsumi atque impendi arceat, & prohibeat, quasi pecuniarcus? Quin potius, quod simplicius, inquit, veriúsque est, id dicimus? Parcus enim neq; ab arca, neq; ab arcendo, sed ab eo, quod est parum & paruum, denominatus est.

Parcus.

Pecuniarcus.

ASCEN. Opperientes.i.expectãtes. Salutationẽ Cæsaris. Nõ primi aut secũdi, sed Adriani qui authoris tẽpore imperabat. Oẽs enim Romani imperij principes ab illis Cæsares etiamnum dicuntur. Salutandi ratio late ab Iuuenale vbi de sportula loquitur, explicatur, & à Martiale. Moris enim erat Romanis vt diuites à clientibus suis mane salutarentur: & salutati ab eis in forum deducerentur, cuius nomine aut cœnam rectam, aut sportulam, quæ centum quadrantibus æstimabatur, accipiebant. Putabãt autẽ summe honorificum à quàmplurimis salutari, quod Maro eleuat Gæorg.ij. his verbis, O fortunatos nimium, sua si bona norint, Agricolas: quibus ipsa procul discordibus armis Fundit humo facilem victũ iustissima tellus. Si non ingentem foribus domus alta superbis Mane salutantũ totis vomit ædibus vndam. Mũdus muliebris complectitur quicquid ad ornatũ muliebrẽ pertinet. nam sicut Græcis Cosmos & ornatũ & quem mundũ dicimus significat: ita & nobis mũdus. Quicquid.i.quæcũque res aut appellatio. ponitur etiã absolute. Neque liceret dicere quicquid nomen: sed quodcũque nomen. Quicũ.i.cum quo. Rationis & sciẽtiæ capiens.i.capax. Est enim capiens nomen. Penus omnẽ rem complectitur: quam Galli nomine prouisionis complectuntur. Promercale autem quid sit, abunde Io. Pius in adnota. posterioribus cap.xciiij. describit inter cætera sic, Minime vox hæc catholica est & vniuersalis ad omnia quæ vẽduntur: sed illa tãtum promercalia nuncupamus, quæ reseruatis ijs quæ ad vsum propriũ pertinẽt, tanquã superantia vendit paterfamilias: quẽ vendere potius quàm emere optat Cato. Suetonius in Cæsare Dictatore aurũ promercale vocat quod Cæsar vendidit superans sibi reseruata tanta auri copia quanta suo vsui satis esset. Hæc ille. Vsuaria igitur hic dicuntur quæ vsu absumuntur: Promercalia quæ superant & vendi possunt.

Mundus muliebris.

Promercale.

AVLI GELLII NOCTIVM ATTICARVM COMMENTARIORVM, LIBER IIII.

Sermo quidam Phauorini philosophi cum grammatico iactantiore factus in Socraticum modum: atque ibi in sermone dictum, quibus verbis Penus à Q. Scæuola definita sit: quodque eadem definitio culpata sit, reprehensáque. CAP. I.

IN vestibulo ædium Palatinarum omnis fere ordinum multitudo opperientes salutationem Cæsaris constiterant: atque ibi in circulo doctorum hominum Phauorino philosopho præsente, ostentabat quispiam grammaticæ rei doctior scholica quædam nugalia, de generibus & casibus vocabulorum disserens, cum arduis superciliis, vocisq; & vultus grauitate composita: tanquam interpres & arbiter Sibyllæ oraculorũ. Tũ aspiciẽs ad Phauorinũ (q̃q̃ ei etiã nõdũ satis notus esset) Penus quoq;, inquit, variis generibus dictũ, & variæ declinatũ est. nã & hoc penus, & hæc penus, & huius peni, & peniris & penetiris, & penoris veteres dicitauе-

runt. Mundum quoque muliebrem Lucilius in Satyrarum XVI non virili genere, vt cæteri, sed neutro appellauit his versibus,

Legauit quidam vxori mundum omne penumque. Mundum omne.
Quod mundum? quid penum? nam qui diiudicet istuc?

Atque omnium horum & testimoniis & exemplis constrepebat. Cumq; nimis ociose sibi placeret, intercessit placide Phauorinus. Et iam bone, inquit, magister, quicquid est nomen tibi, abunde multa docuisti, quæ quidem ignorabamus, & scire haud sane postulabamus. Quid enim refert mea, eiusque quicum loquor, quo genere penum dicam, aut in quas extremas literas declinem: si nemo id nimis barbare fecerit? Sed hoc plane indigeo addiscere, quid sit penus, & quo sensu id vocabulum dicatur: ne rem quotidiani vsus, tanquam qui in vænalibus latine loqui tentãt, alia quàm oportet voce appellem. Quæris, inquit, rem minime obscuram. Quis adeo ignorat penum esse, vinum & triticum, & oleum, & lentem, & fabam, atque huiuscemodi cætera? Etiam ne, inquit Phauorinus, milium, & panicum, & glans, & ordeum, penus est? sunt enim propemodum hæc quoque eiusmodi. Cumque ille reticens hæreret: Nolo, inquit, hoc iam labores, an ista, quæ dixi, penus appellentur. Sed potes ne mihi, non speciem aliquam de penu dicere, sed definire genere proposito, & differẽtiis appositis quid sit penus? Quot sint penus genera, & quas differentias dicas, non hercle intelligo. Rem, inquit Phauorinus, plane dicam. Postulas quod difficilius est, dici planius. nã hoc quidẽ peruulgatum est, definitionem omnem ex genere & differentia consistere. sed si item mihi præmandere, quod aiunt, postulas, faciã sane id quoque honoris tui habendi gratia: atque deinde ita exorsus est, Si, inquit, ego te nunc rogem, vti mihi dicas, & quasi circunscribas verbis, quid homo sit, non opinor respondeas hominem te esse atque me. Hoc enim quis homo sit, ostendere est: non quid homo sit, dicere. Sed si inquam peterem, vt ipsum illud, quod homo est, definires, tum profecto mihi diceres hominem esse mortale animal rationis & scientiæ capiens: vel quo alio modo diceres, vt eum à cæteris animalibus omnibus separares. Perinde igitur nunc te rogo, vt quid sit penus dicas: non vt aliquid ex penu nomines. Tum ille ostẽtator, voce iam molli atque demissa, Philosophias, inquit, ego non didici, nec discere appetiui: & si ignoro an ordeum ex penu sit, aut quibus verbis penus definiatur, non ea re, literas quoque alias nescio. Scire, inquit ridens iam Phauorinus, quid penus sit, non ex nostra magis est philosophia, quàm grammatica tua. Meministi enim, credo, quæri solitũ quid Virgil. dixerit penum instruere, vel longam, vel longo ordine. Vtrumque enim profecto scis legi solitum. Sed vt faciam æquiore animo vt sis, ne illi quidẽ veteris iuris magistri, qui sapientes appellati sunt, definisse satis recte existimantur, quid sit penus. nam Virgil. loc. Q. Scæuolã ad demonstrandũ penũ his verbis vsum audio, PENVS est, inquit, quod esculentum aut poculentum est. Quod enim ipsius patrisfamilias, aut liberorum patris familias, eiusque familiæ, quæ circum eos, aut liberos eius est, & opus non facit, causa paratũ Penus descriptio. est, vt Mutius ait, penus videri debet. Nam quæ ad edendum bibendumque in dies singulos prandii aut cœnæ causa parantur, penus non sunt. Sed ea potius quæ huiusce generis longæ vsionis gratia contrahuntur & reconduntur: ex eo quòd non in promptu sint, sed intus & penitus habeantur, penus dicta sunt. Hæc ego, inquit, cum philosophiæ me dedissem, non insuper tamen habui discere: quin ciuibus Romanis latine loquentibus, rem non suo vocabulo demonstrare, non minus turpe esset, quàm hominem nõ suo nomine appellare. Non insuper. i. nõ supervacaneum. Sic Phauorinus sermones in genus commune à rebus paruis & frigidis adducebat ad ea, quæ esset magis vtile audire ac discere, non allata extrinsecus, non per ostentationem, sed indidem nata acceptaque. Præterea de penu adscribendum hoc etiam putaui, Ser. Sulpitium in reprehensis Scæuolæ capitibus scripsisse, Seio Helio placuisse, non tantum quæ esui & potui forent, sed thus quoque & cæreos in penu esse, quodque esset eius ferme rei causa comparatum. Massurius autem Sabinus in iuris ciuilis secundo, etiam quod iumentorum causa apparatum esset, quibus dominus vteretur, penori attributum dicit. Ligna quoque, & virgas, & carbones, quibus conficeretur penus, quibusdã ait videri esse in penu. Ex iis autem quæ promercalia & vsuaria in locis hisdem essent, ea sola esse penoris putet, quæ sint vsu annuo.

ASCEN. In edicto. quia hæc iuris sunt, ex scripto iure eruenda sunt, de fugitiuo. l. quis sit fugitiuus. ff. de ædilitio edicto. de eo qui habitus erro. l. ea paragrapho erroneum. Noxave solutus non sit, id est noxali iudicio subiectus: vt in dicta. l. quis sit fugitiuus. Quæ autem sint noxales actiones, habetur inst.

codẽ titu.de morbo autem & vitio videatur.l.Labeo.ff.de ædili.ed. paragrapho.sed sciẽdũ est. Et atypus .i.imperfecte pronuncians quasi sine typis & apicibus per quos aspiratio denotatur. Alijs legitur Aphthyphus. Cælius lib.ix.cap.xx.admitteret Athyrophonũ vel Athyrotum, quibus signatur nimia in loquendo celeritas. Andreæ Alciato placeret tryphus. Masserio autem nostro tripherus. Galenus enim in aphorismis Hippocratis auctor est: sicuti ψελλίζειν id est balbultire linguæ vitium est, non vocis, sic τραυλίζειν idẽ significare. esseque eorũ qui t, & r, simul non recte pronũciant. Calcitro vt erro: nomina sunt à prima positione verbi formata vt alia multa, comedo, mãduco, cachinno: estque calcitro qui frequenter calce ferit, aut qui recalcitrat. De sterili muliere, l.quærere.ff.de ædil.edi. Trebatius ait Læliũ distinguere sterilitatẽ &c. vt hic de Myope Beroaldus prolixe in adnotatis ante mediũ, multum & erudite disserit. Et vt Pius ait, dicimus lusciosum luscitiosum & luscitium: quinetiam lucitiosum, vt apud Pompeium. Et sunt myopes qui semiclausos habent oculos parum mane & vesperi videntes, aut vt idem Pompeius sentit, clarius vesperi quàm interdiu cernentes. Maserius ad hæc rursum sic. Tripheros vox est ait Cælius cap.xxiiij.lib. vij. quam qui nequit recte proferre, dicitur τραυλίζειν .i. balbutire, sicut nec traulos, quæ vox signat blæsos: Tripheros tamen delicatus siue deliciosus, cui lingua est imbecillis. quam dictionem non ego, sed Andreas admittit. Hunc librũ Io. Salmonius vir doctissimus & mihi sane quàm familiaris biduum cursim legendũ obtulit D. Antonio Pratensi magno & merito Franciæ Cancellario, cuius erat, restituendum. Hermolaus ait. Luscioli seu vt alij, luscitioli, sunt etiam qui nuscitiosi Festo nominãtur: qui propter vitiũ oculorum parum vident, ex Atæi philologi sententia. Pop. Aurelius vocat cæcitudines nocturnas, quas græci vocant Nyctalopias. Plin. nuscitiones, dicẽs: Caprinũ iecur restituit vespertinã aciẽ ijs quos vocant nyctalopas. AElius Stillo ait nuscitiosos esse qui plus vident vesperi quàm meridie: nec agnoscunt nisi quod ad oculos fuerit anmodum proxime. Paulus ait: Nyctalopes sunt, qui vident interdiu, occidente autem sole vident exiliter, noctu nihil. Myopes vero qui iam inde ab initio ortus sui nisi admota contueri nequeunt: quod genus curam non recipit. Vlpianus in ædil. edicto. Idem vbi homo inquit matutino tempore videt, neque vespertino (quod genus græci nyctalopas vocant) luscitionem eam quidam putant cum homo (inquit) lumine adhibito nihil videt. Nonius autem ait morbum à vitio virorum prudẽtia separare voluit: vt sit morbus cum accessu contagij aut temporis: vitium sit perpetua, inæstimabilis & irreuocabilis causa. De his vide Budæum doctissime disputantem in annot. in pand.

Luscitiosi. Nyctalopes. Myopes. Morbus. Vitium.

Quid differat morbus & vitium, & quam vim habeãt vocabula ista in edicto AEdilium, & an eunuchus, & steriles mulieres redhiberi possint, diuersæque super ea re sententiæ.

CAPVT II.

IN edicto AEdilium Curulium, qua parte de mancipiis vendundis cautũ est, scriptum sic fuit: Titulus seruorum singulorum, vt scriptus sit curato, ita vti intelligi recte possit, quid morbi vitiique cuiq; sit, Quis fugitiuus erroue sit, Noxave solutus non sit. Præterea quæsierunt iurecõsulti veteres, quid mancipium morbosum, quidve vitiosum recte diceretur, quantũque morbus à vitio differret. Cæcilius Sabinus in libro, quem de edicto AEdilium Curuliũ composuit, Labeonem refert, quid esset morbus, hisce verbis definisse, „ MORBVS est habitus cuiusq; corporis contra naturam, qui vsum eius facit deteriorem „. Sed morbũ aliâs in toto corpore accidere dicit, alias in parte corporis. Totius corporis morbum esse, veluti sunt φθίσις aut febris: Partis autem, veluti cæcitas, aut pedis debilitas. BALBVS autem, inquit, & ATYPVS vitiosi magis quàm morbosi sunt: & equus mordax aut calcitro, vitiosus, non morbosus. Sed cui morbus est, is etiam vitiosus est. Neq; id tamen contra fit. potest qui vitiosus est, non morbosus esse. Quãobrẽ cum de homine morboso ageretur, nequaquã, inquit, ita diceretur, quanto ob id vitiũ minoris erit. De EVNVCHO quidem quæsitum est, an contra edictum AEdilium videretur vænũdatus, si ignorasset emptor eum eunuchum esse. Labeonem respõdisse aiunt, redhiberi posse quasi morbosum. Sues autem fœminas si steriles essent, & vænum issent, ex edicto AEdilium posse agi, Labeonem scripsisse. De sterili autem muliere, si natiua sterilitate sit, Trebatium contra Labeonem respondisse dicunt. nam cum redhiberi eam Labeo, quasi minus sanã putasset: necesse aiunt Trebatium ex edicto apposuisse, si ea mulier à principio genitali in sterilitate esset. At si valetudo eius offendisset, exque ea vitium factum esset, vt concipere fœtus non posset: tum sanam non videri, & esse in causa redhibitionis. De MYOPE quoque, qui Luscitiosus latine appellatur, & πάνυ νωδὸς dissensum est. Alii enim redhiberi omnino debere, alii contrà, nisi id vitium morbo contractum esset. Eum vero, cui dens deesset, Seruius redhiberi posse respondit: Labeo in causa esse redhibendi negauit. Nã & magna, inquit, pars dente aliquo carent: neq; eo magis pleriq; homines morbosi sunt. Et absurdum admodũ est dicere, nõ sanos nasci homines, quoniam cũ infantibus nõ simul

Morbus. Balbus. Atypus. Calcitro. Eunuchus Sterilis. Edentuli an morbosi.

dentes gignuntur. Non prætereundum est, id quoque in libris veterum iuris peritorum scriptum esse, morbum, & vitium distare: quòd VITIVM perpetuum, MORBVS cũ accessu discessuq; sit. Sed hoc sit ita est, neq; cæcus, neq; eunuchus morbosus est, contra Labeonis, quã supra dixi, sẽtẽtiã. Verba Massurii Sabini apposui, ex libro iuris ciuilis secundo, Furiosus mutusve, cuive quod membrum lacerum læsumque est, aut obest quo ipse minus aptus sit, morbosi sunt. Qui non longe videt, tam sanus est, q̃ qui tardius currit.

Vitium. Morbus.

ASCEN. Pellex licet quasi πάλλαξ dicatur, à multis tamen latina vox censetur, diciturque vxoris pellex quæ est concubina viri, hoc est, vxor pellicem. i. se pellentem toro legitimo patitur: vir concubinã, id est quæ secum cubet, fouet. Agnum fœminã. sic lego: licet apud Pompeium agnam fœminam quidam impresserunt. Erant enim animalium nomina olim latinis vt adhuc græcis sunt fere communia: Lupus, Camelus, Ouis, Agnus, Vrsus &c. Plutarchus in comparatione facta inter Thesea & Romulum ait Seruilium Spurium primum fecisse cum vxore infœcunditatis gratia diuortium: Et in euangelio dicitur quòd Moses repudii libellum permiserit, qui multo ante Seruilium fuit: sed Seruilius primus Romanorum repudium fecit: Moses Israelitis repudij libellum permisit. De illo D. Augustinus cap. xxij. lib. xiiij. de ciuitate dei, vbi de matrimonij sacramẽto & benedictione non paucis tractat.

Quòd nullæ fuerint rei vxoriæ actiones in vrbe Roma ante Carbilianum diuortiũ: atq; inibi quid sit proprie Pellex, quæq; eius vocabuli ratio sit. CAP. III.

MEmoriæ traditum est, CCCCC fere annis post Romam cõditam nullas rei vxoriæ neque actiones, neque cautiones in Vrbe Roma, aut in Latio fuisse: quia profecto nihil desiderabantur, nullis etiam tũc matrimoniis diuertentibus. Seruius quoque Sulpitius in libro quem composuit de dotibus, tum primum cautiones rei vxoriæ necessarias esse visas scripsit, cum Sp. Carbilius, cui Ruga cognomentum fuit, vir nobilis, diuortium cum vxore fecit, quia liberi ex ea, corporis vitio, non gignerentur, anno Vrbis conditæ quingentesimo vicesimotertio, M. Attilio, P. Valerio COSS. Atque is Carbilius traditur vxorem, quam dimisit, egregie dilexisse, charissimamque morum eius gratia habuisse: & iurisiurandi religionem animo atque amori præuertisse, quòd iurare à CENSS. coactus erat, vxorem se liberorum quærendorum gratia habiturum. PELLICEM autem appellatam, probrosamque habitam, quæ iuncta consuetaque esset cum eo, in cuius manu mancipioque alia matrimonii causa foret, hac antiquissima lege ostenditur, quam Numæ regis fuisse accepimus, Pellex ædem Iunonis non tangito. Si tangit, Iunoni crinibus dimissis agnum fœminã cædito. Pellex autem quasi πάλλαξ, id est quasi παλλακὶς, vt pleraque alia, ita hoc quoque vocabulum de Græco flexum est.

Vide Val. lib. ij. ca. ij. & Plutar. & Dionysiũ in Romulo & Numa, & Gell. lib. xviij. cap. xxj. Diuortiũ primũ Romæ factũ. Sp. Carbilius Ruga. Pellicum lex. Pellex.

ASCEN. Quæ latium appellatur. latine etiam dicas, quod latium: sed notabis eam elegantiam nõ esse catholicam. Sponsaliorum. sic frequentius, cum tamen sponsalibus per tertiam frequentius vtamur.

Quid Seruius Sulpitius in libro, qui est de dotibus, scripserit de iure atque more veterum sponsaliorum. CAPVT IIII.

SPONSALIA in ea parte Italiæ, quæ Latiũ appellatur, hoc more atq; iure solita fieri scripsit Seruius Sulpitius in libro quẽ scripsit de dotibus: Qui vxorẽ, inquit, ducturus erat, ab eo, vnde ducenda erat, stipulabatur eã in matrimonium ductum iri: qui daturus erat, itidem spondebat. Is contractus stipulationum sponsionumque dicebatur SPONSALIA. Tunc quæ promissa erat, SPONSA appellabatur: qui spoponderat ducturum, SPONSVS. Sed si post eas stipulationes vxor non dabatur, aut non ducebatur, qui stipulabatur ex sponsu agebat: Iudices cognoscebant. Iudex quam ob rem data, acceptave non esset vxor, quærebat. Si nihil iustæ causæ videbatur, litem pecunia æstimabat. Quantique interfuerat eã vxorem accipi, aut dari, eũ, qui spoponderat, aut qui stipulatus erat, condẽnabat. Hoc ius sponsaliorũ obseruatũ dicit Seruius ad id tempus, quo ciuitas vniuerso Latio lege IVLIA data est. Hæc eadem Neratius scripsit in libro quem de nuptiis composuit.

Sponsalia quomodo fiebant. Sponsa. Sponsus.

ASCEN. Comitium quasi coitium dictum: comitialis morbus magis ex animi impleta re quàm loci angustia fiebat. tuncque comitia interrumpebantur. Malum consilium &c. De hoc Erasmus in adagijs. Sed annotare habemus quanta obseruatione & fide colenda sit nobis vera religio, cũ superstitionibus suis & dæmoniorum cõmentis tantum fidei adhibuerint ethnici, vt Hetrusci in illorum peruersione spem imperij ponẽtes, non dubitarẽt se mortis periculo exponere: & Romani perfidiã edocti in illos animaduertere, & animaduersioni illi salutem acceptam ferre: vt Aulus Gellius hoc scribit loco.

Historia narrata de perfidia Aruspicũ Hetruscorũ:quodque ob eã rẽ versus hic à pueris Romæ vrbe tota cãtatus est, Malũ cõsiliũ consultori pessimũ est. CAP. V.

Horatius Cocles. Aruspicũ fraus.

STatua Romæ in comitio posita Horatii Coclitis fortissimi viri de cælo tacta est. Ob id fulgur piaculis luendũ Aruspices ex Hetruria acciti, inimico atq; hostili in populum Romanũ animo, instituerant eam rẽ contrariis religionibus procurare. Atque illam statuam suaserũt in inferiorem locum perperam transponi, quem sol oppositu circum vndique aliarum ædium nunquam illustraret. Quod cum ita fieri persuasissent, delati ad populum, proditique sunt. Et cum de perfidia confessi essent, necati sunt. Constititque eam statuam perinde, vt veræ rationes post compertæ monebant, in locum editum subducẽdam, atque ita in area Vulcani sublimiori loco statuendam. Eaque res bene & prospere Reipub. cessit. Tunc igitur quòd in Hetruscos Aruspices male consulentes animaduersum vindicatumque fuerat, versus hic scite factus cantatusque esse pueris vrbe tota fertur, Malum consilium consultori pessimum est.

Ea historia de Aruspicibus, ac de versu isto senario, scripta est in Annalibus maximis lib. xi, & in Verrii Flacci libro primo rerum memoria dignarum. Videtur autẽ hic versus de Græco illo Hesiodi versu expressus,

Η δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.

Hastæ.

ASCEN. Vt adnotauit Mas. Cælius cap. xlix. lib. xj. ait hastas fuisse insigne regij fastigij loco diadematis & sceptri: & à rerum origine deorum immortalium vice cultas fuisse. Addit idem ex Tit. Liuio lib. xl. ab Vrb. cõd. nũciasse pontifices inter alia prodigia, hastas motas. Addit & hoc, in carmine illo, Vt meum tergum &c. non opus esse inserere, tuæ, alioqui contra Gellium sentiamus, qui in succidaneo i tractim. i. producte legendum monet: quod origo demonstrat, siue succædo dicas, vt in litera succædaneus: siue succido, vnde succidaneus. Et si adnectis necesse est ponere ter creticum: vt in primo, quarto & sexto locis: & tunc corripies secundam contra Gellium. Ergo deleatur, sicque tantum semel Creticus apponetur. Macrob. cap. xj. lib. iij. Satur. docet quid sit hostia iniugis, ambarualis, & quid eximia. Item duo hostiarum genera legentem docet. Hastas Martias mouisse. Subaudiri videtur se: sed elegantius & significantius subauditur quàm exprimatur. cum enim sic dicitur, Hastas Martias mouisse: incertum est, an se mouerint, an aliud quippiam eas: & in tali locutione vt illud significarent, actiuum quasi absolute posuerũt: vt Et iam nox humida cælo Præcipitat: vbi si passiuuum poneretur longe frigidior esset locutio: vt sit hastas motas esse: quæras enim statim per quem? Nunc autem aut se mouisse, aut Mars eas mouisse videtur. In sacrario. vbi res sacræ custodiuntur: inepte nunc dicitur sacristia. Robigus apud Pompeium deus creditus: dicit enim sic. Robigalia dies festus. vij. Calendas Maias: quo Robigo deo suo quem putabãt rubiginem auertere, sacrificabant.

Robigus.

Verba veteris Senatusconsulti ista, quo decretum est hostiis maioribus expiãdũ quòd in sacrario hastæ Martiæ mouissent. Atque ibi enarratum, quid sint hostiæ succidaneæ: quid item tempora præcidanæa, & quòd Capito Atteius ferias quasdam præcidaneas appellauit. CAPVT VI.

VT terram mouisse nunciari solet, eaque res procuratur: ita in veteribus memoriis scriptum legimus, nunciatum esse Senatui, in sacrario, in Regia hastas Martias mouisse. Eius rei causa Senatusconsul. factũ est Mar. Ant. Au. Posthu. COSS. eiusq; exemplum hoc est, Quòd C. Iulius L. filius Pontif. nunciauit in sacrario, in Regia hastas Martias mouisse, D. E. R. I. C. vt M. Ant. Cos. hostiis maioribus Ioui & Marti procuraret: quod & cæteris diis, quibus videretur placandis, vti procurasset, satis habendũ censuerũt: Si quid succidaneis opus esset, Robigus accederet. Quòd succidaneas Senatus appellauit, quæri solet, quid verbum id significet. In Plauti quoque comœdia quæ Epidicus inscripta est, super eodem ipso verbo requiri audio in his versibus, Men' piacularem Oportet fieri ob stultitiam tuam, vt meum tergum stultitiæ tuæ Subdas succidaneum?

D. E. R. I. C. i. de ea re ita censuerunt.

SVCCIDANEAE autem HOSTIAE dicuntur, e litera per morem compositi vocabuli in i literam commutata. nam quasi succædaneæ appellatæ, quoniam si primis hostiis litatum non erat, aliæ post easdem ductæ hostiæ cædebantur, quæ quasi prioribus iam cæsis, luendi piaculi gratia subdebantur, & succidebantur, ob id succidaneæ nominatæ, litera i scilicet tractim pronunciata. Audio enim quosdam eam literam in hac voce barbare corripere. Eadem autem ratione verbi PRAECIDANEAE quoque HOSTIAE dicuntur, quæ ante sacrificia solennia pridie cæduntur. Porca etiã præcidanea appellata, quã piaculi

Succidaneæ hostiæ. Præcidaneæ hostiæ & Porca.

gratia, ante fruges nouas fieri cœptas immolari Cereri mos fuit, siqui familiam funestã aut non purgauerant, aut aliter eam rem quàm oportuerat, procurauerant. Sed porcam, & hostias quasdam præcidaneas, sicuti dixi, appellari vulgo notum est. FERIAS PRAECIDANEAS dici, id opinor, à vulgo remotum est: propterea verba Attei Capitonis ex quinto librorum, quos de Pontificio iure composuit, scripsi, Ibi Cornucario PONTIF. MAX. feriæ præcidaneæ in atrum diem inauguratæ sunt. Collegium decreuit, non habendum religioni, quin eo die, feriæ præcidaneæ essent. Feriæ præcidaneæ.

ASCEN. Inter suã ætatẽ.i.suæ ætatis homines. Qui propter &c. vt Quintianus in apographia asserit, carmẽ est tetrametrũ iambicũ brachycatalecticum: cuius secundus & tertius iambi sunt: ideoque ba longa, quæ ab Iuuenale corripitur. Tolle tuum precor Annibalem &c. Consederant. legitur apud alium considerant: sed quia præteritum est à consido quod à sedeo mutuatur, legam consederant.

De epistola Valerii Probi Grammatici ad Marcellum scripta, super accẽtu nominũ quorundam Punicorum. CAPVT VII.

VAlerius Probus Grammaticus inter suam ætatem præstanti scientia fuit. Is Annibalem, & Asdrubalem & Hamilcarem, ita pronunciabat, vt penultimam circunflecteret: vt est epistola eius scripta ad Marcellum: in qua Plautum, & Ennium, multosq; alios veteres eo modo pronunciasse affirmat. Solius tamẽ Ennii versum vnum ponit ex libro, qui Scipio inscribitur. Eũ versum quadrato numero factũ subiecimus: in quo nisi tertia syllaba de Annibalis nomine circunflexe ponatur, numerus claudus est. Versus Ennii, quem dixit, ita est, Valerius Probus.

Qui propter Annibalis copias consederant.

ASCEN. Non probabat. non approbabat. Passim sic probo legitur: rarius vt apud Apostolum, omnia probate. Cõpilari.i.spoliari parte bonorum à collega furace quàm vænire.i. vẽdi per hostes si per ignauiam collegæ victus fuerit. Argenti factitaret.i.in vsum suum factum curaret, aut facti haberet. vide Val.lib.ij.de nota censoria. A Fabritio dictum esse: ergo passiua interdum ablatiuum agentem regunt. Sane ex hoc sumitur argumentum quo colligimus minus malum eligendum, seu minus vitandum. A Fabritio dictum

Quid C. Fabritius de Cornelio Rufino homine auaro dixerit. Quem cũ odisset, inimicusque esset, designandum tamen eum Consulem curauit. CAP. VIII.

FABRITIVS Lucinus magna gloria vir, magnisq; rebus gestis fuit, P. CORNELIVS RVFINVS manu quidem strenuus, & bellator bonus, militariq; disciplina peritus admodũ fuit. sed furax homo, & auaritia acri erat. Hũc Fabritius non probabat, neq; amico vtebatur, osusq; eum morũ causa fuit. Sed cum tẽporibus reipub. difficillimis COSS. creandi forent, & is Rufinus peteret Consulatũ, competitoresq; eius essent imbelles quidem & futiles: summa ope adnixus est Fabritius, vti Rufino Consulatus deferretur. Eam rem plerisque admirantibus quòd hominẽ auarum, cui esset inimicissimus, creari COS. peteret, quem hostiliter oderat: Fabritius inquit, Nihil est quod miremini, si malui cõpilari, quàm vænire. Hunc Rufinũ postea bis Consulatu & Dictatura functũ CENS. Fabritius Senatu mouit ob luxuriæ notã, quòd decẽ pondo argenti factitaret. Id autem quod supra scripsi, Fabritium de Cor. Rufino ita in pleraq; historia scriptum est dixisse. M. Cicero, non aliis à Fabritio, sed ipsi Rufino gratias agenti, quòd eius gratiam dedignatus non esset, dictũ esse refert in lib. ii. de Oratore. Verba Ciceronis hæc sunt, Arguta etiam significatio est, cum parua re, & sæpe verbo, res obscura & latens illustratur: vt cum C. Fabritio P. Cornelius homo (vt existimabatur) auarus & furax, sed egregie fortis, & bonus imperator gratias ageret, quòd se homo inimicus Consulem fecisset, bello præsertim magno & graui: Nihil est quo mihi gratias agas, inquit, si malui compilari quàm vænire. Fabritius. Rufinus. Cõpilari à Consule auaro quàm vænire malo.

ASCEN. Iuxta M. Varronẽ doctissimus.i. secũdũ hoc est post eum, & eo excepto doctissimus. Religiosos dies in malam partẽ vocabant, sicut ex nostris quidam ægyptiacos. Nefasti autem sunt omnes in quibus non licebat tria verba, quæ omnẽ iuris actionẽ indicant, fari: hoc est in quibus cessabatur à lite in foro iudiciali. Quorum laus immodesta est. Hinc motus Valla vt diceret gloriosum militem immodicæ gloriæ affectatorẽ &c. Cicero in epistola ad Atticum ait funestiorẽ fuisse diem Alliẽsis pugnæ quàm Vrbis captæ: quod sub Adagij forma Cælius in vltimo libro repetit dicens assumi posse, cum mali authorem grauius detestamur quàm rem ipsam qua affligimur. Semper enim euentorum causæ magis mouent quam ipsa euenta. Hæc Mas. addens. Festus Pomp. cærimonias deducit à Cære oppido: secundum alios à charitate: sed si vera est Gellij sententia, legendũ est, caritate. nã vtraque dictio dicitur à carendo. Mihi Religiosi dies.

Religio priscorū. religio est dicere. Eadem videtur & alijs nationibus fuisse. quibus cum abhorrendum esset deo maledicere, pro male dicere benedicere dicebant: vt illa: Benedic deo, & morere. Inde etiā Dido, ne mali sit ominis quòd regina quicquā timeret, pro illo sperare dixit. Hūc ego si potui tantū sperare dolorē, Et perferre soror potero. in quo sensu etiam illud dictum, At sperate deos memores fandi atque nefandi. Famosos quia in malum sonat, non leges apud Iuuenalem: sed fumosos equitum cum dictatore magistros. Nec audiendi qui temere locutum Gellium censent, cum non suam, sed Nigidianam recitet sentētiā. Sane quod dicit, incrementum sui nimium, intelligo valde amplum, vt Nimis honorati sunt amici tui deus. Alioqui legerem, nimirum.

Quid significet proprie religiosus, & in quæ diuerticula significatio istius vocabuli flexa sit, & verba Nigidii Figuli ex cōmētariis eius super ea re sumpta. CAP. IX.

Nigidius Figulus. NIgidius Figulus homo (vt ego arbitror) iuxta M. Varronem doctissimus, in vndecimo commentariorum grammaticorum versum ex antiquo carmine refert memoria hercle dignum,

Religentem esse oportet, religiosum nefas.

Cuius autem id carmen sit, non scribit. Atque in eodem loco Nigidius; Hoc, inquit, inclinamentum semper huiuscemodi verborum, vt vinosus, mulierosus, religiosus, numosus signat copiam quandam immodicam rei super qua dicitur: quocirca Osus finita. RELIGIOSVS is appellabatur, qui nimia & superstitiosa religione sese alligauerat: eaque res vitio assignabatur. Sed præter ista quæ Nigidius dicit, alio quodā diuerticulo significa-Religiosus. tionis, religiosus pro casto, atq; obseruanti, cohibētique sese certis legibus finibusque dici cœptus. Simili autem modo, illa quoque vocabula ab eadem profecta origine, diuer-Religiosi dies. sum significare videntur, religiosi dies, & religiosa delubra. RELIGIOSI enim DIES dicuntur tristi omine infames, impeditiq;, in quibus & res diuinas facere, & rem quampiā Nefasti. nouam exordiri temperandum est: quos multitudo imperitorum praue & perperam „ NEFASTOS appellant. Itaque Marcus Cicero in libro epistolarum IX ad Atticum, Ma„ iores, inquit, nostri funestiorem diem esse voluerūt Alliensis pugnæ, quàm vrbis captæ, Religiosa delubra. quòd hoc malum ex illo. Itaque alter religiosus etiam nunc dies, alter in vulgus ignotus. Idem tamen M. T. in oratione de accusatore constituendo, RELIGIOSA DELVBRA dicit, nō ominosa nec tristia: sed maiestatis venerationisque plena. Massurius autē Sabinus in commentariis, quos de ingeniis composuit, Religiosum, inquit, est, quod propter sanctitatem aliquam remotum ac sepositum à nobis est. Verbum à relinquendo dictum, tāquam cerimoniæ à carendo. Secundum hanc Sabini interpretationem templa quidem Cerimoniæ. ac delubra, quia horum cumulus in vituperationē nō cadit, vt illorū, quorū laus immodesta est, quæ nō vulgo ac temere, sed cum castitate cerimoniaq; adeunda, & reuerenda, & & reformidāda sunt, magis quàm inuulganda. Sed dies religiosi dicti, quos ex contraria causa propter ominis diritatem relinquimus. Iccirco ait Terentius in Heauton.

„ Tum quod dem ei, recte est.

„ Nam nihil esse mihi, religio est dicere.

Osus finita vitiū sonant vbi copia vitio datur. Quod si (vt ait Nigidius) omnia istiusmodi inclinamēta, nimium ac præter modum significant, & iccirco in culpas cadunt, vt vinosus, mulierosus, verbosus, morosus, famosus: cur ingeniosus, & formosus, & officiosus, & speciosus, quæ pariter ab ingenio, & forma, & officio inclinata sunt: cur etiam disciplinosus, consiliosus, victoriosus, quæ M. Cato ita affigurauit: cur item facundiosa, quod Sempronius Asellio XIII rerum gestarū ita scripsit, Facta sua spectare oportere: dicta non, si minus facūdiosa essent: cur inquam, ista omnia, nunquam in culpam, sed in laudem dicuntur: quanquam hæc quoque incrementum sui nimium demonstrent? An propterea, quia illis quidem, quæ supra posui, adhibendus est modus quidam necessarius? Nam & gratia, si nimia atque immodica: & mores, si multi atque varii: & verba, si perpetua atque infinita & obtundentia: & fama, si magna & inquieta & inuidiosa sit, neque laudabilia nec vtilia sunt. Ingenium autem, & officium, & forma, & disciplina, & consilium, & victoria, & facūdia, sicut ipsæ virtutum amplitudines, nullis finibus cohibentur: sed quanto maiora auctioráque sunt, etiam tanto laudatiora sunt.

ASCEN. Plutarchus in vita Scipionis Africani ait Cēsores legisse Scip. Africanum Senatus prin-Senatus princeps. cipē, quod genus honoris ijs tātū viris cōsueuit deferri, qui gloriā & authoritatem maximis in rēp. meritis præstantissimisque rebus gestis essent consecuti. Idem iterum est cōtinuatus, tertiūque lectus princeps Senatus, à T. Q. Flaminio, & M. Cl. Marcello Cēsoribus. De rogādis sententijs videbis lib. xiij. cap. vij. Hac

uidia,id est molestia facta Cæsari,qui moleste tulit Senatũ Catoni comitem.mitti.i. dimitti iussit:eo enim quòd Cõsul esset id potuit. Viator autem est quem apparitorem dicunt. Nam vt dicit festus, viatores erãt qui magistratibus parebant:eo quòd plerunque ex agris homines euocabãtur à magistratibus:& frequẽs esset eorum ab agris ad vrbem via. Hanc rem recitat etiam Val. Maximus in capite de maiestate. Alius rei. Mosellanus dicit in antiquo esse alij rei,quod propter genus nouum videtur. Viator.

Quid obseruatum de ordine rogandarum sententiarũ.iurgiorum quoq; in Senatu C. Cæsaris COS. & M. Catonis diem dicendo eximentis, CAP. X.

ANte legem,quæ nunc de Senatu habendo obseruatur, ordo rogandi sententias varius fuit. Aliâs primus rogabatur,qui à CENS. princeps in Senatum lectus fuerat. alias qui designati COSS. erant. Quidam è COSS. studio aut necessitudine aliqua adducti, quẽ iis visum erat honoris gratia extra ordinem sententiam primum rogabant. Obseruatum tamen est, cum extrà ordinem fieret, nequis quenquam ex alio quàm ex consulari loco sententiam primum rogaret. C. Cæsar in Consulatu,quem cum M. Bibulo gessit,quatuor solos extra ordinem rogasse sententiam dicitur. Ex iis quatuor principem rogabat M. Crassum. Sed postquam filiam Cn. Pompeio desponderat,primum cœperat Pompeium rogare. Eius rei rationem reddidisse eum Senatui, Tiro Tullius M. Ciceronis libertus refert: itaque se ex patrono suo audisse scribit. Id ipsum Capito Atteius in libro,quem de officio Senatorio composuit, scriptum reliquit. In eodem libro Capitonis id quoque scriptum est, C. inquit, Cæsar Consul M. Catonem sententiam rogauit. Cato rem quam consulebatur, quoniam non è republica videbatur,perfici nolebat. Eius rei gratia ducendæ longa oratione vtebatur,eximebatque dicendo diem. Erat enim ius Senatori, vt sententiam rogatus,diceret ante quicquid vellet alius rei, & quoad vellet. Cæsar COS. viatorem vocauit: eumque cum finem non faceret,prehendi loquentem, & in carcerem duci iussit. Senatus consurrexit, & prosequebatur Catonem in carcerem. Hac, inquit, inuidia facta, Cæsar destitit, & mitti Catonem iussit.

Rogandi Senatus ordo. Tiro Tullius. Cæsar cur Catonem in carcerẽ duci iusserit.

ASCEN. Pythagoram philosophũ.de quo Laertius in vita eius. Porculis & hœdis.aliter de eo scripsit Ouid.lib. Metamor.xv. Cyamõ testem seu coleum & fabulum seu fabam significare assentitur etiam in Plautum Pius. Marinam vrticam dicit Erasmus in adagijs Hecate sacram, & Macrob. Satur. lib. iij. inter pisces lautissimos haberi. Euphorbum. id late Ouidius canit. Meminit & Crinitus lib. xj. cap. iij. Cælius cap. xxvi. lib. vij. ait pythagoricos teste Athenæo,reliquas quidẽ animantes attigisse, verũ moderate: quasdam etiam immolasse:pisces vero nec gustasse omnino echemythiæ ratione:diuinum quippe arbitrãtur esse quiddam,silentium. Seneca. xix. epistola, ait Pythagoram abstinuisse à carnibus & sectiuo. Ego autem à domino Acignæio Brytone nobilissimo Coetmenii heroe inuicto, & Loyate vicecomite prudentissimo in Brytanniam minorem vocatus,longũ cum quodam Lemouico equitaui, qui plerisque audientibus deierauit se à biennio carnium piscium que esus primum nouisse: & is vigesimũprimum tunc agebat annum. Diuus vero Hiero. tanto sectatus est carnes odio, vt eas vix vel nominaret, ait D. August. Pythagorei vocant lactucam eunuchum:at mulieres à stytida: qui enim lactucis vescuntur assidue, in venerẽ fiunt hebetiores. A Cyamo autem dicitur verbum κυαμίζειν cyamissare:quod est puellarum ætate maturiorum, cum virum appetunt. Diuus præterea Hieronymus contra Ruffinũ,ait, Pythagorã dixisse, se fuisse primo Euphorbum, secundo Callidem, tertio Hermotimum, quarto Pyrrhum, & ad extremũ Pythagoram. sunt qui Calliclem scribendum censeant, pro quo Callideam in litera habemus: & quam Alcen vocat, alij Aspasiam dictitant. Fabam autem aluum ciere nunc negant: immo constringere prædicant.

Piscibus cur abstineant Pythagorei.

Quæ,qualiaq; sint,quæ Aristoxenus,quasi magis comperta de Pythagora memoriæ cõmendauit,& quæ itẽ Plutarchus in eũdẽ modũ de eodẽ scripserit. CAP. XI.

OPinio vetus falsa occupauit & conualuit, PYTHAGORAM philosophũ non esitauisse ex animalibus. Item abstinuisse fabulo, quem κύαμον Græci appellant. Ex hac opinione Callimachus poeta scripsit,

καὶ κυάμων ἄπο χεῖρας ἔχειν ἀνιώντων ἔδεσθαι
κἀγὼ Πυθαγόρας ὡς ἐκέλευε λέγω.

Pythagoræ cibus. Fabulum.

Ex eadem item opinione M. Cic. in lib. de Diuinatione primo, hæc verba posuit, Iubet igitur Plato sic ad somnum proficisci corporibus affectis, vt nihil sit, quod errorem animis perturbationemque afferat. Ex quo etiam Pythagoreis interdictum putatur, ne faba vescerentur, quæ res habet inflationem magnam. Is cibus tranquillitatem mentis quærentibus constat esse contrarius. Hæc quidem M. Cic. Sed Aristoxenus musicus vir literarum veterum diligentissimus, Aristotelis philosophi auditor, in libro, quem de Pythagora reliquit, nullo sæpius legumento Pythagoram dicit vsum quàm fabis, quoniam is cibus & subduceret sensim aluum & leuigaret. Verba ista Ari-

Fabas esitasse Pythagorã.

stoxeni subscripsi, πυθαγόρας δὲ τῶν ὀσπρίων μάλιστα τὸν κύαμον ἐδοκίμασε, λίαν κινητικόν τε γὰρ εἶναι καὶ διαφορητικόν. διὸ καὶ μάλιστα κέχρηται αὐτῷ. Porculis quoque minusculis, & hœdis tenerioribus victitasse idem Aristoxenus refert. Quam rem videtur cognouisse ex Xenophilo Pythagorico familiari suo, & ex quibusdam aliis natu maioribus, qui ab ætate Pythagoræ haud multũ aberãt. Ac de animalibus Alexis etiã poeta in Comœdia, quæ Pythagoræ vita inscribitur, docet. Videtur autem de κυάμῳ non esitato causa erroris fuisse, quia in Empedoclis carmine, qui disciplinas Pythagoræ secutus est, versus hic inuenitur, δειλοὶ πάνδειλοι κυάμων ἄπο χεῖρας ἔχεσθαι. Opinati enim sunt pleriq; κύαμον legumentum vulgo dici. Sed qui diligentius scitiusq; carmina Empedoclis arbitrati sunt, κυάμους hoc loco testiculos significare dicunt: eosque more Pythagoræ operte atque symbolice κυάμους appellatos, quod sunt αἴτιοι τοῦ κυεῖν δεινοί, & αἴτιοι τοῦ κυεῖν. Iccircoq; ĩ Empedoclis versu isto non à fabulo edẽdo, sed à rei venereæ proluuio voluisse homines deducere. Plutarchus quoque homo in disciplinis graui authoritate, in primo librorum quos de Homero cõposuit, Aristotelem philosophum scripsit eadem ipsa de Pythagoricis scripsisse, quòd nõ abstinuerunt edundis animalibus, nisi pauca carne quadam. Verba ipsa Plutarchi (quoniam res inopinata est) subscripsi, ἀριστοτέλης δὲ, μήτρας, καὶ καρδίας, καὶ ἀκαλύφης, καὶ τοιούτων ἄλλων ἀπέχεσθαί φησι τοὺς πυθαγορικοὺς, χρῆσθαι δὲ τοῖς ἄλλοις. Ἀκαλύφη autem est animal marinum, quod vrtica appellatur. Sed & piscibus nonnullis abstinere Pythagoricos Plutarchus in Symposiacis dicit. Pythagorã vero ipsum, sicut celebre est, Euphorbum primo se fuisse dictitasse: ita hæc remotiora sunt iis, quæ Clearchus, & Dicæarchus memoriæ tradiderunt, fuisse eum postea Pyrandrum, deinde Callideam, deinde fœminam pulchra facie meretricem, cui nomen fuerit Alce.

Acalyphe. Euphorbũ Pythagoras se fuisse dixit, alia alij. Alce.

ASCEN. Vineamque habuerat derelictui, id est dereliquerat incultam. sic dicimus habeo despectui, odio &c. Opus censorium, id est de quo censores habebant cognoscere & animaduertere. AErarium faciebant, id est obnoxium ad pecuniam in ærarium publicum deferendam. Signanda est loquendi forma. AErarius homo, est ærario obnoxius, inde ærarium aliquem facere. Val. Maximus de his sic, Salinator vero quatuor & triginta tribus non dubitauit in ærarios deferre, id est facere ærario obligatas. Itẽ, In numerum ærariorum retulerunt spoliatos publicis equis, id est vt capite essent censi, vel æra tributorum nomine persoluerent, vt vult interpres. Vide Cælium cap.v.lib.xvj.

AErarius.

Notæ & animaduersiones Censoriæ in veteribus monimentis repertæ memoria dignæ. CAPVT XII.

SI quis agrũ suũ passus fuerat sordescere, eumque indiligẽter curabat, ac neq; arauerat neq; purgauerat: siue quis arborẽ suam vineãque habuerat derelictui, non id sine pœna fuit: sed erat opus Censoriũ, Cẽsoresq; ærarium faciebant. Item si quis eques Romanus equũ habere gracilẽtum, aut parum nitidum visus erat, impolitiæ notabatur. Id verbum significat, quasi tu dicas incuriæ. Cuius rei vtriusq; authoritates sunt: & M. Cato id sæpenumero attestatus est.

Censoriæ notæ.

Impolitiæ

ASCEN. Hesiodus quoque attestatur duo hominum genera incentione (incantamenta vocant vulgares) cantúve leuari ac sanari Ischiadichos vt ait Sipontinus: seu vt hic legimus Ischiacos. vbi quidam legit Isgiadicos: & sunt qui coxendicum morbum patiuntur: hoc est quibus coxa pars cruris dolet: aut quibus neruus coxendix dolorem affert: qui morbus ἰσχίας dicitur, & ἰσχίον coxarũ vertebrũ. huic autẽ morbo alterum remedium præscribit Plin. lib. xxiiij. cap. viij. Alterũ genus luxatos continet quorum morbus σέμμα vocatur: eique remediũ describit Pli. lib. xx. cap. xxi. & lib. xxij. c. xiij. de qua re lege Piũ in Bacch. Plauti reformãtẽ Boethiũ. Apud quẽ legimus puerũ incẽtione à mania leuatũ: sicut in sacris literis Saulẽ à vexatione maligni spiritus opera Dauidis in cithara canẽtis. Arthicum, seu verius arthricum Cicero intellexit morbo laborãtẽ articulorũ, quæ Græci vocãt ἄρθρα: & ischias ἰσχίας dicitur species Arthridis. Vocatur à Paulo affectio podagrica & arthritica. Cælius exponit quæ sit differentia inter eos morbos cap. xxiiij. lib. vij. Cẽsorinus in libro de natali die ait musicã lenire & sanare animi morbos, quos dicũt πάθη.

Ischiaci. Ischiadici Mosellano.

ἄρθρα.

Quod incẽtiões quædã tibiarũ certo modo factæ Ischiacis mederi possint. CAP. XIII.

CReditum hoc à plerisque est, & memoriæ mandatum, ISCHIACI cum maxime doleãt, tum si modulis lenibus tibicen incinat, minui dolores. Ego nuperrime in libro Theophrasti scriptum inueni, viperarum morsibus tibicinem scite modulateque adhibitum mederi. Refert & Democriti liber, qui inscribitur περὶ λοιμῶν ἢ λοιμικῶν κακῶν. In quo docet plurimis hoĩm morbis medicinã fuisse incẽtiones tibiarũ. Tãta prorsus est affinitas corporibus hoĩm mẽtibusq;, & propterea quoq; vitiis aut medelis animorũ & corporũ.

Ischiacis tibicinẽ mederi.

ASCEN. Collectaneorum) Collectanea sunt varie collecta. Qui inscriptus est. Pro quo ab imperitis intitulatus diceretur. Eum sibi recipere non in æde sua. Obscure sed speciose dictum quia depingit more meretriculæ rẽ turpẽ verecunde denarrantis. Ordo est: dixit sibi non fuisse in æde sua recipere eum.i. non habuisse facultatem recipiendi eum: quia alij amatores erant intus, à quibus lapidibus repulsus est. Sane in æde sua construitur cum verbo fuisse: quia cum recipere diceret in ædem suã. Notandum autẽ quòd indifferenter dicat de domo priuata ad ædes suas venisse in plurali, quod Vallæ placet: & mox in singulari in æde sua. Varro de vita so. ait, AEdis quæ nunc est, multis annis quòd facta sit iniquior regis temporibus delubra parua facta. vbi ædis in singulari dicitur. Cum coronario.i. coronarum conuiualium concinnatore & locatore: nisi sit cum coronario auro quod magistratus insigne gerebat. *Inscriptus* AEdes singul. AEdis.

Narratur historia de Hostilio Mancino AEdili, & Manulia meretrice. Verbáq; decreti Tribunorum, ad quos à Manulia prouocatum est. CAPVT XIIII.

CVM librum VIII Attei Capitonis Collectaneorum legeremus, qui inscriptus est de iudiciis publicis, decretum Tribunorum visum est grauitatis antiquæ plenum, propterea id meminimus. idque ob hanc causam, & in hanc sententiam scriptum est, A. HOSTILIVS MANCINVS AEdilis Curulis fuit. Is Manuliæ meretrici diem ad populum dixit, quòd de ambulacro eius noctu lapide ictus esset. vulnúsque ex eo lapide ostẽdebat. Manulia ad Trib. pleb. prouocauit. Apud eos dixit, comessatorem Mancinum ad ædes suas venisse: eum sibi recipere non fuisse in æde sua. sed cum vi irrũperet, lapidibus depulsum. Tribuni decreuerũt AEdilem ex eo loco iure deiectum, quo eum venire cũ coronario non decuisset. Propterea ne cum populo AEdilis ageret, intercesserunt. Hostilij postulatio. AEde singul. Manuliæ defensio per Tribunos.

ASCEN. Arduum vt hic à Sallustio acceptum pro difficili censetur, ita apud Horatium accipi videtur in carmine cuius principium est: AEquam memento rebus in arduis seruare mentem &c.

Defensa à culpa sentẽtia ex historia Sallustii, quam inimici eius cum insectatione maligne reprehenderunt. CAPVT XV.

ELegantia orationis Sallustii, verborúmque facundia, & nouandi studium cum multa prorsus inuidia fuit, multique non mediocri ingenio viri conati sunt reprehẽdere pleraq; & obtrectare: in quibus plura inscite aut maligne vellicant. nonnulla tamen videri possunt non indigna reprehensione. quale illud in Catilinæ historia repertum est, quòd habeat eam speciẽ quasi parum attente dictum. Verba Sallustii hæc sunt, At mihi quidem, tametsi haud quaquam par gloria sequatur scriptorem & authorem rerum, tamen in primis arduum videtur res gestas scribere. Primum, quòd facta dictis exæquanda sunt: Deinde, q̃ pleriq;, quæ delicta reprehenderis, maleuolẽtia & inuidia dicta putant. Vbi de magna virtute atque gloria bonorum memores, quæ sibi quisque facilia factu putat, æquo animo accipit. Supra ea, veluti ficta pro falsis ducit. Proposuit, inquiunt, dicturum causas, quamobrem videatur esse arduum res gestas scribere: atque ibi non primum causam, sed querelas dicit. Non enim causa videri debet, cur historiæ opus arduum sit, quòd ii qui legũt, aut inique interpretentur quæ scripta sunt, aut vera esse non credant. Obnoxiam quippe & obiectam falsis existimationibus eam rem dicẽdã magis aiũt, quàm arduã: quia quod arduũ est, sui operis difficultate est arduum, non opinionis alienæ erroribus. Hæc illi maleuoli reprehensores dicunt. Sed arduum Sallustius non pro difficili tantum, sed pro eo quoque ponit, quod Græci δυσχερές aut χαλεπὸν appellant: quod est cum difficile, tum molestũ quoque, & incommodum & intractabile. Quorum verborum significatio, à sentẽtia Sallustii suprascripta non abhorret. Sallustij locus. Vna causa tantum facta dictis exæquare Inculpatur. Defenditur. Arduum.

ASCEN. Huius Nigidij figuli mathematici opinionem de rota figuli diuus August. refellit ca.iij. lib.v. Et hunc locũ citat interpres post Gell. Nigidium commendans. cur dicatur figulus ponit prædictus vir sanctus in citato iam capite de ciui. dei. Patrius.i. genitiuus casus: qui duplex erat in quarta declinatione: in uis diuisis syllabis, vnde datiuus in ui, & in us. vnde datiuus in u frequens apud Virg. Parce metu. & vt citatur hic: Cõcubitu indulgẽt &c. Nunc autẽ nescio qua ratione mista vtimur declinatione, formantes genitiuum in us & datiuum in ui. Locus Terentij est in Heautõ. Anticatones duos scripsit Cæsar.i. contra Catonem libros: quos ne inuidiam mouerent compressos secum tulisse volunt: ita vt cuiusdam testiculos dicat Iuuenalis, Maiores sint duo Cæsaris Anticatones. Actionis illibuisti.i. inquit Mosellanus, assensus es accusationi. Mihi sensus est, in Dolabella in actione cuius actionis principium est illibuisti. Anticatones.

De vocabulis quibusdā à Varrone & Nigidio cōtra quotidiani sermonis cōsuetudinē declinatis. Atque inibi in id genus quædā cū exemplis veterum relata. CAP. XVI.

Genitiui & datiui quartæ declinatiōis. Senatuis. Domuis. Fluctuis.

M AR. Varronē, & P. Nigidium viros Romani generis doctissimos comperimus non aliter locutos esse & scripsisse, quàm senatuis, & domuis, & fluctuis, qui est patrius casus ab eo quod est Senatus domus & fluctus: huic Senatui, domui, fluctui cæteràque his consimilia pariter dixisse. Terentii quoque comici versus in libris veteribus itidem scriptus est,

Eius anuis opinor causa, quæ est mortua.

Hanc eorum authoritatem quidā è veteribus grammaticis ratione etiam firmare voluerunt, ꝙ omnis datiuus singularis litera finitus i, si nō similis est genitiui singularis, s litera addita genitiuū singularē facit, vt patri patris, duci ducis, cædi cædis. Cū igitur, inquiunt, in casu dandi huic Senatui dicamus, genitiuus ex eo singularis senatuis est, & nō senatus. Sed non omnes concedunt in casu datiuo senatui magis dicendū, quàm senatu: sicut Lucilius in eodem casu victu & anu dicit, non victui & anui, in hisce versibus,

Datiuus in u.

Quod sumptum atque epulas victu præponis honesto. Et alio in loco,

Anu noceo, inquit.

Virg. quoque in casu dandi aspectu dicit, non aspectui,

Teque aspectu ne subtrahe nostro. Et in Georg.

Quòd nec concubitu indulgent. C. etiam Cæsar grauis author linguæ latinæ in Anticatone, Vnius, inquit, arrogātiæ superbiæque dominatúq;. Item in Dolabella actionis illibuisti, Quorum in ædibus fanisq; posita, & honori erāt & ornatu. In libris quoq; analogicis omnia istiusmodi sine i litera dicenda censet.

ASCEN. Notum est composita ab iacio vt ipsum iacio, habere, i, primū consonum: & ideo licet a mutetur in i: quo facto scribitur duplex ij: tamen quia prius i manet consonū, si præcedit altera litera consonans, efficitur positus seu positura: quæ præcedentem vocalem longam facit. Est enim soli vocali quantitas: quod hic Gellius attestatur dicens, Subijcit u litera longa legunt. Interdū tamen poetæ licenter alterum i abijciunt: vt in Versificatoria videre est. Verum in duobus aliquid obscuritatis percipisco: nam obex prima lōga profertur & tamen sine i scribitur: sed licēter aut male. Scribi enim deberet obiex obijcis &c. Et reijce legitur interdum prima longa: cum tamen compositio non faciat consonantē quæ simplex erat duplicem: vt in Georg. Reijce ne maculis infuscet vellera pullis. verum dicam re ibi & alibi, quia monosyllabum licenter produci. in Bucolico autem vbi proceleumaticum facit recte corripi, Tityre pascentes à flumine reijce capellas. Nunc ad literam. Quæ in verbis constituit & confecit subsequuntur. i. nisi consonantes sequantur: quæ secundum. i. post eam primæ sunt. vel cum eliditur ex ea n. tunc enim ab altera vocali corripitur: vt in cooperio, cooperor, coactus &c. Nemo (vt reor, inquit Mas.) est mentis tam delyræ, qui suffercatus recipiendum censeat, verbū sane nihili nulliusque, quam quidem nouerim, significātiæ: nec id metri ratio patitur, nisi peruicax aliquis dictione recepta, velit dicere versum esse procelium, qualē Sernius apud Virg. in. ij. AEneid. sine scansione ponit. Eueniūt: nec te comitem hinc asportare Creusam: quē si vis metricæ rationi supponere, ad Seruiū recurre. Dicet inde aliquis legendū esse, suffert catus, vt dictiones sint duæ, & elidatur s vltima in catus, vt fit apud Lucretium sæpissimè & cæteros antiquos. Cæterum his omissis legendum moneo suffertus, quo verbo vtitur Suetonius. Aliquid se sufferti tinniturum promisit. i. pleni: sic differtum dicimus. Vide Cælium ca. xxix. lib. v. de his dictionibus plura disserētē. Hæc Mas. de quibus, quia locum non habemus, pronunciare non possumus, ideóque vt Aldus impressimus: nunc vero Mas. diligentiam nequaquam aspernandā duco: dubius tamen quod trium reponam, suffert catus. i. callidus: vt sit, ipse catus subijcit hinc aut huic, humilem, & suffert posteriorē: an suffertus, an vero suffectus: vt sit & suffectus in locum alterius, deturbat aut huic simile, posteriorem. Vergilianus autem versus nunc passim sine redundantia sic legitur: Eueniunt: nec te hinc comitem asportare Creusam &c. Addit Mas. Quintilianus ait in primo, Quæret etiam hoc quomodo duabus demum vocalibus in seipsas coeundi natura sit, cum consonantiū nulla nisi alteram frangat. Atqui litera i sibi insidit: conijcit enim est ab illo iacit. Interpres autem duas vocales ita in vnam syllabam posse copulari ait, vt vno spiritu proferātur: quēadmodum in abijcit & conijcit: & ideo Cicero voluit scribere aijo, maija &c. Cuius lingua, vide Mosellanum: nonnulli ligna legunt.

Suffert catus. Suffectus. Aijo.

De natura quarundam particularū, quæ præpositæ verbis, intēdi atq; produci, barbare atq; inscitè videntur, exemplis rationibusq; plusculis disceptatum. CAP. XVII.

L Vcilii ex vndecimo versus sunt,

Obiicio.

Scipiadæ magno improbus obiiciebat asellus,

Lustrum, illo Censore, malum infelixque fuisse.

Obiiciebat o litera producta multos legere audio. idque eo facere dicunt, vt ratio numeri salua sit. Idem infra, Et iam

Coniicio.

Coniicere in versus dictum præconis volebam

Granii. In hac quoq; prima verbi præpositione, ob eandem causam producunt.

Item quintodecimo,

Subiicit hinc humilem, & suffectus posteriorem.

Subiicit u litera longa legunt, quia primam syllabam breuem esse in versu heroico non conuenit. Item apud Plautum in Epidic. con syllabam productam pronunciant, Age nunc iam orna te Epidice, & pallium in collum coniice. Subiicio.

Apud Virgilium quoque subiicit verbum produci à plerisque audio.

Etiam Parnasia laurus "

Parua sub ingenti matris se subiicit vmbra. "

Sed neque ob, neque sub, præpositio producendi habent naturam, neque item con, nisi cum eam literæ sequuntur, quæ in verbis cõstituit & confecit, secũdum eam primæ sunt: vel cum eliditur ex ea n litera, sicut Sallustius, Fœnoribus, inquit, coopertus. In iis autem quæ supra posui, & metrum esse integrum potest & præpositiones istæ possunt non barbare protendi. Secunda enim litera in his verbis per duo, ii, non per vnum scribenda est. Nam verbum istud, cui supradictæ particulæ præpositæ sunt, non icio est, sed iacio: & præteritum nõ icit, sed iecit. Idque vbi compositum est, ex a litera in i mutatur, sicut fit in verbis insilio & incipio: atque ita vim consonantis capit. Et idcirco ea syllaba productius latiúsque paulo pronunciata priorem syllabam breuem esse non patitur, sed reddit eam positu longam. Proptereaq;, & numerus in versu, & ratio in pronunciatu manet. Hæc quæ diximus, eo etiam conducũt, vt quod apud Virgilium in VI positum inuenimus,

Eripe me his inuicte malis, aut tu mihi terram "

Iniice. "

Sic esse iniice, vt supra dixi, & scribendum & legendum sciamus. Nisi quis tam indocilis est, vt in hoc quoque verbo, in præpositionem metri causa protendat. Quærimus igitur in obiicibus, o, litera qua ratione intendatur, cum id vocabulum factum sit à verbo obiicio: & nequaquã simile sit, quod à verbo moueo, motus, o litera longa dicitur. Equidem memini Sulpitium Apollinarem virum præstanti literarum scientia, obices & obicibus, o litera correpta dicere. In Virgilio quoque sic eum legere, Iniicio. Obiices.

Qua vi maria alta tumescant

Obicibus ruptis.

Sed ita, vt diximus, i literam, quæ in vocabulo quoq; gemina esse debet, paulo vberius largiúsq; pronunciabat. Congruens igitur est, vt subiices etiam, quod perinde vt obiices compositum est, u litera breui dici oporteat. Ennius in tragœdia, quæ Achilles inscribitur, subiices pro aere alto ponit, qui cælo subiectus est, in his versibus, Subiices.

Ergo deum sublimes subiices, humidus

Vnde oritur imber, sonitu sæuo & strepitu.

Plerosque omnes tamen legere audias u litera producta. Idipsum autem verbum M. Cato sub alia præpositione dicit in oratione, quam de Cõsulatu suo habuit. Ita hos, inquit, fert ventus ad priorem Pyreneum, quos proiicit in altum. Et Pacuuius item in Anchise,

Id promontorium cuius lingua in altum proiicit. Proiicio.

ASCEN. Quam fuerit altus animo. Valla iudice orator diceret alto animo. Sui conscientia. quã sui .i. de se conscius erat. De hac re vide Val. Max. in cap. de fidutia sui. Meminit huius Scipionis D. August. cap. xxj. lib. iij. p. ij. ingratitudinem grauiter sugillans: in quem locum Radulphus interpres multis exponit Scipionis facinora, huncque citat locum. Alogij crimen est cum rationem quispiam reddere neglexerit in magistratu gestorum: vt huius Scipionis crimen: si crimini supponenda est animi magnitudo. Insperabilem quæ sperari non poterat. plus est ergo, quàm insperata. Alogium.

De Africano superiore sumpta quædam ex Annalibus memoratu dignissima.

CAPVT XVIII.

SCIPIO AFRICANVS antiquior, quanta virtutum gloria præstiterit, & quàm fuerit altus animo atque magnificus, & qua sui conscientia subnixus, pluribus rebus, quæ dixerit, quæque fecerit declaratum est. Ex quibus sunt hæc duo exempla eius fiduciæ ac exuperantiæ ingentis. Cum M. Næuius Trib. pleb. accusaret eum ad populum, diceretque accepisse à rege Antiocho pecuniam vt conditionibus gratiosis & mollibus pax cum eo Pop. Rom. nomine fieret, & quædam item alia crimini daret indigna tali viro: tũ Scipio pauca præ- Scipionis Africani altitudo animi.

Scipionis verba magnifica.

fatus quæ dignitas vitæ suæ, atque gloria postulabat, Memoria, inquit, Quirites repeto diem esse hodiernum, quo Annibalem Pœnum imperio nostro inimicissimum magno prælio vici in terra Africa, pacémque & victoriam vobis peperi insperabilem. Non igitur simus aduersum deos ingrati: sed censeo relinquamus nebulonem hunc, eamúsque nunc protinus Ioui OPT. MAX. gratulatum. Id cum dixisset, auertit: & ire in Capitolium cœpit. Tum contio vniuersa, quæ ad sententiam de Scipione ferendam conuenerat, relicto Tribuno, Scipionem in Capitolium comitata: atque inde ad ædes eius cũ lætitia & gratulatione solenni prosecuta est. Fertur etiam oratio, quæ videtur eo die habita à Scipione. & qui dicunt eam non veram, non eunt inficias quin hæc quidem verba fuerint, quæ dixi, Scipionis. Item aliud est factum eius præclarum. Petilii quidã Trib. pleb. à M. vt aiunt, Catone inimico Scipionis comparati in eum atque immissi desiderabant in Senatu instantissime, vt pecuniæ Anthiochenæ, prædæque, quæ in eo bello capta erat, rationem redderet. Fuerat enim L. Scipioni Asiatico fratri suo Imperatori in ea prouincia Legatus. Ibi Scipio exurgit, & prolato è sinu togæ libro, rationes in eo scriptas esse dixit omnis pecuniæ, omnisque prædæ. Illatum vt palam recitaretur, & ad ærarium deferretur. Sed enim id iam non faciam, inquit, nec me ipse afficiam contumelia. eúmque librum statim discidit suis manibus, & concerpsit, ægre passus quòd cui salus imperii ac Reip. accepta ferri deberet, ab eo ratio pecuniæ prædatitiæ posceretur.

Scipionis factum superbum.

ASCEN. Plautus etiam in Bacchidibus indicat adulescentibus tria esse præcipue aduersa, nocte, vinum, & mulierẽ: quæ Hermolaus Barbarus hoc versiculo expressit, Venter, pluma, Venus, laudẽ fugienda sequenti. In logistorico. quondam legerunt in longa historia: eo quòd sequitur quæ inscripta est Capis: sed relatiuum sequenti congruit. Logistoricos autem videtur sermonum & dictorum insignium narrationem complectens: à logo & historia. Vide Calepinum.

Quid M. Varro in Logistorico scripserit, de moderando victu puerorum impubium. CAPVT XIX.

Crapula ingenio officit.

PVeros impuberes compertum est, si plurimo cibo nimióque somno vterentur, hebetiores fieri. Aduertimúsque hinc elici tarditatem, corpora eorum improcera fieri, minúsque adolescere. Idem plerique alii medicorũ, philosophorúmque, & M. Varro in Logistorico scripsit, quæ inscripta est Capis, aut de liberis educandis.

ASCEN. Festus Põp. vt Mas. adnotauit, ait censorem facere censionem quando equiti multam irrogat. Quòd autem dicitur fuisse plæbeiorum pœnam, æs præbere: addo illud ex Val. Max. qui ait equũ fuisse equiti ademptum, eũdemque in ærarios relatum. In ærarios retulit. i. vt Crinitus lib. iiij. cap. iij. explicat: pro delicto in Ceritum tabulas relatos: & in Centuriæ suæ albo scribi prohibitos ærarois pronũciabat. i. pro capite tributi nomine æs præbituros: eáque erat plæbeiorum pœna: nam patricij senatu mouebãtur: equitibus equus adimebatur. Strigosum, macilentum, & laxa minúsque repleta cute. Statius meus. Nõ additur seruus, alioqui frustra adderetur à Gellio. Statius autem seruile nomen fuit. Sunt qui Stathius scribant: eo quòd Græcis Eustathius aspiratur. Addit Mas. Atque apertæ securitatis. i. negligentiæ: aut dicatur, inquit, scurrilitatis. Cælius ponit eleganter quid intersit inter pendiculationem & oscitationem, & quomodo à Papinio oscitationes dicuntur negligentes compositiones & hallucinantis animi partus. Cælium lege cap. xxvj. lib. vj. Legitur securus pelagi apud Val. Flac. & famæ secura, apud Archith. & securus amorum apud Virg. Sane ex ijs quæ ibidẽ affert Cælius de vocabuli oscitationis interpretamento constat legendum hic esse, securitatis nõ scurrilitatis. Securus enim dicitur seorsum à cura, qui omnẽ curã abiicit, neminemque obseruat, vt oscitabundus qui negligens dicitur. Est autem securitatis nimiæ, coram iudicibus immodice & sonore oscitare.

Notati à Censoribus, qui audientibus iis dixerunt ioca quædam intempestiuiter: ac de eius nota deliberatum, qui steterat forte apud eos oscitabundus. CAP. XX.

Censoriæ notæ. Iocus intẽpestiuus.

INter Censorias seueritates tria hæc exempla in literis sunt castigatissimæ disciplinæ. Vnum est huiusmodi, CENS. agebat de vxoribus solenne iusiurandum. Verba erant ita concepta, Et tu ex animi tui sententia vxorem habes? Qui iurabat, cauillator quidam, & canicula, & nimis ridicularius fuit. is locum esse sibi ioci dicendi ratus, cũ ita, vti mos erat, CENS. dixisset, Et tu ex animi tui sententia vxorem habes? Habeo equidem, inquit, vxorem, sed non hercle ex animi tui sententia. Tum CENS. eum quòd intempestiue lasciuisset,

in ærarios retulit,causámque hanc ioci scurrilis apud se dicti subscripsit. Altera seueritas eiusdem sectæ disciplinæque est. Deliberatũ est de nota eius,qui ad CENS. ab amico aduocatus est,& in iure stans clare nimis & sonore oscitauit,atque inibi prope vt plecteretur,fuit,tanquam illud indicium vagi animi foret,& hallucinantis,& fluxæ atque apertæ securitatis. Sed cũ ille deierasset,inuitissimum sese ac repugnantem oscitatione victum, tenerique eo vitio,quod oscedo appellatur:tum notæ iam destinatæ exemptus est. P. Scipio Africanus Pauli filius,vtranque historiam posuit in oratione quam dixit in Censura, cum ad maiorum mores populũ hortaretur. Item aliud refert Sabinus Massurius in septimo memorabilium seuere factum,CENSS. inquit,P. Scipio Nasica,& M. Pompilius cum equitum censum agerent,equum nimis strigosum & male habitum, sed equitẽ eius vberrimum & habitissimum viderunt. Et cur,inquiunt,ita est,vt tu sis,quàm equus curatior? Quoniam,inquit,ego me curo:equum Statius meus. Visum est parum reuerens esse responsum:relatúsque in ærarios,vt mos est. Statius autem seruile nomen fuit. Plerique apud veteres serui eo nomine fuerunt. Cæcilius quoque ille comœdiarũ poeta inclytus seruus fuit,& propterea nomen habuit Statius:sed postea versum est quasi in cognomentum,appellatúsque Cæcilius Statius.

Oscitatio sonora. Oscedo. Equus strigosus. Respõsum parũ reuerens. Statij serui

ASCEN. Animus is inquit. videtur redundare particula is:nisi sit is scilicet Musonius:nã ordo est: animus audientis philosophum,non habet laxamentum atque ocium laudandi prolixè profuséque sup. ea quæ dicũtur vtilia, ac sup. ea quæ sunt salubria: quæque. i. & quæ,ferũt medicinas errorũ atque vitiorum. Et pudeat & pœniteat. cum cætera sint personalia,viderentur & hæc personalia: vt apud theologos pœnitet frequenter,apud idoneos rarissime. Consiluisse,id est simul tacuisse:quod etiam magna auditur,facere,vt AEnei. ij. Conticuere omnes,intentique ora tenebant.

Pœniteat.

AVLI GELLII NOCTIVM ATTICARVM COMMENTARIORVM, LIBER V.

Quòd Musonius philosophus reprehendit improbauitq; laudari philosophum disserentem à vociferantibus,& in laudando gestientibus. CAP. I.

MVSONIVM philosophum solitum dicere accepimus,Cum philosophus,inquit,hortatur,monet,suadet,obiurgat, aliudve quid disciplinarum disserit:tũ qui audiunt,si de summo & soluto pectore obuias vulgatásque laudes effutiunt,si clamitant etiam,si gestiũt, si vocum eius festiuitatibus,si modulis verborum,si quibusdã quasi frequentamentis orationis mouẽtur,exagitantur, & gestiunt: tũ scias, & qui dicit,& qui audit,frustra esse:neque illic philosophum loqui, sed tibicinẽ canere. Animus is,inquit,audiẽtis philosophũ,quæ dicũtur vtilia,ac salubria sunt,quæq; & errorũ atq; vitiorũ medicinas ferũt, laxamentũ atq; ociũ prolixè profuséq; laudãdi non habet. Quisquis ille est qui audit, nisi ille est plane deperditus,inter ipsam philosophi orationẽ & perhorrescat necesse est,& pudeat tacitus,& pœniteat & gaudeat, & admiretur:varios adeo vultus,disparilésq; sensus gerat,perinde vt eũ conscientiáq; eius affecerit,vtrarũq; animi partiũ aut syncerarũ aut ægrarũ,philosophi pertractatio. Præterea dicebat magnã laudem non abesse ab admiratione:admirationem autem, quæ maxima est,non parere verba,sed silentium. Idcirco,inquit,poetarum sapientissimus, auditores illos Vlyssi labores suos illustrissime narrantis,vbi loquendi finis factus,non exultare,nec strepere,nec vociferari facit:sed consiluisse vniuersos dicit,quasi attonitos & obstupidos,delinimentis aurium ad origines vsque vocis permanantibus.

Musonius de laude orãtis philosophi. Admirationis ratio.

ASCEN. Bucephalas:sic etiã apud Strabonẽ lib. xv. scribitur:licet vulgo bucephalus dicatur. Strabonis verba sunt,Est sylua prope Emodos montes:ex qua Alexander multam abietem, & pinum,& cedrum,& varias alias arbores in Hydaspem deduxit ex quibus classem construxit iuxta vrbes in vtraque fluminis ripa ab eo conditas,vbi Porum vicit: quarũ alterã Bucephaliã nominauit:ab equo qui in eo prælio cecidit. Is Bucephalas latitudine frontis dictus est: quo semper Alexander in certaminibus vtebatur: erat enim bellator optimus:Alteram vero Niceam à victoria appellauit &c. Addit Mas. Hunc equũ Philonicus Thessalus Philippo obtulit,vt ait Plutarch. in vita Alexandri. De cuius exitu ita inquit Plutarc. Ex eo prælio Bucephalus non statim,sed vt plurimi prodidere, post longas vulnerum curationes expirauit. Onesicritus eum senio & labore confectum,occubuisse refert. Triginta nanque annos natus moribun-

Bucephalas.

dus iacuit:cuius mortem acerrime indoluit Alexāder : amicum quedā & familiarē amisisse se existimans. Super eū iuxta Hidaspem cōditam vrbem Bucephaleā appellauit. Cane etiā Pertha nomine à se nutrito, quo plurimum delectabatur, amisso, vrbem nominis illius ædificauit. Hoc Socyon à Lesbio Potamone se accepisse refert. Inscendi: ab in & scando. vox composita. Bucephalon. forte quia dixit oppidū. Strabo autem Bucephaliam aut eius interpres: quia vrbes præmiserat. sed vtroque modo dici potest, oppidum Bucephalia, sicut mox dicet Abderam oppidum, & oppidum Bucephalon, quin etiam Bucephalos.

Pertha.

Super equo Alexandri Regis qui Bucephalus appellatus est. CAP. II.

EQVVS Alexādri Regis & capite & nomine BVCEPHALVS fuit. emptū Cares scripsit talētis XIII, & Regi Philippo donatū. æris nostri summa est HS CCCXII. Super hoc equo dignum memoria visum, quòd vbi ornatus erat armatúsque ad prælium, haud vnquam inscendi sese ab alio nisi à Rege passus sit. Id etiā de isto equo memoratum est, quòd cum in eo insidens Alexander bello Indico, & facinora faciens fortia, in hostium cuneum non satis sibi prouidens, immisisset, coniectisque vndique in Alexandrum telis, vulneribus altis in ceruice atque latere equus perfossus est: moribūdus tamen, ac prope iam exanguis è mediis hostibus Regem viuacissimo cursu retulit. Atque vbi eum extra tela extulerat, ilico concidit: & deinde iam superstitis securus quasi cum sensus humani solatio expirauit. Tum Rex Alexander parta eius belli victoria, oppidum in iisdem locis condidit, atque ob equi honores Bucephalon appellauit.

Bucephalas bouillo capite. Talenta XII. Sestertia cccxij. Vide num calculus erret. Bucephalon oppidum.

ASCEN. Protagoras Meādri ditissimi (vtpote qui Xerxē domo & donis excepit splendide) filius, Magorū obtinuit cōgressum: qui cum falsam opinionem de dijs traxisset, ab Atheniēsibus est pulsus. Hic primus mercede docuisse dicitur: quod nec vituperari debet, nec potest, ait Philostratus. Quæ enim nobis impendio constant, gratiora veniunt: & vt ait D. Hieronymus, putent merces gratuitæ. Hic est dictus, ait Cælius, primus sophistes: De quo nomine idem ita inquit Cælius. Hoc nomine nō modo præsignes oratores, & summa dicendi copia illustres dixerunt antiqui, sed & philosophos dictione nō vsquequaque infantes: nā & Plutarchus sapiētes appellat sophistas: quod docet hoc apophthegmate μισῶ σοφιστὴν ὅστις οὐκ αὐτῷ σοφός. i. odi sophisten qui sibi sapiat nihil: vel qui sibi non sit sapiens, vt habet litera. Quin Aristarchus ait vix septem fuisse sophistas. Sophistarum artem reiiciunt nonnulli ad Gorgiam, perinde ac patrem: & sophistices quæ dicitur secunda, ad AEschinem: qui inter sophistas dictus est primus diuine dicere. Distinguitur ita rhetor à sophista & orator, vt Rhetor sit, qui literas doceat, & traditor sit artis eloquētiæ: Sophista vero apud quem dicendi exercitium discitur. Orator qui in causis priuatis & publicis plena & perfecta vtitur eloquentia. at nunc audias iactabundos, inanes, gloriosos, temerariósque, & segnioris vitæ magistellos abuti nomine: qui vbi tria aut quatuor nouere argumenta, ea in faciem ingerunt, & tanquā circulatores ingenua iuuenū ingenia suspendunt. Caudices dicit ligni vectes, qui sunt interdum tabularum cōtextus: vnde ait Seneca, Appius Claudius Caudex dictus est, quòd primus caudicarias naues sit ingressus. Plinij interpres Hermolaus, ait, Caudes sunt tabularum contextus, puto legendum caudices: nā subiūgit, vnde codices & caudicariæ naues: præponēs candelas esse quacūque constant materia scirpos, tædas, seuū, cerā: vti mirū ne sit libros Numæ cādelis inuolutos tradi: nisi quis caudellis scribat, propter id quod dictū est. Hæc Mas. in quibus quia variæ sunt sententiæ, vt & ipse quid sentiā aperiam: Caudex & Codex idē est, vt Caurus & corus: Codicē autē dicimus in quo multi sunt libri: at liber dictus quòd in libro, id est interiore arborū cortice olim scriptitabant: & quia in corticoso trunco multi sunt libri, ideo pro trūco obtuso codex seu caudex accipitur: vt in Iuuenale: residens in codice seu caudice pellex. & quia talis caudex obtusus sessili parti supponitur, per metaphorā caudex pro hebetissimo accipitur vt à Terentio. Itē quia liber est integumentū arborū, & in caudice multi libri, accipitur caudex pro denso quouis integumento, vnde naues caudicariæ foris pice & integumento quasi caudice munitæ. Sane Hermolaus sentit pro eodē dici, caudicem & caudem. Nam à caudice diminutiuum esset caudiculus. & inde caudicillus: sicut à codice codicilli dicuntur. A caudes autē caudela seu caudella: vnde nihil dubitē caudellis aut caudeculis voluisse libros Numæ inuolutos. i. integumētis & munimētis cōtra cariē & putredinē. Repetit idē Mas. de Protagora sic. Fuit hic Protagoras φορτοβαστάκτης. i. onerū gestator: ab Epicuro dicitur phormophorus, id est sportuliger & xylophorus: cuiusmodi homines dicūtur ancalidophori, sicut asini ancalidas ferētes. i. ligna vlnæ mēsura: & quod græce dicitur βαστάζων latine dicūtur Clitellæ: hinc clitellarios appellitamus asinos. Cælius lib. xv. cap. xij. vocat phormū cophinū seu sportulā. Hæc Mas. E quibus patet clitellas quæ sunt ea instrumenta in dorsis iumentorum super quæ imponūtur onera, à Gallis vocari le bast: à Græco quod est βαστάζω. Vecturas onerū quod vilissimum est ministerium. Vnde baiulos obulorum aut panis luciones vulgo vocant. Abderam oppidum. Laertius dicit in Protagoræ vita ipsum fuisse Teium. idque ex Eupolidis sententia. Cælius autem libro decimo cap. lvij. multa de Protagora disputat: natúmque dicit Meandro patre ditissimo: licet hic pauper censeatur. Verba eius in principio capitis sunt. Meandrū Protagoræ patrem adeo opulentia & omnifaria rerum copia præcelluisse scribunt ex Græcis nōnulli: vt Xerxem Persarum Regem, à quo mox Græcia concussa est: & domo & donis excipere ausus sit: qua occasione illi insinuatus, Protagoræ filio Magorum congressum impetrauit: quādo Persarum Magi in doctrinæ participatum non temere quenquam nisi iussu regum admittunt. Vnde is de ratione diuina falsam, immo inauspicatissimam traxisse opinionem videtur, siquidem quodam loco ita exordiri ausus est. De dijs vtrum sint an non sint, nihil habeo dicere. Quo argumento pulsus ille ab Athenien. est. Vide reliqua.

Protagoras. Sophistæ. Rhetor. Sophista. Orator. Caudices. Protagoras.

Quæ causa, quodq; initium fuisse dicatur Protagoræ ad philosophiæ literas adeundi.

CAPVT III.

PROTAGORAM virũ in studiis doctrinarũ egregium, cuius nomẽ Plato lib. suo illi inclyto inscripsit, adolescẽtẽ aiunt victus quærendi gratia in mercede missũ, vecturásq; onerũ corpore suo factitauisse, quod genus Græci βαστάζοντας vocãt, latine baiulos appellamus. Is de proximo rure in Abderam oppidũ, cuius popularis fuit, caudices ligni plurimos funiculo breui circũdatos portabat. Tũ forte Democritus ciuitatis eiusdẽ ciuis, homo ante alios virtutis & philosophiæ gratia venerandus, cũ egrederetur extra vrbẽ, videt eum cũ illo genere oneris tã impedito ac tã incoibili, facile atq; expedite incedentẽ. & prope accedit, & iũcturam posituramq; ligni scite periteq; factã cõsiderat: petitq; vt paulũ acquiescat. Quod vbi Protagoras, vti erat petitũ, fecit: atq; itidem Democritus aceruũ illum, & quasi orbẽ caudicum breui vinculo cõprehensum, ratione quadã quasi geometrica librari cõtineriq; animaduertit, interrogauit quis id lignum ita cõposuisset: & cum ille à se compositũ dixisset, desiderauit, vti solueret, ac denuo in modum eundẽ collocaret. At postquã ille soluit ac similiter cõposuit: tum Democritus animi aciem solertiãq; hominis nõ docti demiratus, Mi adolescẽs, inquit, cum ingenium bene faciendi habeas, sunt maiora melioráq;, quæ facere mecum possis: abduxitq; eum statim secúmq; habuit, & sumptum ministrauit, & philosophias docuit, & esse eũ fecit quãtus postea fuit. Is tamen Protagoras insyncerus quidẽ philosophus, sed acerrimus sophistarũ fuit. Pecuniã quippe ingentẽ cum à discipulis acciperet annuã, pollicebatur se id docere, quanam verborum industria causa infirmior fieret fortior. Quam rem græce ita dicebat, τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν.

Protagoras. Bastazontes. Baiulus. Democritilaus. Protagoræ pollicita.

ASCEN. Apud sigillaria. Sigillaria, inquit Calepinus, vicus erat Romæ vbi sigilla vendebantur. Gel lib. v. Sigillaria forte in libraria &c. sic prima habet eius impressio: nunc autẽ adiectã inueni dictionẽ apud, quæ si recipiẽda est, sigillaria erit neutri generis & numeri pluratiui. Vnũ mendũ. recte, licet & hæc menda dicatur. Sicut autem dicere licet duo & vicesimo, sic duo & tricesimo, & ita deinceps. Et simili ratione vno & vicesimo pro primo & vicesimo. Sane quod in fine scriptum est, mortuus est anno duo & vicesimo, Rex fuit anno vicesimo primo, indicat bene trãscriptũ ex archetypo, duo & vicesimo: nã si duodevicesimo mortuus esset. i. decimooctauo, non fuisset creatus rex anno vicesimoprimo, ætatis videlicet suæ. Neque enim sensit vnum & viginti annos regnasse. Addit Mas. Ioan. Bapt. Pius ait in Pœnulũ Plauti Gelliũ adfirmare vndeuiginti signare. xxj. sed fallitur. (Reuera fallitur, quia vndeviginti sunt nouẽdecim quasi vno dempto de viginti seu supra viginti). De vndeoctoginta meminit Beroaldus in adno. & Nestor legit Mortuus est anno duodeuigesimo, vbi legimus duo & vigesimo. Despoterius approbat lectionem Gellianam duo & vigesimo sed exoletam. Idem iam præmisit Badius. Et re vera, si scriptum dixisset Gellius duodeuigesimo, quis mendum in eo notasset? quod si ad consuetudinem loquendi respiciemus manifestarium erit legẽdo, duo & vigesimo: nam secundo & vigesimo sic dixeris. Sane vt non ignores de quo Consule loquatur addidit Mas. L. Sextius primus ex plebe creatus Consul. T. Liuium vide lib. vj. Habuit is collegam L. AEmilium Mamercum.

Sigillaria. Mendum.

De verbo duo & vicesimo, quod vulgo incognitum, à viris doctis multifariam in libris scriptum est.

CAP. IIII.

APVD Sigillaria forte in libraria, ego & IVLIVS PAVLVS poeta, vir memoria nostra doctissimus, consederamus: atq; ibi expositi erant Fabii Annales, bonæ atque synceræ vetustatis libri, quos venditor sine mendis esse contendebat. Grammaticus autem quispiam è nobilioribus ab emptore ad spectãdos libros adhibitus, reperisse vnũ in libro mẽdũ dicebat. Sed cõtra librarius in quoduis pignus vocabat, si in vna vspiã litera delictũ esset. Ostendebat grãmaticus ita scriptũ in libro quarto, Quapropter tum primum ex plæbe alter COS. factus est, duo & vicesimo anno, postq̃ Romam Galli ceperunt. Non, inquit, duo & vicesimo, sed duodeuicesimo scribi oportuit. Quid enim est duo & vicesimo? Alio quoq; loco hic ita scripsit, Mortuus est anno duo & vicesimo. Rex fuit anno vicesimoprimo.

Iu. Paulus. Duo & vicesimo. Duodeuicesimo.

ASCEN. Carthaginiensem. Sic scribũt oẽs: cũ tamen analogiæ ratio Carthaginẽsem postulet. Metrum autem heroicum Carthaginiẽsem & Atheniẽsem. quare sic formari placuit. Cauillatum. i. cõtra mẽtem loquẽtis respõdisse: sicut cauillatores in lite contra mentem collitigantis respondent. Cõuertebatque &c. ante conspectum suum procedere faciens: quod vulgus monstram facere vocat. Ephippijs. i. equis appositis: vt sunt sellæ & earum ornamenta & equorũ stragula, sine quibus prisci equitabant: & semper qui equis desultorijs vsi sunt. de quibus dicit Satyricus, Optat ephippia bos piger, optat arare caballus. Monilibus. quæ sunt collorũ ornamẽta. Satis plane inquit &c. sic distingo vt inquit per parenthesim sit insertũ: quo amoto vis dicti elucescat. Satis plane satis. Etiam si auarissimi sunt. Sic scriptum repperi: sunt inquam non sint: quod ex stomacho Annibalis dictũ videtur: nam qui Romanos auaritiæ insimulare nollet, dice-

ret etiã si auarissimi sint.De his vide Macrob.in Sat.ij.Addit Mas.Quod vituperationis speciẽ habet non accusationis instar,dicitur scomma:non minus amarum quàm accusatio,si opportune proferatur.Leoderia prolatio ad directam contumeliã.Scõma morsus pene figuratus qui vrbanitate tegitur, vt aliud sonet, aliud intelligatur:nec semper ad amaritudinẽ pergit.Leoderia est:reciperem te nisi anguste sederẽ:Scomma:Atqui duabus sellis solebas sedere.Ad id forte referri potest illud Plauti in sticho, Haud postulo equidem me in lecto accumbere:scis tu me esse vni subsellij virũ:vt vni sit genitiuus antiquus. corruptũ tamen locũ asserit Pius dicens legendũ esse imi:ad id respiciẽs(vt reor)quod sequitur:ergo oratores populi summates viri summi accũbent:ego infimatis infimus.Et quoniã alio in loco dixerat Plautus, Nihil moror lacones imi subsellij viros . Macrob.in. ij.Saturn.suo more ingratus hoc repetit caput,addens,inter dicteria proteruiam facere à Catone in Alb. Libet & alia subscribere,vt illud in Seruiliã Bruti . Quo melius emptũ sciatis,comparauit Seruilia fundũ hunc Tertia deducta.Et in Mutiũ virum maleuolum tristiorem ait Publius,Aut nescio quid incõmodi Mutio contigit,aut nescio cui aliquid boni.Hoc etiam Fausti Syllæ in sororem.Miror sororem habere maculam cum fullonem habeat . Et cum Seruilius pictori Mallio dixisset:nõ sic fingis vt pingis(habebat enim deformes filios pictor insignis)respondit,die pingo,noctu fingo. Nec illud est Demosthenis in Laida prætermittendũ:Nõ emo tanti pœnitere. de quo ante. Cicero quoque ait in Caniniũ vnius diei Consulem:vigilantem habuimus Consulẽ,qui in cõsulatu non vidit somnũ. Idẽ de Cæsare,Præcinctura me fefellit.Extat & illud in Herodẽ, Mallẽ esse Herodis porcus quàm filius quia iudaizans suillis abstinuit & filios interemit.Non omitto illud in Augustũ quærentem à quodam sibi facie simillima, an mater Romam aliquando venisset:qui respondit,minime,at pater sæpe. Cuius responsi in hoc sal totus est,quòd cũ esset Augusto simillimus,si respõdisset matrẽ aliquãdo Romã venisse,subintulisset Augustus·cõsueuit ergo cũ ea pater meus.Quocirca cũ præter opinionẽ respõderet patrẽ sæpe illuc vẽtitare,perinde erat ac si diceret:potuit pater meus cũ matre tua cõsuesse, teque vti me genuisse:Nã tũc quoque vt nũc,licet iniuste,modico aut nulli dabatur vitio patris adulterium:sed grauissimo matris.

Scomma.
Leoderia.

Cuiusmodi ioco cauillatus sit in Antiochum regem Pœnus Annibal. CAP. V.

Annibalis cauillatio in Antiochum.

In libris veterum memoriarum scriptum est, Annibalẽ Carthaginensem apud regem Antiochum facetissime cauillatũ esse.Ea cauillatio huiusmodi fuit.Ostendebat ei Antiochus in campo copias ingẽteis, quas bellum populo Romano facturus comparauerat:conuertebàtque exercitum insignibus argenteis & aureis florentem.Inducebat etiam currus cum falcibus,& elephãtos cum turribus,equitatúmq; frenis,ephippiis,monilibus, phaleris præfulgentem:atque ibi rex contemplatione tanti ac tam ornati exercitus gloriabũdus Annibalem aspicit:Et putas ne,inquit, conferri posse,ac satis esse credis Romanis hæc omnia?Tum Pœnus eludens ignauiam imbelliámq; militum eius preciose armatorũ,Satis plane,inquit,satis esse credo Romanis hæc omnia,etiã si auarissimi sunt.Nihil prorsum,neque tam lepide,neque tam acerbe dici potest. Rex de numero exercitus sui,ac de æquiparatione æstimanda quæsierat:respondit Annibal de præda.

ASCEN. S.P.Q.R.Q.Fabio.i.Senatus populúsque Romanus.Q.Fabio &c. Querceus.dicitur & quernus sicut supra Oleaginea:pro quo Oleagina frequẽtius dicitur . Ilignea.similiter iligna dici potest.Impuluere.pulueris experte, qui in cõflictu excitari solet.Mosellanus legit impuluere,vt sit à nominatiuo impuluer:& licet dicatur adiectiue impuluis,quia declinationẽ sumit ab er facit e vel i in ablatiuo: ad ictiuũ autẽ esse docet quòd cõiungitur incruẽtáque:si enim dixisset sine puluere addidisset, & sine cruore. Sane M.Coriolanus ob ciuẽ seruatũ quercea coronatus est corona,ait Plutarch.vbi causam reddit idẽ propter quã arcades dicũtur glandiphagi: qua dictione vtitur Guarinus interpres,ducta à Græco & Latino,ne quis monoculus exsibilet. Hæc Mas.Nõ est mihi tamẽ tanta authoritas Guarini,vt propterea mõstrificam ex Græco & Latino passim compositionem faciam:nec tantùm eleuẽ doctrinã eius quem monoculũ notat,vt monoculum dicere mihi permittam:cũ vnoculum aut luscum, aut monophthalmum rectius possim dicere.Addit idem Mas.Marcellus cũ in Albano monte ingentẽ duxisset & integrũ triũphũ, ouans est vrbem ingressus ait Plutarch.Euan.Græci appellant,Latini ouationem. Eam non in curru laureatus,nec circumplãgentibus tubis:at pedes patricijs in calceis,modulantibus tibijs,myrteã gestans coronã duxit.Nulla belli erat facies,sed quæ iucundum magis quàm terribilẽ parit aspectũ . Quæ res (ait Plutarch.) ingenti mihi extat indicio,ratione magis quàm magnitudine gerendi distinctos olim fuisse triumphos.Nã qui prælio & cædib.hostes superassent,martiũ illũ & terrificũ agentes triumphum,quemadmodum in exercitibus lustrandis fit,arma virósque lauro de more coronabant.At qui sine pugna,beneuolẽtia & comitate orando rem bene gesserãt,ijs imbellem hanc & pacificam pæanis cantu pompam lex sinebat agendam.Tibia enim pacis est:Veneris quoque myrtus arbuscula:quæ vim maxime bellumque est perosa.Cæterum hoc triumphandi genus,non ab ouatione,id est clamore bacchico (sicuti multi putauere) appellatur ouatio:tametsi illã ouantes canentésque transmittant.Credunt hoc à Græcis nomen sumptum & deriuatum in consuetudinem:simulque honoris huius quicquam ad Liberum patrem pertinere, quem Euan & Triambum nominant. Hoc nequaquam verum est . At cum milites in magno triumpho bouem,in hoc immolare ouem consueuerunt:vnde huic generi triumphi nomen extat:dignum esse arbitror eum Spartanorum legislatorem contemplari, qui cõtrario Romanorum more sacrificãdũ instituit.

Ouatio.

Nam si quis Lacedæmoniorum dux quod voluerit dolo aut persuasione perfecerit,bouem mactat:si sine bello res gesta fuerit,gallum.Hæc Plutarchus,quæ ideo repetita sunt quòd ad Gellij cap. faciant. Quis autem primus triumpharit,exponit idem in vita Romuli.

De coronis militaribus,quæ sit earũ triumphalis,quæ obsidionalis, quæ ciuica, quæ muralis,quæ castrensis,quæ nauialis,quæ oualis,quæ oleaginea. CAP. VI.

Militares coronæ multifariæ sunt. Quarum quæ nobilissimæ sunt, has ferme esse accepimus,triumphalem,obsidionalẽ, ciuicam,muralem, castrensem,naualem.Est ea quoq; corona,quæ oualis dicitur. Est item postrema oleaginea:qua vti solent,qui in prælio non fuerunt, sed triumphum procurant. TRIVMPHALES coronæ sunt aureæ,quæ Imperatoribus ob honorem triumphi mittuntur.Id vulgo dicitur aurum coronarium. Hæ antiquitus è lauro erant:post fieri ex auro cœptæ. OBSIDIONALIS est,quam ii qui liberati sunt obsidione,dant ei duci qui liberauit.Ea corona graminea est:obseruarique solitum vt fieret è gramine,quod in eo loco generatum esset intra quem clausi erant qui obsidebantur.Hãc coronam gramineam S.P.Q.R.Q.Fabio Maximo dedit bello Pœnorum secundo, quòd vrbem Romam obsidione hostium liberasset. CIVICA corona appellatur,quam ciuis ciui,à quo seruatus est in prælio,testem vitæ salutisque perceptæ dat. Ea fit è fronde querna, quoniam cibus victusque antiquissimus querceus capi solitus sit. Fit etiam ex ilice quod genus superiori proximum est. sicut scriptum est in quadam comœdia Cæcilii, *Coronæ militares.* *Triũphalis.* *Aurũ coranarium.* *Obsidionalis.* *Graminea.* *Ciuica.* *Querna.* *Iligna.*

Aduehuntur,inquit,cum ilignea corona,& chlamyde. Dii vostram fidem.

Massurius autem Sabinus in XI librorum memorabilium, ciuicam coronam tũ dari solitam dicit,cum is,qui ciuem seruauerat, eodem tempore etiam hostem occiderat: neque locum in ea pugna reliquerat.aliter ius ciuicæ coronæ negat cõcessum. Tiberium tamen Cæsarem consultum,an ciuicam coronam capere posset,qui ciuem in prælio seruasset,& hostes ibidem duos interfecisset:sed locum, in quo pugnabat, non retinuisset, eoque loco hostes potiti essent:rescripsisse dicit,eum quoque ciuica dignum videri, quòd appareret, è tã iniquo loco ciuem ab eo seruatum,vt etiam à fortiter pugnãtibus retineri non quiuerit. Hac corona ciuica L.Gellius vir Censorius in Senatu Ciceronem Consulem donari à Repub.censuit,quòd eius opera esset atrocissima illa Catilinæ coniuratio detecta,vindicataq;. MVRALIS est corona,qua donatur ab Imperatore,qui primus murum subiit,inque oppidum hostium per vim ascendit.Idcirco quasi muri pinnis decorata est. CASTRENSIS est corona, qua donat eũ Imperator, qui primus hostium castra pugnãs introiuit.Ea corona insigne valli habet. NAVALIS est, qua donari solet maritimo prælio,qui primus in hostium nauem vi armatus transiliuit. Ea quasi nauium rostris insignita est. Et muralis autem,& castrensis,& naualis fieri ex auro solent. OVALIS vero corona myrtea est. Ea vtebãtur imperatores, qui ouantes introibant vrbem.Ouandi autem,ac non triumphandi causa est, cum aut bella non rite indicta, neque cum iusto hoste gesta sunt:aut hostium nomen humile,& non idoneum est,vt seruorum, piratarumque:aut deditione repente facta,impuluere(vt dici solet)incruentaque victoria obuenit.Cui facilitati aptam esse Veneris frondem crediderunt,quòd nõ Martius,sed quasi Venerius quidam triumphus foret.Hanc myrteam coronam M. Craſ.cum bello fugitiuorum confecto,ouans rediret,insolenter aspernatus est: Senatusque consultum faciũdum per gratiam curauit, vt lauro non myrto coronaretur. M. Cato obiecit M. Fuluio nobiliori,quòd milites per ambitionem coronis de causis leuissimis donasset: de qua re verba ipsa apposui Catonis,Nam principio, quis vidit corona donari quenquam, cum oppidum captum non esset?aut castra hostium nõ incensa essent? Fuluius autem in quẽ hoc à Catone dictum est,coronis donauerat milites, quia vallum curauerant, aut quia puteum strenue foderant. Prætereundum non est,quod ad ouationes attinet: super quo dissensisse veteres scriptores scio. Partim enim scripserunt, qui ouaret, introire solitum equo vehente. & Sabinus Massurius pedibus ingredi ouantes dicit,sequentibus eos, nõ militibus,sed vniuerso Senatu. *Muralis corona.* *Castrẽsis.* *Naualis.* *Oualis.* *Ouandi causa.* *Cato de ronandis.*

ASCEN. Persona accipitur pro indumẽto oris quo noua facies inducitur,ita vt idẽ varias personas agat:vt patris,filij,diuitis,pauperis,viri mulieris &c.gallice dicitur faulx visaige. quòd autem ideo mediã

producat, quòd sonum maiorem faciat, non plane laudo:quia si vir fœminæ personam debite aget, opus sit vt minorem reddat.sed ideo productam puto:ne videatur secunda persona verbi persono in imperatiuo. Vnde dicit propter vocabuli formam vt differat à verbo, nisi legendum sit præter.

Personæ vocabulum quàm lepide interpretatus sit, quamque esse vocis eius originẽ dixerit C. Bassus. CAPVT VII.

Persona à personãdo

LEpide mehercules, & scite C. Bassus in libris, quos de origine vocabulorum composuit, vnde appellata PERSONA sit, interpretatur. A personãdo enim id vocabulum factum esse cõiectat. Nam caput, inquit, & os cooperimento personæ tectum vndique, vnaq; tantũ vocis emittendæ via peruium, quod non vaga, neque diffusa est: in vnum tantummodo exitum collectam coactamque vocem, & magis claros canorosque sonitus facit. Quoniam igitur indumentum illud oris clarescere & resonare vocem facit, ob eã causam persona dicta est, ô litera propter vocabuli formam productiore.

ASCEN. Ipse quirinali lituo. In septimo æneid. hæc scripta sunt: quæ licet vtcũque excusari possint, vel quod subaudiatur præpositio cũ: vt sit, ipse Picus sedebat cum lituo quirinali, & succinctus trabea &c. vel quòd more aliorum ablatiuorum sic positorum resolui potest: vt ipse quirinali lituo. i. habens quirinalem lituum: sicut apud Boetium, Illa vultu placido. i. habens vultum placidum. tamen melius congruerent si ad vnum referrentur: sed poeta id non curauit. Nam vt inquit Seruius ad illud AEneid. duodecimo. Disce puer virtutem ex me verumque laborem: Fortunam ex alijs. Fortunam nemo discit. vnde aliud verbum, quale esset sortire, habe, sume, aliunde asciscendum est. Sane notandum quod ante Romulum Mars Quirinus dictus, vnde quirinalem ab eo lituum dixit. Ad similitudinem lituorum gestant nostri infulati baculos incuruos quos pastorales vocant. Lituus, ait Plutarch. in Romulo, est baculus inflexus quo ad inaugurandum sedentes cœli spatia designant: quo vti solebat Romulus vaticinij peritus: & is perditus est cum Roma à Celtis est occupata. ita nuncupatum quidam aiunt quòd sit litis testis, licet ab origine discedat. qui eo vtitur cum est buccina incurua, dicitur liticen.

Lituus.

Defensus error à Virgilii versibus, quos arguerat Iulius Higinus grammaticus. Et ibidẽ quid sit Lituus, atq; de etymologia vocis eius. CAP. VIII.

Ipse quirinali lituo, paruaque sedebat
Succinctus trabea, læuaque ancile gerebat.

Virg. loc.

Lituus.

IN his versibus errasse Virgilium Higinus scripsit, tanquam non animaduerterit deesse aliquid hisce verbis, Ipse quirinali lituo. Nam si nihil, inquit, deesse animaduertimus, videtur ita dictum, vt fiat lituo & trabea succinctus: quod est, inquit, absurdissimũ. Quippe cũ LITVVS sit virga breuis in parte, qua robustior est incurua, qua augures vtuntur: quonammodo succinctus lituo videri potest? Immo ipse Higinus parum animaduertit sic hoc esse dictum, vt pleraque dici per defectionem solent: veluti cum dicitur, Marcus Cicero homo magna eloquentia, & Q. Roscius histrio summa venustate, non plenum hoc vtrumque neque perfectum est: sedenim pro pleno atque perfecto auditur. vt Virgilius alio in loco,

Densensio Virgilij.

Victorem Buten immani corpore,
" Id est corpus immane habentem. Et item alibi,
In medium geminos immani pondere cæstus Proiicit. Ac similiter,
" Domus sanie, dapibusque cruentis Intus opaca, ingens.
" Sic igitur id quoque videri dictũ debet, * Picus quirinali lituo erat, sicut dicimus statua grandi capite erat. Est autem, & erat, & fuit, plerunque absunt cum elegantia sine detrimento sententiæ. Et quoniam facta litui mentio est, non prætermittendum est, quod posse quæri animaduertimus: vtrum lituus auguralis, à tuba, quæ lituus appellatur, an tuba à lituo augurum lituuus dicta sit: vtrunque enim pari forma, & pariter in capite incuruum est. Sed si (vt quidam putant) tuba à sonitu lituus appellata est, ex illo Homerico versu λίγξε βιός: necesse est ita accipi, vt virga auguralis à tubæ similitudine lituus vocetur. Vtitur autem vocabulo isto Virgil. & pro tuba, vt ibi,
Et lituo pugnas insignis obibat & hasta.

* Ipse quirinali lituo, id est lituũ quirinalẽ tenens, quod minime mirandum foret si ita dictũ fuisset, Picus.

Quir. Lituus vnde.

ASCEN. Infans erat. i. fandi impotens: vnde nos infantes & infantissimos dicimus, qui dicendi peritiã & gratiam nullam habent. hoc autem miraculum ostendit animæ in corpus potentiam: cũ ex vehementissimo affectu proruperit in vocẽ. Quispiã passim à Gellio ponitur pro quidã: de certo enim loquitur, cũ eum nominet. Magnũ inclamauit. venuste, nam quæ ad sensum pertinent, nomen licet pro aduerbio positum potius quàm aduerbiũ admittunt: vt Toruũque repẽte Clamat. Vox hominem sonat. Vitium sonat.

Rationẽ me edocuit gallicana lingua, quæ de homine bene odorante, dicit, bene olet aut ſentit: de re quæ ſentitur, bonũ olet. Contra de ijs qui ante ætatem legitimã locuti ſunt, collegit hæc Maſ. Crœſi filius ſemeſtris dicitur in crepundijs locutus: vnde proximam regni euerſionẽ aruſpex eſt vaticinatus. Mirũ eſt, inquit Cælius lib. vlti. cap. xiij. quod Hali Abaragel cõmemorat, in regia vidiſſe natum infantem, qui vix dum. xxiiij. vitæ horis perfectis, loqui incepit, & manu ſigna facere: qua in re vehementius rege conterrito, acceſſiſſe maius miraculum. Nam rege, inquit, aſtante & me quoque cum multis alijs, infans exclamauit, Sum inquiens, infeliciter natus ad prodendam regni amiſſionem, & gentis perniciem ac deſolationem: quibus ille enunciatis conciderit exanimis. Ariſtoteles quoque ait nonnullos antequam ætas pateretur locutos expreſſius: rurſus tamen obmutuiſſe, quouſque ſolitum loquendi tempus accederet. Locuti ante tempus.

Hiſtoria de Crœſi filio ſumpta ex Herodoti libris. Et de AEgle Samio. CAP. IX.

Filius CROESI Regis, cum iam per ætatem fari poſſet, infans erat: & cum iam multum adoleuiſſet, item nihil fari quibat. Mutus autem & elinguis diu habitus eſt. Cum vero in patrem eius bello magno victum, & vrbe, in qua erat, capta, hoſtis gladio deducto Regem eſſe ignorans inuaderet, diduxit adoleſcens os clamare nitens, eoque nixu atq; impetu ſpiritus vitium nodumque linguæ rupit, planeque & articulate elocutus eſt, clamans in hoſtem, ne rex Cræſus occideretur. Tum & hoſtis gladium reduxit, & rex vita donatus eſt, & adoleſcens loqui prorſus deinceps incepit. Herodotus in hiſtoriis huius memoriæ ſcriptor eſt, eiuſque verba ſunt quæ prima dixiſſe filium Crœſi refert, ὦ ἄνθρωπε μὴ κτεῖνε κροῖσον. Sed quiſpiam Samius athleta, nomen illi fuit Ἄιγλης, cum antea non loquens fuiſſet, ob ſimilẽ dicitur cauſam loqui cœpiſſe. Nam cum in ſacro certamine ſortitio inter ipſos & aduerſarios non bona fide fieret, & ſortem nominis falſam ſubiici animaduertiſſet: repente in eum, qui id faciebat, ſeſe videre quid faceret, magnum inclamauit. atque is oris vinculo ſolutus, per omne inde vitæ tempus non turbide neque adhæſe locutus eſt. Crœſi filius ex muto vocalis. Quiſpiam pro quidã. AEgles Samius.

ASCEN. Mercedem, appoſitorie grandem pecuniam: quam Quintilianus lib. iij. inſtitutionũ definiuiſſe videtur dicẽs. Artiũ autẽ ſcriptores Corax & Tiſias Siculi: Gorgias, Traſymachus Chalcedonius: cum hoc & prodicus Chius, & Abderites Protagoras, à quo decem milibus didiciſſe artem quam edidit, Euathlus dicitur. Ioannes autem Pius poſteriorum annotat. cap. lxxiij. ſentit quòd illa decem milia denariũm non receperit. Potuit tamen fieri vt receperit: hoc poſito quòd altera decem milia pactus ſit: nam vt Gel. hic dicit, dimidium iam tum ſtatim dedit. Addit Pius: Authores Græcos eſſe qui hoc eueniſſe Coraci Rhetori Syracuſano prodant à diſcipulo Tiſia: unde inoleuit adagium, mali corui ouum peſſimum. Coraca enim Græci coruum vocant: vnde ex nominis ſimilitudine iocus apud Cic. Sinamus Coracem pullos ſuos excludere. vbi metaphora eſt à Coruo ad Coracem oratorem: à pullis excluſis ad Tiſiam diſcipulũ. Scribit Ariſtoteles in. ix. Ethicorum, Protagoram ſolitum diſcipulos interrogare, quanti putarent diſciplinam quam ab eo petijſſent: & tantum ab eis accipere. Hæc ibidem Pius.

De argumẽtis, quæ græcè ἀντιςρέφοντα appellantur: à nobis reciproca dici poſſunt. CAPVT X.

Inter vitia argumentorum, longe maximum eſſe vitium videtur eorum, quæ ἀντιςρέφοντα Græci dicunt. Ea quidam ex noſtris, non hercle nimis abſurde reciproca appellauerunt. Id autem vitium accidit hoc modo: cum argumentum propoſitum referri contra, conuertique in eum poteſt, à quo dictum eſt, & vtrunque pariter valet. quale eſt peruulgatum illud, quo Protagoram ſophiſtarum acerrimum vſum eſſe ferunt aduerſus Euathlum diſcipulum ſuum. Lis namque inter eos & controuerſia ſuper pacta mercedẽ hæc fuit. Is in diſciplinam Protagoræ ſeſe dedit, daturumque promiſit mercedem grandem pecuniam, quantam Protagoras petiuerat. dimidiumque eius dedit iam tunc ſtatim, prius quàm diſceret: pepigitque vt reliquum dimidiũ daret, quo primo die cauſam apud Iudices oraſſet, & viciſſet. Poſtea cum diutule auditor aſſectatorque Protagoræ fuiſſet, & in ſtudio quidẽ facundiæ abunde promouiſſet, cauſas tamen non reciperet, tempuſque iam longũ tranſcurreret, & facere id videretur, ne reliquum mercedis daret: capit conſilium Protagoras, vt tum exiſtimabat aſtutum. Petere inſtituit ex pacto mercedem. litem cum Euathlo cõteſtatur. & cum ad Iudices coniiciendæ conſiſtendæque cauſæ gratia veniſſet, tum Protagoras ſic exorſus eſt. Diſce, inquit, ſtultiſſime adoleſcens, vtroque id modo fore vti reddas quod peto: ſiue contra te pronunciatum erit, ſiue pro te. Nam ſi contra te lis data erit, merces mihi ex ſententia debebitur, quia ego vicero: ſin vero ſecundũ te iudicatum, Antiſtrephonta. Reciproca argumẽta. Protagoræ & Euathli pactio

Euathli responsio.

erit, merces mihi ex pacto debebitur, quia tu viceris. Ad ea respondit Euathlus, Potui, inquit, huic tuæ tam ancipiti captioni isse obuiam, si verba non ipse facerem, sed alio patrono vterer. Sed maius mihi in ista victoria proludium est, cum te non in causa tantū, sed in argumento quoque isto vinco. Disce igitur tu quoque magister sapientissime, vtroque modo fieri, vti non reddam quod petis: siue contra me pronunciatū fuerit, siue pro me. Nam si Iudices pro causa mea senserint, nihil tibi ex sentētia debebitur, quia ego vicero: sin contra me pronunciauerint, nihil tibi ex pacto debebo, quia ego non vicero. Tū Iudices dubiosum hoc inexplicabileque esse, quod vtrinque dicebatur rati, ne sententia sua vtramcunque in partem dicta esset, ipsa sese rescinderet, rem iniudicatam reliquerunt: causamque in diem longissimam distulerunt. Sic ab adolescēte discipulo magister disciplina eloquentiæ inclytus, suo sibi argumento confutatus est: & captionis versutè excogitatæ frustratus fuit.

Sententiæ dilatio.

Bias. Bion.

ASCEN. Illud Biantis. Noui, qui latine declinarent huius Biæ, sed quod magis ad rem facit Diogenes Laer. non Biantem sed Bionem ita respondisse scribit. Sane conuersio argumenti non conuincit: nā si dicas, si turpem duxero, non habebo pœnam: dicam, at habebis communem: & similiter si dicas, si turpem duxero, non habebo communem: dicam, at habebis pœnam. i. fastidium & displicētiam. Verum sententiæ non sunt catholicæ, multæ enim sunt pulchræ seu formosæ & non communes, & multæ minus formosæ sine pœna: quæ alioqui gratiam habēt. Præterea vt argutè Phauorinus notauit, ab insufficienti inductione procedit. Speciosum sane est vocabulum forma stata. i. quæ fiat suis modulis plena, neque redūdans, neque deficiens. Stare enim interdum est plenum esse. Vt, Stant & iuniperi &c. Seneca in secundo idem adfert argumentum. Quærebat Cynicus ab Alexandro talentum, & idem repulsus denarium. Dicebat autem rex, Talentum plus est quàm quod Cynicus accipere debeat: Denarius vero minus quàm quod rex dare. Concludebat itaque rex neutrum esse dandum. At responderi poterat, denarium nō plus esse quàm quod accipere debeat Cynicus, nec talentum plus quàm quod rex dare. Sic ratio habita fuisset & regiæ liberalitatis & paupertatis cynicæ. D. Hierony. contra Iouinia. lib. j. cap. xxviij. epist. v. ait. Extat aureolus Theophrasti liber de nuptijs, in quo quæritur an sapiens ducere debeat vxorem. Et cum definisset, si pulchra esset, si bene morata, si honestis parentibus, si ipse sanus ac diues sit, sic sapientem aliquādo inire matrimonium, statim intulit, hæc autem in nuptijs raro vniuersa concordant, non est ergo vxor ducenda sapienti. causas, si quæris, ibidem subiungit.

Stata forma.

Biantis de re vxoria syllogismum non posse videri ἀντιστρέφοντα. CAP. XI.

Biantis argumentū.

EXistimauit quidam etiam illud BIANTIS viri sapientis ac nobilis respōsum consimile esse, atque est protagorion illud, de quo dixi modo, ἀντιστρέφον. Nam cum rogatus esset à quodam Bias, deberet ne vxorem ducere, an vitam viuere cœlibem: ἤτοι, inquit, καλὴν ἕξεις, ἢ αἰσχράν. καὶ εἰ καλὴν, ἕξεις κοινήν. εἰ δὲ αἰσχρὰν, ἕξεις ποινήν. ἑκάτερον δὲ οὐκ ἀγαθὸν, οὐ ληπτέον ἄρα. Sic autem hoc respōsum conuertunt, εἰ μὲν καλὴν ἕξω, οὐκ ἕξω ποινήν. εἰ δὲ αἰσχρὰν, οὐχ ἕξω κοινήν. γαμητέον ἄρα. Sed minime hoc esse videtur ἀντιστρέφον, quoniā ex altero latere cōuersum frigidius est infirmiusque. Nam Bias proposuit non esse ducendam vxorem propter alterutrum incommodum, quod necessario patiendum erit ei qui duxerit. Qui conuertit autem non ab eo se defendit incommodo quod adest, sed carere se altero dicit quod non adest. Satis est autem tuendæ sententiæ quam Bias dixit, quòd eum, qui duxit vxorem, pati necesse est ex duobus incommodis alterum, vt aut κοινὴν habeat, aut ποινήν. Sed Phauorinus noster, cum facta esset forte mentio syllogismi istius quo Bias vsus est: cuius prima πρότασις, ἤτοι καλὴν ἕξεις, ἢ αἰσχράν. non ratum id neque iustum disiunctum esse ait, quoniam non necessum est alterum ex duobus, quæ disiunguntur, verum esse: quod in proloquio disiunctiuo necessarium est. Eminentia enim quadam significari formarum turpes & pulchræ videntur. Est autem, inquit, tertium quoque inter duo ista, quæ disiūguntur, cuius rationem prospectumque Bias non habuit. Inter enim pulcherrimam fœminam & deformissimam, media quædam forma est, quæ à nimiæ pulchritudinis periculo, & à summo deformitatis odio vacat. Qualis à Q. Ennio in Menalippa perquam eleganti vocabulo stata dicitur, quæ neque κοινὴ futura sit, neque ποινή: quam formam modicam & modestam Phauorinus non mehercle inscite appellabat vxoriam. Ennius autem in ista quam dixi, tragœdia, eas fere fœminas ait incolumi pudicitia esse, quæ stata forma forent.

Necessum Disiunctiuæ cōditio necessaria.

Stata forma. Vxoria.

ASCEN. De his deorū nominibus lege Macrob. in. j. Saturn. Sane Patris nomē illis præcipue deorum attributum ab Ethnicis videtur, qui patrandi & gignendi aut vim habent aut locū designāt. Ideoque

Iupiter & Diespiter dictus Iouis:nam Iouis in nominandi casu & hic & non raro apud diuum August. le gitur,quia pater est omnium quæ in cælo.i.aere nascūtur. Neptunus pater omniū quæ in aquis.vt AEnei. v.Quidue pater Neptune paras &c.Pluton sub terris nascentium & agētium.Vnde æneid.septimo, Odit & ipse pater Pluton,odere sorores . Arungus . Philippus Beroaldus in fine adnotationum in Ser. vult vt Aueruncus reponatur: quia Aruncus est dictio illiterata. Aruncus quidem apud Plin . accipitur pro villo qui à capellarum mento dependet:sed nihil ad rem.Auerruncus autem est habitus deus apud Romanos qui auerruncaret.i.auerteret calamitates & vastitudinem ab agris.Robigus autem creditus deus qui rubiginem seu robiginem à segete propelleret. Sane miseri mortales quibus vanum erat ante lucem surgere, tot imponebant deo nomina,quot ab eo expetebāt opes:nam cum vnus sit deus authore Plin . fragilis & laboriosa mortalitas in partes numina digessit plures:vt portionibus quisque coleret , quo maxime indigeret.Neque absimile faciunt Christiani:qui singularem opem à diuis Ioanne Bapt. Antonio , Claudio, Magno, Huberto,Fiacrio,cæterisque expostulant . Porro Rhodij quoque leguntur in agro suo habuisse templum Apollinis erythibij qui rubiginem propelleret. vocant enim rubiginem ἐρυσίβην, quæ culmos vt rubigo ferrum absumit. Vnde in Gæor.Ne mala culmos esset rubigo. Adde. Trachinij quoque Herculem colunt dictum conopiona quòd conopas.i.locustas & culices fugarit. Et Erythræi ipoctonō quòd ipas repulerit ἀμπελοφάγους.i.vitem rodentes. Sic Apollinem aiunt appellatum smyntheum seu smynthium quòd σμινθοὺς .i. mures expulerit : licet aliqui ab vrbe in Troade deduxerint. Iouis autē in recto olim dicebatur:vt hic. Vnde Iouius a.um.ab Archithrenio, Hoc animi fulmen solio detrusit ab alto Luciferum,Iouia dum se miratur in aula,Partitusque polos superum sibi destinat axem , Deuexumque Ioui.

Auerruncus. Robigus.

De nominibus Deorum populi Romani, Diiouis, & Veiouis. CAP. XII

In antiquis spectationibus nomina hæc Deorum inesse animaduertimus,Diiouis & Veiouis . Est autem etiam ædes Veiouis Romæ inter Arcem & Capitolium.Eorum nominum rationem esse hanc comperi. Iouem Latini veteres à iuuando appellauere.eundemque alio vocabulo iuncto patrem dixerunt.nam quod est in elisis aut immutatis quibusdam literis Iupiter:id plenum atque integrum est Iouis pater.Sic & Neptunus pater coniunctæ dictus est,& Saturnus pater,& Ianus pater, & Mars pater hoc enim est Marspiter.Itemque Iouis Diespiter appellatus,id est diei & lucis pater. Idcircoque simili nomine Diiouis dictus est,& Lucetius,quòd nos die & luce quasi vita ipsa afficeret & iuuaret. Lucetium autem Iouem Cn.Næuius in libris belli punici appellat. Cum Iouem igitur,& DIIOVEM à iuuando nominassent,eum quoque contra deum,qui non iuuandi potestatem,sed vim nocendi haberet,(nam deos quosdā vt prodessent,celebrabāt,quosdā ne obessent,placabant) VEIOVEM appellauerunt dempta atque detracta iuuandi facultate. VE enim particula , quæ in aliis atque aliis vocabulis variatim per has duas literas cum à litera media immissa dicitur , duplicem significatum eundemque inter se diuersum capit. Nam & augendæ rei & minuendæ valet,sicuti aliæ particulæ plurimæ : propter quod accidit,vt quædam vocabula,quibus particula ista præponitur , ambigua sint, & vtroque versum dicantur,væscum,væhemēs,& vegrande : de quibus alio in loco vberiore tractatu facto admonuimus. Vesanos autem & vecordes ex vna tantum parte dici quæ priuatiua est , quam Græci στερητικὸν μόριον dicunt . Simulacrum igitur Dei Veiouis, quod est in æde, de qua supra dixi,sagittas tenet,quæ sunt videlicet paratæ ad nocēdum. Quapropter cum Deum plerique Apollinem esse dixerunt.Immolaturq; illi ritu humano capra.eiusque animalis figmentum iuxta simulacrum stat . Propterea Virgiliū quoque aiunt multæ antiquitatis hominem sine ostentationis odio peritum, numina læua in Georgicis deprecari: significantem quandam vim esse huiuscemodi deorum in lædendo magis quàm in iuuando potentem. Versus Virglii hi sunt,

In tenui labor:at tenuis non gloria,siquem
Numina læua sinunt,auditque vocatus Apollo.

In istis autem diis quos placari oportet, vti mala à nobis vel à frugibus natis amoueantur, Auerruncus quoque habetur,& Robigus.

Diiouis. Veiouis. Iouis. Iuppiter. Marspiter. Diespiter. Lucetius. Dij nō oēs iuuant. Veiouis. Ve aut væ. Væscum. Væhemēs. Vægrāde. Vesanus. Vecors. Veiouis idolum. Virg.loc.

ASCEN. Argumentum quod ex Catone adducitur,non videtur satis efficax ad probandum clientem in omnibus cognato præferendum : sed duntaxat in non mouenda contra eum lite : quod æquum videtur & iustum:nam cum cliens patrono omnia consilia etiam arcana crediderit, iniquum sit ab eo postulari

De officiorũ gradu atq́ue ordine ex moribus populi Ro. obseruato. CAP. XIII.

Officia hoc gradu accipiatur

SEniorum hominum, & Romæ nobilium, atque in morum disciplinarumq; veterũ doctrina memoriaq; præstantiũ, disceptatio quædã fuit præsente & audiente me, de gradu atq; ordine officiorũ. Cũq; quæreretur quibus nos ea prioribus potioribusq; facere oporteret, si necesse esset in opera danda faciundóq; officio alios aliis anteferre, non constabat. Conueniebat autem facile, cõstabatq; ex moribus Po. Ro. primũ iuxta parentes locum tenere pupillos debere fidei tutelæq; nostræ creditos. Secundum eos proximum locum cliẽtes habere, qui sese itidem in fidem patrociniumq; nostrum dederunt. Tum tertio loco esse hospites: postea esse cognatos, affinesq;. Huius moris obseruationisque multa sunt testimonia atq; documenta in antiquitatibus perscripta. ex quibus vnum hoc interim de clientibus, cognatisq;, quod præ manibus est, ponemus. M. Cato in oratiõe quam dixit apud CENSS. in Lentulũ, ita scripsit, Quod maiores sanctius habuere defendi pupillos, quàm clientem non fallere. Aduersus cognatos, pro cliente testatur. Testimonium aduersum clientem nemo dicit. Patrem primũ, postea patronum proximũ nomen habere. Massurius autem Sabinus in libro iuris ciuilis III antiquiorem locũ hospiti tribuit: quàm cliẽti. Verba ex eo libro hæc sunt, In officiis apud maiores ita obseruatum est, primum tutelæ, deinde hospiti, deinde clienti, tum cognato, postea affini. de qua causa fœminæ viris potiores sunt habitæ, pupillarisq; tutela muliebri prælata: etiam aduersus quẽ affuissent eius filii tutores relicti, in eadem causa pupillo aderant. Firmum atque clarum isti testimonium rei perhibet authoritas C. Cæsaris Pont. Max. qui in oratione, quam pro Bithyniis dixit, hoc principio vsus est, Vel pro hospitio regis Nicomedis, vel pro horũ necessitate, quorum res agitur, refugere hoc munus Mumi non potui. Nam neque hominum morte memoria deleri debet, quin à proximis retineatur: neque clientes sine summa infamia deseri possunt: quibus etiam à propinquis nostris opem ferre instituimus.

Parentes. Pupilli. Clientes. Hospites. Cognati. Affines. Pater. Patronus. Hospes cliẽti præferendus.

ASCEN. Polyhistor dicitur multiscius, qui multa vidit & nouit. Venditator, iactator, buccinator, cõmendator, laudator. Nam venditantes sua plus nimio commendant. Speciosum etiam est verbum venditare. Mirificam atque admirandam: non idem dicunt: Mirificum enim ex grano segetem nasci: non tamen admirandum: quia cottidie fit. Specum quãdam. legitur enim in triplici genere. hic specus, & hoc specus: sed neutrum dicunt specoris facere. In. viij. autem AEneid. Hic specus horrendum & sæui spiracula ditis: ego putẽ legendum horrendus: vt s absumatur sicut m. Reuulsi. Frustra igitur negat Seruius id dici: licet à Virg. dicatur Manesve reuelli. Nam etiam in Lucano reperitur. malim tamen reuelli dicere. Sane idem fecisse diuus Hierony. dicitur: & propterea leonẽ habuisse obsequiosum: cuius simulacrum iuxta eũ affingitur. Quod autẽ dicit sole meridiano torrens edebam: non caret fide. Nã vt adnotauit Maf. Posthumianus vidit in AEgyptia solitudine aquam in olla cum holeribus feruere sine igne: tanta vis solis erat.

Vẽditator. Specus, coris. Reuulsi. Lec D. Hieronymi. Vis Solis.

Quòd Appion doctus homo, qui Polyhistor appellatus est, vidisse se Romæ scripsit recognitionẽ inter sese mutuã ex vetere notitia hominis & leonis. CAP. XIIII.

Gratitudo. Appion Polyhistor

APPION, qui Polyhistor appellatus est, literis homo multis præditus, rerumque Græcarum plurima atque varia scientia fuit. eius libri non incelebres feruntur, quibus omnium ferme, quæ mirifica in AEgypto visuntur, audiunturque, historiam comprehendit. Sed in iis quæ audisse vel legisse sese dicit, fortasse à vitio studioque ostentationis fit loquacior. est enim sanequàm in prædicandis doctrinis suis venditator. Hoc autem, quod in libro AEgyptiacorum quinto scripsit, neq; audisse, neque legisse, sed ipsum sese in vrbe Roma vidisse oculis suis confirmat. In circo maximo, inquit, venationis amplissimæ pugna populo dabatur. eius rei (Romæ cum forte essem) spectator, inquit, fui. Multæ ibi sæuientes feræ, magnitudine bestiarum excellentes: omniumque inusitata aut forma erat, aut ferocia. Sed præter alia omnia leonum, inquit, immanitas admirationi fuit: præterquẽ omneis cæteros, vnius. Is vnus leo, corporis impetu, vastitudine, terrificoque fremitu & sonoro, toris comisque ceruicum fluctuantibus, animos oculosque omnium in sese conuerterat. Introductus erat inter complureis cæteros ad pugnam bestiarum Dacus seruus viri Consularis. Ei seruo Androdus nomen fuit. Hunc ille leo vbi vidit procul, repente, inquit, quasi admirans stetit: ac deinde sensim atque placide, tanquam noscitabundus, ad hominem accedit. Tum caudam more atque ritu adulantium canum clemẽter & blande mouet, hominisque sese corpori adiungit: cruraque eius & manus prope iam exanimati metu, lingua leniter demulcet. Homo Androdus inter illa tã atrocis feræ blã

Vẽditator. Bestiæ. Leo truculẽtissimus. Androdus Dacus seruus.

dimenta amiſſum animum recuperat, paulatimque oculos ad contuendum leonem refert. Tum quaſi mutua recognitione facta, Lætos, inquit, & gratulabundos videres hominem & leonem. Ea re prorſus tam admirabili, maximos populi clamores excitatos dicit, arceſſitumque à Cæſare Androdum, quæſitamque cauſam, cur ille atrociſſimus leonum vni parſiſſet: Androdus rem mirificam narrat, atque admirandam. Cum prouinciam, inquit, Africã Proconſulari imperio meus dominus obtineret, ego ibi iniquis eius & quotidianis verberibus ad fugam ſum coactus: & vt mihi à domino terræ illius Præſide tutiores latebræ forent, in camporum & arenarum ſolitudines conceſſi: ac ſi defuiſſet cibus, conſilium fuit mortem aliquo pacto quærere. Tum ſole, inquit, medio, rapido & flagranti, ſpecum quandam nactus remotam latebroſamque, in eam me penetro & recõdo: neque multo poſt ad eãdẽ ſpecum venit hic leo, debili vno & cruento pede, gemitus edens, & murmura, dolorem, cruciatumq; vulneris commiſerantia. Atq; illic primo quidem conſpectu aduenientis leonis territum ſibi, & paucefactum animum dixit. Sed poſtquam introgreſſus, inquit, leo, vti re ipſa apparuit, in habitaculum illud ſuum, videt me procul deliteſcentem: mitis & manſuetus acceſſit, & ſublatum pedem oſtendere mihi, & porrigere, quaſi opis petendæ gratia, viſus eſt. Ibi, inquit, ego ſtirpem ingentẽ veſtigio pedis eius hærentem reuulſi, conceptamq; saniẽ vulnere intimo expreſſi, accuratiusq; ſine magna iam formidine ſiccaui penitus, atque deterſi cruorem. Ille tunc mea opera & medela leuatus, pede in manibus meis poſito recubuit, & requieuit. Atq; ex eo die triẽnium totum ego & leo in eadem ſpecu, eodemq; victu viximus. Nam carũ quas venabatur feras, membra opimiora ad ſpecum mihi ſuggerebat, quæ ego ignis copiam non habens, ſole meridiano torrẽs edebam. Sed vbi me, inquit, vitæ illius ferinæ iam pertæſum eſt, leone in venatũ profecto, reliqui ſpecum: & viam ferme tridui permenſus à militibus viſus apprehenſusq; ſum, & ad dominũ ex Africa Romã deductus. Is me ſtatim rei capitalis dãnandum, dandumq; ad beſtias curauit. Intelligo autem, inquit, hũc quoq; leonem me tunc ſeparato captũ, gratiam nunc mihi beneficii & medicinæ referre. Hæc Appion dixiſſe Androdũ tradit, eaque omnia ſcripta circunlataq; tabella populo declarat. atq; ideo cunctis petentibus dimiſſum Androdum, & pœna ſolutum, leonemq; ei ſuffragiis populi donatum. Poſtea, inquit, videbamus Androdum, & leonem loro tenui reuinctum, vrbe tota circum tabernas ire, donari ære Androdum, floribus ſpargi leonem, omneſque fere vbique obuios dicere, Hic eſt leo hoſpes hominis: hic eſt homo medicus leonis.

Leonis & ſerui innouata notitia.

Penetro me.

Reuulſi.

ASCEN. Triplici dimẽſione, Lõgitudine, latitudine, & profunditate ſeu dẽſitate. Corpus eſſe volũt corpus aut rẽ. Sane vocẽ nõ eſſe corpus cõſtat: quòd manente corpore in quo erat vox nõ permanet vox. de hac re lege vitam Zenonis apud Diogenem. & Cæliũ cap. liij. lib. x. Idem. liiij. &. lv. capitibus de eiſdẽ diſſerit, vbi multa reperies lectu haud indigna. Ennij autem ſententiam quæ in huius capitis fine ponitur Cælius ponderans poſt Gellium ita interpretatur. De philoſophia guſtandum non in eã ingurgitandum eſt: forte quòd non ſit noſtrum onus, nec humanioribus literis rerum illa ſubtilitas magnopere congruat. Inde ſubiungens. Ego vero qui ex Platone didiciſſe videor philoſophi officium eſſe diuina tenere, humana gubernare: non paucis (quod & Cicero non abnuit) philoſophandum arbitror: nec curſim id genus libros tranſeundos, præſertim ſiquis veram philoſophiam inſiſtat, non palliatam, non ex barbitio, non fucatam, non quæ populari auræ rationalis animi generoſam mancipet diuinitatẽ, vt nihil efflet niſi gloriolas inanes, nihil captet tumens, niſi rumuſculos ſecundiores: nec tam præclara rerum ſcientia ab hiſce ſtudijs floridioribus ſequeſtratur, niſi quis bene recteque viuendi rationem (quod perabſurdum foret) velit ab oratore auferre, cum eiuſmodi rerum doctrina, ſine qua mancus ſit, ac prorſus inutilis: ni garrulum quendam fingamus eum, & nil aliud quàm ſtrepentium more graculorum obturbantem, proflantemque quicquid in buccã venerit. Et Seneca ait ad philoſophiam confugiendum, quod non apud bonos modo eiuſmodi literæ, ſed & apud mediocriter malos infularum loco ſint. Et Lucianus ait philoſophicis myſterijs non initiatos in tenebris ſaltare. Sed nec illud prætermittendum quod ſubiungit. Homines defamatos, erraticos & ganearum incolas ſordentium, & demortuos, quodammodo nomen ſibi ſæpe vendicare ſanctiſſimum intuemur dolentes, dum tamen Harmonij & Ariſtogitonis nomina ne vnquam ſeruis indere liceret, decreto Athenien. cauerint. At modo videas dialectici philoſophique nomen confuſum, oratoriſque excluſum: cum vir bonus ſit & dicendi peritus Orator: dialecticus ſubtilis argutator: & philoſophus diuinam. i. abſolutam ipſius boni naturam per ſapientiæ claritatem contemplatur: deinde ad id bonum velut ad finem humanas operationes dirigens, humana diſpenſat. Quin poſt moralem & naturalem ſequitur rationalis rhetoricam & logicam complectens, hanc conciſam, illam perpetuam. & ſi liceat vlterius progredi, ſatis cognitum illud eſt quod Cicero grauis philoſophus & orator inſignis lib. ij. ad Herenium de dialecticorum vanitate profert dicens. Omnes illi dialectici amphibolias aucupantur: eas etiam quæ parte ex altera ſententiam nullam poſſunt interpretari: itaque & alieni ſermonis interpellatores moleſti, & ſcripti ſui tam odioſi, tam obſcuri interpretes ſunt: & dum cau-

te & expedite loqui volunt, infantissimi reperiuntur. Ita dum metuunt in dicendo nequid ambiguum dicant, nomen suum pronunciare non possunt. Verum horum pueriles opiniones rectissimis rationibus, cũ voles refellemus. Impræsentiarum hoc interdicere non fuit alienum, vt huius infantiæ garrulam disciplinam contemneremus. Estque illa (vt reor) philosophia, quam appellat Gellius desidiam argutam & delectabilem, nihil habentem commercij cum recta viuendi ratione, de qua Neoptolemi extat & Gellij sententia. Nam quod adfert Cælius, in dubium non venit: nec videtur Gellij mentem aut Neoptolemi syncere apprehendisse. Hæc Mase. Qui quia opus rhetoricorum ad Herennium, de quo grammatici certant & adhuc sub iudice lis est, Ciceroni addixit: adnotauit è regione hæc. Diuus Hieronymus qui Ciceronianus fuit, aut nullus vnquam fuit, testatur contra Ruffinum Rhetoricen ad Herennium fuisse Ciceronis. Hæc ille. Idem facit Priscianus, Laurentius Valla, & complures alij: non futilibus tamen argumentis adducor in oppositam sententiam. Nam præter phrasim quæ nihil Ciceronis redolet: eius operis Cicero in nullo operum suorum meminit: non taciturus de eo saltē vbi ad filium loquitur in officijs si scripsisset: neque vero simile est ad Herennium potius quàm ad filium scribere voluisse. Dicet fortasse quispiam eius & meminisse, & non potuisse ad filium quippe nondum natum scripsisse: quia adulescenti elapsum: quod si est, quomodo ergo controuersiæ quæ inter Ciceronem & Terentiam matrem post mortem patris fuit in eo opere meminit? Hoc autem argumentum mihi plane Achilles est. sed missa id genus parerga faciam modo ad id respondero, qui ergo tot & tanti viri in ea re hallucinati sint? Sane quod Ciceronianæ eloquentiæ fautores & bibliopolæ quo opus vendibilius facerent eam famam inuulgarant: sicut etiamnum pluscula sanctissimo & doctissimo Bonauenturæ adscribuntur ab aliis tamen cōposita: de qua re in epistola quam dictis rhetoricis nuper præmisi plura argumenta cito.

Corpus ne sit vox, an ἀσώματον, varias esse philosophorũ sentētias. CAP. XV.

Corpus.

VEtus atque perpetua quæstio inter nobilissimos philosophorum agitata est, CORPVS ne sit vox, an incorporeum. hoc enim vocabulum quidam finxerunt proinde, ꝙ græce dicitur ἀσώματον. Corpus autē est, quod aut efficiens est, aut patiens. id græce dicitur τὸ δρώμενον ἢ πάσχον σῶμά ἐστι. Quam definitionem significare volens Lucretius ita scripsit,

Tangere enim aut tangi, nisi corpus, nulla potest res.

Alio quoque modo corpus esse Græci dicunt, τὸ τριχῆ διαστατόν. Sed vocem Stoici corpus esse contendunt: eamque esse dicũt ictum aera. Plato autem non esse vocem corpus putat. Non enim percussus, inquit, aer, sed plaga ipsa atque percussio, vox est. οὐχ ἁπλῶς πληγὴ ἀέρος ἐστὶν ἡ φωνή. πλήττει δὲ τὸν ἀέρα καὶ δάκτυλος παραγόμενος, καὶ οὐδέπω ποιεῖ φωνήν. ἀλλ' ἡ πόση πληγή, καὶ σφόδρα, καὶ τόση δὲ ὡς τε ἀκουστὴν γενέσθαι. Democritus, ac deinde Epicurus ex indiuiduis corporibus vocem cōstare dicunt: eamque, vt ipsis eorũ verbis vtar, ῥεῦμα λόγων appellant. Hos, aliosque tales argutæ delectabilisque desidiæ aculeos cum audiremus, vel lectitaremus, neque in his scrupulis aut emolumentum aliquod solidum ad rationem vitæ pertinens, aut finem vllum quærendi videremus, Ennianum Neoptolemum probabamus, qui profecto ita ait,

Vox an sit corpus.

Philosophandum est paucis, nam omnino haud placet.

Philosophandum paucis.

ASCEN. Sunt qui intro recipiēdo speciē rei: non emittēdo vim visiuā, visum fieri prædicent, quod plane verum est. Nam si emittēdo videas: quomodo diiudices? Opus reuera est, vt in organo sensus sit de quo sensus iudicet. Videmur tamen nescio quid emittere dum oculos rei videndæ obijcimus. & eam propius inspicimus: sed sic nihil quod ad visum faciat emittimus, sed melius colores recipimus. Siqua animalia splendoris nescio quid emittunt, non ideo vident, sed videntur melius. Neoptolemus Ennianus forsan is est quem Plin. lib. xj. dicit Melliturgia scripsisse. sunt autem mellitúrgi qui mellaria exercent.

Melliturgi

De vi oculorum, deque videndi rationibus. CAPVT XVI.

Videndi causæ.

DE videndi ratione, deque cernendi natura diuersas esse opiniones philosophorum animaduertimus. Stoici causas esse videndi dicunt, radiorum ex oculis in ea quæ videri queunt, emissionem, aerisque simul intentionem. Epicurus affluere semper ex omnibus corporibus simulacra quædam corporum ipsorum, eaque sese in oculos inferre, atque ita fieri sensum videndi putat. Plato existimat genus quoddam ignis lucisque de oculis exire: idque coniunctum continuatumque vel cum luce solis, vel cum alterius ignis lumine, sua vi & externa nixum efficere, vt quæcunque offenderit illustraueritque, cernamus. Sed & hic, ea, quæ differimus, imaginandum. eiusdemque illius Enniani Neoptolemi de quo supra scripsimus, consilio vtendum est, qui degustandum ex philosophia censet, non in eam ingurgitandum.

ASCEN. Nefastos vt iam dixi, non accipimus nefandos & atros dies: sed in quibus non licet tria verba fari quæ omnem iuris actionem & sententiam indicant, do, dico, addico. de hac re lege Macrob. lib. j. Saturnr. Rem male gestã. sic lego: nõ Reip. male gestum. nec Reip. malã gestã. Inaminabilẽ. i. mali ominis diem. Quæ superstitio damnanda etiam illis est, qui dies ægyptiacos obseruant: nullus enim dies malus est bene viuentibus. non omnis tamen dies ad omnia agenda opportunus est. non quidem propter malum quod in eo aliquando contigit, sed propter coitũ planetarũ qui in eo quibusdã vt diminutioni sanguinis, incisioni arborũ, sationi & similibus contrarius est. Ante diem quartum. ergo Calendis non postridie Calend. Sed forte legendum est. Die quarto ante Nonas sextilis. i. augusti: qui postridie Calẽdas erat. Adscripsit nuper Maserius & hæc. Festus Põpeius ait, Nonarũ iduũ & calẽdarũ dies posteri, nuptijs alieni habentur, quando ij dies decreto Pontif. atri iudicati sunt quòd quotiescũque Romani duces belli gerẽdi gratia his diebus supplicauerũt, male Remp. gesserũt: proinde tu vide num legi potest r.p. Nam & hoc prius erat notatũ. Hæc ille. Quomodo notauerit non liquet, quia migrando adnotata eius inter sarcinulas confusa sunt: vnũ scio sincere & ex fide ab eo notata trãscripsisse, verũ vti iusserat, nõnulla de meis intermiscuisse: qualia sunt nunc ab eo notata: quæ tamen non duxi expungenda quòd neque falsa sunt neque superuacanea, neque demum contra ea quæ adducit, declarãs enim primũ illud Gellij, quos vulgus imperite nefastos dicit, non inficias eo, atros recte dici. Præterea dicens meliorem videri lectionẽ rem male gestam esse, quàm Reip. malam gestam, quomodo Aldus impressit. non nego de Rep. intelligendũ, de qua semper intelligo dũ summã rẽ, aut summã rerũ, aut rerũ quẽpiã potitũ dico. neque falso adderetur publicã, sed frustra, cũ de non alia loquatur. Adscripsit & hæc. Inter superstitiões quibus lusa est olim gẽtilitas, enumerat Cælius lib. viij. ca. ix. dierũ obseruationẽ, in quo capite Gellium citat, aitque in canonicis decretis prætermissam non esse huius superstitionis memoriam, additque ἀποφράδας à Græcis dici, perinde ac diceres nefandos. Hinc appellari testatur à Luciano apophradi similem, hominẽ moribus ferũ, nõ integrum corpore, mollẽ, periurum, nullis non adobrutum vitijs flagitijsque, & ideo tanquam occursaculũ abominandum & auerrũcandum. Item apud Macrob. in. j. Saturn. notatur decimusquintus lib. Gellij. vbi non pauca de atris diebus & postridianis. Gellius autẽ à Cælio & Macrobio citatur non in Noctibus Atticis, sed in Annalibus: nam in xv non fit mentio de diebus atris à nostro hoc Gellio, sed in v. Quare aut Gelliũ cõstat Annales cõscripsisse præter hunc librum: aut aliũ à nostro hoc Gellio. Nam & Volaterranus in vj. lib. Gæogr. Gellium citat dicentem post AEneæ obitum Italiæ imperium peruenisse ad Latinũ Telemachi & Circes filium, & ex Roma filios suscepisse Romulum & Remum &c. Ante diem quoque &c. ordo est, diem quartum ante Calend. &c.

Quã ob causam dies primi post Calẽdas, Nonas, Idus, atri habeãtur: & cur diẽ quoq; quartũ ante Calẽdas, vel Nonas, vel Idus, quasi religiosum pleriq; vitant. CAP. XVII.

VERRIUS Flaccus in quarto de verborum significatione, dies qui sunt postridie Calẽdas, Nonas, Idus, quos vulgus imperite nefastos dicit, propter hãc causam dictos habitósque ATROS esse scribit: Vrbe, inquit, à Gallis Senonibus recuperata, L. Attilius in Senatu verba fecit, Q. Sulpitium Trib. militum ad Alliam aduersus Gallos pugnaturum, rem diuinam dimicandi gratia postridie Idus fecisse: tũ exercitum Pop. Rom. occidione occisum, & post diẽ tertiũ eius diei vrbẽ præter Capitolium captã esse. Cóplurèsq; alii Senatores recordari sese dixerũt, quoties belli gerẽdi gratia, res diuina postridie Calẽdas, Nonas, Idus, à Magistratu Po. Ro. facta esset: eius belli proximo deinceps prælio rem male gestam esse. Tũ Senatus eam rẽ ad PONT. reiecit, vt ipsi, quod videretur, statuerent. PONT. decreuerũt nullũ iis diebus sacrificiũ recte futurũ. Ante diẽ quoq; quartũ Calẽ. vel Nonas, vel Idus, tanq̃ inominalem diẽ pleriq; vitant. Eius obseruationis an religio vlla sit tradita, quæri solet. Nihil super ea re scriptũ inuenimus, nisi ꝙ Claudius Annalium quinto, cladẽ illã pugnæ Cannensis vastissimam factam dicit ante diem quartum Non. Sextil.

Dies atri postridiani. *Macrob.* *Quartus ante Cal. Idus, No. ater.*

ASCEN. Historiã ab Annalibus. Hanc rẽ Macrob. in Saturn. late explicat, & Beroaldus in adnotationibus in Seruiũ fo. ij. dicens inter cætera quòd historia est rerũ gestarũ expositio, quo consilio & qua ratione res gestæ sint indicãs, vnde affectiões habet, & auditorẽ cõmouet. Annales vero libri sunt id quod factum quoque anno gestũmve sit continentes, suntque nudi, nihil incitamenti habentes, nec commouere quicquã possunt, cũ sine fuco, sine ornamẽto: & sine affectib. rẽ gestã & annũ, atque anni Cõsules narrẽt.

In quo, & quantum differat historia ab Annalibus: superque ea re verba posita ex lib. rerum gestarum Sempronii Asellionis primo. CAPVT XVII.

HISTORIAM ab Annalibus quidã differre eo putãt, ꝙ cũ vtrũq; sit rerum gestarũ narratio, earum tamen proprie rerũ sit HISTORIA, quibus rebus gerẽdis interfuerit is qui narret. Eámq; esse opinionẽ quorũdã Verrius Flaccus refert in libro de significatu verborũ quarto. ac se quidem dubitare super ea re dicit. Posse autẽ videri putat, nõnihil esse rationis in ea opinione, ꝙ historia græce significat rerum cognitionem præsentium. Sed nos audire soliti sumus annales omnino id esse, quod historiæ sint: historias nó omnino esse id, quod

Historia & Annales quid differant.

annales sint. Sicuti quod est homo, id necessario animal esse: quod est animal, non id necesse est hominem esse. Ita Historias quidem esse aiunt rerum gestarum vel expositionē, vel demonstrationem, vel quo alio nomine id dicendum est: Annales vero esse, cum res gestæ plurium annorum, obseruato cuiusq; anni ordine, deinceps cōponuntur. Cum vero non per annos, sed per dies singulos res gestæ scribuntur, ea historia Græco vocabulo ἐφημερὶς dicitur. cuius latinum interpretamētum scriptum est in libro Sempronii Asellionis primo. ex quo libro plura verba adscripsimus, vt simul ibidem, quid ipse inter res gestas & annales esse dixerit, ostenderemus. Verū inter eos, inquit, qui annales relinquere voluissent, & eos qui res gestas à Romanis perscribere conati essent omnium rerū, hoc interfuit. ANNALES libri tantummodo quod factum, quóq; anno gestum sit, id demōstrabant. Id eorum est, quasi qui diarium scribunt, quā Græci ἐφημερίδα vocāt. nobis non modo satis esse video, quod factum esset id pronunciare, sed etiam quo consilio, quáque ratione gesta essent, demostrare. Paulo post idem Asellio in eodem libro, Nā neq; alacriores ad Rép. defendendam, neq; segniores ad rem perperam faciundam Annales libri cōmouere quicq̄ possunt. Scribere autē bellum quo initum Cōsule, & quomodo cōfectum sit, & quis triumphans introierit, éxq; eo libro quæ in bello gesta sint iterare: non prædicare autem interea quid Senatus decreuerit, aut quæ lex rogatione lata sit, neq; quibus cōsiliis ea gesta sint iterare, id fabulas pueris est narrare non historias scribere.

Ephemeris. Annales. Diariū. Historia.

ASCEN. Capitis huius prolixior declaratio ad legū interpretes pertinet. Vesticeps est puber, hoc est pubis & barbæ capax. Nam vestem pro barba: & inuestes pro imberbibus veteres capiebant.

Quid sit Adoptatio, quid item sit Arrogatio, quantúmq; hæc inter se differāt, verbáq; eius, quæ qualiáq; sint, qui in liberis arrogandis super ea re populum rogat. CA. XIX.

CVM in alienam familiam, inq; liberorum locum extranei sumuntur, aut per Prætorem fit, aut per populum. Quod per Prætorem fit, ADOPTATIO dicitur: quod per populum, ARROGATIO. Adoptantur autem cum à parente, in cuius potestate sunt, tertia mancipatione in iure ceduntur: atque ab eo qui adoptat, apud eum apud quem legis actio est, vindicantur. Arrogantur ii qui cum sui iuris sint, in alienam sese potestatem tradunt: eiusque rei ipsi authores fiunt. Sed arrogationes non temere nec inexplorate cōmittuntur. nam comitia arbitris etiā Pontificibus præbentur, quæ CVRIATA appellantur. Ætas quoq; eius qui arrogare vult, an liberis potius gignundis idonea sit: bonáq; eius qui arrogatur, ne insidiose appetita sint, consideratur. Iusque iurandum à Q. Mutio Pont. Max. conceptum dicitur, quod in arrogando iuraretur. Sed arrogari non potest, nisi iam vesticeps. Arrogatio autem dicta, quia genus hoc in alienam familiam trāsitus per populi rogationem fit. Eius rogationis verba hæc sunt, Velitis, iubeatis, vti L. Valerius L. Titio tam iure legéque filius siet, quàm si ex eo patre matréque familias eius natus esset? Vtique ei vitæ necisque in eum potestas siet, vti pariendo filio est? hoc ita, vt dixi, ita vos Quirites rogo. Neque pupillus autem, neque mulier quæ in parentis potestate est, arrogari possunt: quoniam & cum fœminis nulla comitiorum cōmunio est: & tutoribus in pupillos tantam esse authoritatem potestatemque fas nō est, vt caput liberum fidei suæ commissum alienæ ditioni subiiciant. Libertinos vero ab ingenuis adoptari quidem iure posse Massurius Sabinus scripsit. Sed id neque permitti dicit, neque permittendum esse vnquam putat, vt homines libertini ordinis per adoptionem in iura ingenuorum inuadāt. Alioqui si iuris ista antiquitas seruetur, etiam seruus à domino per Prætorem dari in adoptionem potest. Idque ait plerosque iuris veteris authores posse fieri scripsisse. Animaduertimus in oratione Publii Scipionis, quam CENS. habuit ad populum de moribus, inter ea quæ reprehendebat quòd contra maiorum instituta fierent: id etiam eum culpauisse, quòd filius adoptiuus patri adoptatori inter præmia patrum prodesset. Verba ex ea oratione hæc sunt, In alia tribu patrem, in alia filium suffragium ferre. Filium adoptiuum tam procedere, quam si Senatum habeat, absentis censeri iubere, vt ad censum nemini necesse sit venire.

Adoptatio. Arrogatio. Vesticeps. Arrogatio vnde dicta. Massurius



ASCEN. Solœcismus vocabulum est ab Latinis receptum: sed circa Auli Gel. tēpora: vnde & Iuuen. Verba solœcismū liceat fecisse marito. vsus est Aulus Gel. eo vocabulo: neque tamē dormitasse in hoc videtur: quia nouit à Capitone receptū & definitum ac latinitate donatum. Verū signādū est eius iudicium: quo censet ea vocabula quæ apud nullum idoneū græcum aut latinum reperiuntur, non probe dici, neque

recipienda esse.Neque vero dicitur nusquam legi:sed si ita sit &c.Ideóque licet Codrus probet Aristotelē eo vocabulo vsum:& legatur in Strabonis lib.xiiij.aut saltem eius interpretamēto:tamen neque falsum est neque stultum quod Gellius dicit:sed ex hoc probatur non omnia legisse,aut nō omniū meminisse:& per regulā à contrario sensu,cum apud idoneos legatur,recipiendum esse vocabulū.Interpres Quintiliani ait,Nā si Gellio creditur,nemo ex ijs qui latine locuti sunt,vsque ad Augusti ætatem vsus est his nominibus Barbarismo & Solœcismo.Et quia Rhetorices ad Herenniū author in quarto libro vtitur,arguunt aliqui Ciceronis non esse.Cæterū argumentū est satis facile illi qui coætaneos ostendit & Aug.& Ciceronis.Hæc Maserius. Verum ex his liquet Gellium non legisse dictum Ciceronis opus, nec veri simile est, cum tam dicendi artis studiosus fuerit,si nomine Ciceronis tunc habitum fuisset,prætermisisse. Rhetor.ad Herenniū.

Quòd vocabulum latinum Soloecismus fuerit Capitoni Asinio:quid ipsum appellauerint veteres Latini,quibúsq; verbis Solœcismum definierit idē Asinius. CAP. XX.

SOLOECISMVS Latino vocabulo ab Asinio Capitone,eiusdemque ætatis aliis imparilitas appellatus,à vetustioribus Latinis stribligo dicebatur,à versura videlicet & prauitate tortuosæ orationis,tanquam sterobligo quædam. Quod vitium Asinius Capito in literis quas ad Clodium Tuscum dedit,hisce verbis definit:Solœcismus est,inquit,impar & incōueniens compositura partium orationis. Cum græcum autem vocabulum sit solœcismus:an Attici homines,qui elegantius locuti sunt,vsi eo sint,quæri solet.Sed nos neque solœcismum,neque barbarismum apud Græcorum idoneos adhuc inuenimus.nam sicut βάρβαρον,ita σόλοικον dixerunt. Nostri quoque antiquiores solœcum facile,solœcismum haud scio an vnquam dixerint.Quod si ita est,neque in Græco,neque in Latino solœcismus probe dicitur.

Solœcismus. Imparilitas. Stribiligo. Barbarum Solœcon.

ASCEN. Pluria & cōpluria recte dici triplici de causa ostenditur.Prima quòd in ablatiuo pluri nō plure legatur.Secūda,quòd non semper cōparatiuū est:sed multitudinis vocabulum: vt complures ita loquuntur.ex qua occasione diuus Ambrosius dixit pluriora,quod nolim imitari. Plures autem de duobus dici possunt:cōplures non nisi de pluribus,quàm sint duo.Tertia quòd genitiuū semper in ium facit nō in um.Dixi non semper esse cōparatiuum:quia certum est significatione & officio esse interdum comparatiuū licet non voce:& quia vocem cōparatiuorū non habet:non sequitur declinationē. Et si quid definire in hac re audeam,dicam pluria potius dici dum absolutum est:sicut compluria semper est: & plura dum cōparatiuū.non tamen negem cōplura posse dici quanquā licenter:quia nulla ratione defenditur,nisi poetica licentia & imperitorum abusu.Et quia in Plauto legitur cōpluries: & apud Festū Pompeiū Cato dixit,Cōtumelias mihi dixisti cōpluries:nō ausim dicere pluries esse barbarū, tāetsi Valla se id legisse apud idoneū negat:sicut & multoties & nullatenus.Mas.Terent. in Phormione, Multa aduenienti (vt fit)noua hic cōpluria:versus iambicus:in quē locū Donatus ait poetā locutū secūdū regulā.Nam hoc complure dixerunt veteres,& hæc cōpluria,quod nostri dempta syllaba protulerunt.Quin & Cato ait,vana nec loca cōpluria.Credo(ait Donatus)quia veteres dixerūt hoc plure non plus. Inauditiunculas vocat,vt opinor, quas vulgus regulas audiendo acceptas.Non studio ostentandi ferens.i.id dicens aut se efferens.

Pluriora. Cōpluries Pluries.

Pluria qui dicat & compluria & compluries,non barbare dicere,sed latine. CAPVT XXI.

PLVRIA forte quis dixit sermocinans vir adprime doctus, meus amicus,non hercle studio feruens ostentandi,neque quòd plura dicendū non putaret.Est enim doctrina homo seria,& ad vitæ officia deuincta,ac nihil de verbis laborante:sed opinor assidua veterum scriptorū tractatione inoleuerat linguæ illius vox,quam in libris sæpe offenderat.Aderat cum ille hoc dixit,reprehensor audaculus verborum:qui perpauca,eademq; à vulgo protrita legerat: habebátque nonnullas disciplinæ grammaticæ inauditiunculas,partim rudes inchoatásque,partim non probas:eásque quasi puluerem ob oculos,cum adortus quenquā fuerat,aspergebat.sicut tunc amico nostro, Barbare,inquit,dixisti pluria.nam neq; rationem verborum hoc,neque authoritatem habet.Ibi ille amicus ridens,Amabo te,inquit, vir bone,quia nunc mihi à magnis seriisque rebus ocium est,velim doceas nos, cur pluria siue cōpluria (nihil enim differt)non latine,sed barbare dixerint M.Cato, & Q.Claudius,Valer.Antias,L.Lælius,P.Nigidius,M.Varro,quos subscriptores approbatorésq; huius verbi habemus,præter poetarū oratorúmque veterum multam copiam. Ad quæ ille nimis arroganter,Tibi,inquit,habeas authoritates istas,ex Faunorum & Aborigi[illegible] seculo repetitas,atque huic rationi respondeas. Nullum enim vocabulum neutrum cōparatiuum,numero pluratiuo,casu recto,ante extremum a,habet i,literam,sicut me[illegible]

Pluria. Inauditiūculæ. Cōpluria.

ra, maiora, grauiora: proinde igitur plura, non pluria dici consueuit, ne cõtra formã perpetuam in comparatiuo, i, litera sit ante extremum a. Tum ille amicus noster, cum hominem confidentem pluribus verbis non dignum existimaret: Asinii, inquit, Capitonis doctissimi viri epistolæ sunt vno in libro multæ, opinor positæ in templo Pacis. primáque epistola scripta est ad Pacuuium Labeonem, cui titulus præscriptus est, Pluria nõ plura dici debere. In ea epistola rationes grammaticas posuit, per quas docet pluria latinum esse, plura barbarum. Ad Capitonem igitur te dimittimus. ex eo id quoque simul disces, si modo assequi poteris, quod in ea epistola scriptum est, pluria siue plura absolutũ esse siue simplex: non, vt tibi videtur, comparatiuũ. Huius opinionis Asinianæ id quoq; adiumentum est, quòd compluries cum dicimus, non comparatiue dicimus. Ab eo autem, quod est compluria, aduerbium est factum compluries. Id quoque quoniam minus vsitatum est, versum Plauti subscripsi ex Comoedia quæ Persa inscribitur,

Pluria absolutũ esse. Cõpluries

„ Quid metuis? Metuo hercle vero. Sensi ego compluries.

„ Item M. Cato in quarto Originum eodem in loco ter hoc verbũ posuit, Compluries
„ eorum milites mercenarii inter sese multi, alteri alteros occidere. Compluries multi si-
„ mul ad hostes transfugere. Compluries in Imperatorem impetum fecere.

ASCEN. De prouidentia triplici vide Cæliũ cap. xxv. lib. j. Homines fecisse dicitur. Sic omnia exẽplaria quæ quidem videre potui, habent: è quibus mihi nullus sensus eruitur: quocirca opinor sublatũ vocabulum: idque græcum, & ideo à Græcarum literarum imperitis prætermissum: quocirca dum melius restituetur, apponatur vox αὐτοματίαν, qua significatur casus & fortuna: dum aliquid per seipsum sine prouidentia aut certa causa fit. legóque aduersus eam: vt sit, Dicitur scilicet vulgo αὐτοματίαν fecisse homines: quia sup. dicitur, tantam vim, id est abundantiam ærumnarum & malorum esse, vt scilicet certũ sit prouidentiam eos non fecisse quæ tantorum malorum author esse nollet. Cum Chrysippus dissereret aduersus eam scilicet αὐτοματίαν &c. Hæc Mas. Compagem, à nominatiuo compages: nam compago cõpaginis facit. Fragile, id est quod dicitur frangibile. Tota autem huius capitis sententia est catholicis refellenda. Non errant qui opinantur homini in statu innocentiæ bona esse potuisse, immo fuisse: etiamsi nõ fuissent itidem mala, verum bona non fuissent tam apparentia quàm nunc sunt, propter mala. Badio nihil deesse videtur: nam illi ordo est, dicitur homines fecisse, tantam esse vim, id est vt tanta sit vis ærumnarum &c. Aduersus eam scilicet vim.

AVLI GELLII NOCTIVM ATTICARVM COMMENTARIORVM LIBER VI.

Quem in modum responderit Chrysippus aduersus eos qui prouidentiam consistere negauerunt. CAPVT I.

De prouidentia.

HOMINES fecisse dicitur, tantam vim esse ærumnarum & malorum. Aduersus eam Chrysippus, cum in libro περὶ προνοίας quarto dissereret, Nihil est prorsus istis, inquit, insipidius, qui opinãtur bona esse potuisse, si non essent itidem mala. Nam cum bona malis contraria sint, vtraque necessariũ est opposita inter sese, & quasi mutuo aduerso quæque fulta nisu cõsistere: Nullum adeo contrarium esse sine contrario altero. Quo enim pacto iustitiæ sensus esse posset, nisi essent iniuriæ? Aut quid aliud iustitia est, quàm iniustitiæ priuatio? Qui itẽ fortitudo intelligi posset, nisi ex ignauiæ oppositione? Qui continentia, nisi ex intemperantiæ? Quo item modo prudentia esset, nisi foret contrà imprudentia? Proinde, inquit, homines stulti, cur non hoc etiam desiderant, vt veritas sit, & non sit mendacium? Nãq; itidem sunt bona & mala, felicitas & infortunitas, dolor & voluptas. alterum enim ex altero (sicuti Plato ait) verticibus inter se contrariis deligatum est. Si tuleris vnum, abstuleris vtrunque. Idem Chrysippus in eodem libro tractat, considerátque, dignúmque esse id quæri putat, εἰ αἱ τῶν ἀνθρώπων νόσοι κατὰ φύσιν γίνονται. Id est, naturáne ipsa rerũ, vel prouidẽtia, quæ compagem hanc mundi & genus hominum fecit, morbos quoque & debilitates, & ægritudines corporum, quas patiuntur homines, fecerit. Existimat autem nõ fuisse hoc principale naturæ consilium, vt faceret homines morbis obnoxios. Nunq̃ enim hoc conuenisse naturæ authori parentique rerum omnium bonarum. Sed cũ multa, inquit, atq; magna gigneret pareretque aptissima & vtilissima: alia quoq; simul adnata sunt

Cõpagem

incommoda iis ipsis quæ faciebat cohærētia.eaq; non per naturā,sed per sequelas quasdam necessarias facta dicit:quod ipse appellat τὸ κατὰ παρακολούθησιν, Sicut,inquit,cum corpora hominum natura fingeret,ratio subtilior,& vtilitas ipsa operis postulauit,vt tenuissimis minutisque ossiculis caput cōpingeret: Sed hanc vtilitatem rei maioris alia quædam incommoditas extrinsecus consecuta est,vt fieret caput tenuiter munitum, & ictibus offensionibúsque paruis fragile.proinde morbi quoque, & ægritudines partæ sunt, dum salus paritur.Sic hercle,inquit,dum virtus hominibus per consilium naturæ gignitur, vitia itidem per affinitatem contratriam nata sunt. Fragile.

ASCEN. Fatum,quod Græci. huius capitis sensa videntur catholico magis recipienda. Quod autē ad finem dicitur perfugiunt(aut profugiūt)ad fati necessitatem tanquam in aliquod fani asylum:videtur alludere ad illum Zenonis seruum,qui in furto deprehensus cum cæderetur, dicebat ad sui purgationem, fatale fuisse vt furtum committeret:nec se fato parem vt illi resisteret.At Zeno(vt recitat Laertius) argute respondit:Fatale quidem(vt ais)fuit te furto deprehēsum iri:sed etiam fatale fuit te cæsum iri.De fato multa differit diuus Augustinus in lib.v.de Ciuitate dei cap.viij.ix.x.&.xj.vbi de prouidentia tractat, de qua in superiori capite.Asylum accipit pro eo quod nos dicimus immunitatem & libertatem fani.i.templi aut loci sacri:sic dictum quòd non licebat quenquam inde detrahere qui ad ipsum confugerit. Vnde antiqua est fanorū immunitas.Sane,Non sustentanda neque inducēda sunt ipsis &c.sic est in repositione quæ Aldinis typis excusa est.Ego vero mallē veterem lectionem,vt sit subsistenda.i.occulte statuēda, neque condicenda.i.expostulanda:nam condicere est reo diem dicere.Tenuiter.i.subtiliter. Vt ratione quadam principali & coacta &c.sic isti Aldini typi:āt vetus lectio,quā retinui placet,quia sequitur atque cōnexa,vt coacta non sit adiectiuum nominis ratione,sed nominis omnia substantiue positi.

Quo itidem modo & vim necessitatemque fati cōstituerit:& esse tamen in nobis cōsilii iudiciique nostri arbitrium confirmauerit. CAPVT II.

FATVM, quod Græci πεπρωμένην,vel εἱμαρμένην vocāt,ad hanc ferme sententiam Chrysippus Stoicæ princeps philosophiæ definit. Fatum est,inquit,sempiterna quædam & indeclinabilis series rerū,& cathena voluens semetipsa sese,& implicans per æternos consequentiæ ordines, ex quibus apta connexáque est. Ipsa autem verba Chrysippi, quantum valui memoria, adscripsi: vt sicui meum istud interpretamentum videbitur esse obscurius, ad ipsius verba animaduertat.In libro enim περὶ προνοίας quarto,εἱμαρμένην esse dicit φυσικὴν σύνταξιν τῶν ὅλων ἐξ ἀϊδίου τῶν ἑτέρων τοῖς ἑτέροις ἐπακολουθούντων, καὶ *μετὰ πολὺ μὲν οὖν *ἀπαραβάτου οὔσης τῆς τοιαύτης συμπλοκῆς. Aliarū autem opinionum disciplinarúmq; authores huic definitioni ita obstrepunt. Si Chrysippus,inquiūt,fato putat omnia moueri & regi, nec declinari transcēdique posse agmina fati & volumina:peccata quoque hominum & delicta non subsistenda,neque condicenda sunt ipsis voluntatibúsque eorum, sed necessitati cuidam & instantiæ quæ oritur ex fato, omnium quæ sit rerum domina & arbitra, per quam necesse sit fieri quicquid futurum est:& propterea nocentium pœnas legibus inique constitutas,si homines ad maleficia non sponte veniunt, sed fato trahūtur. Contra ea Chrysippus tenuiter multa & argute differit:sed omnium fere,quæ super ea re scripsit, sententia huiuscemodi est. Quanquam ita sit(inquit)vt ratione quadam principali,necessario coacta atque connexa sint fato omnia:ingenia tamen ipsa mētium nostrarum perinde sunt fato obnoxia,vt proprietas eorū est ipsa qualitas. Nam si sunt per naturam primitus salubriter vtilitérque ficta, omnem illam vim quæ de fato extrinsecus ingruit,inoffensius tractabiliúsque trāsmittunt.Si vero sunt aspera & inscita,& rudia, nullisq; artium bonarū adminiculis fulta:etiamsi paruo siue nullo fatalis incōmodi conflictu vrgeātur,sua tamen leuitate & volūtario impetu,in assidua delicta & errores ruūt.idq; ipsū vt ea ratione fiat,naturalis illa & necessaria rerū consequentia efficit,quæ fatum vocatur. Est enim genere ipso quasi fatale & consequens,vt mala ingenia peccatis & erroribus nō vacent.Huius deinde rei exemplo non hercle nimis alienæ neque illepidæ vtitur. Sicut, inquit,lapidem Cylindrum si per spatia terræ prona atque derupta iacias,causam quidē ei & initium præcipitantiæ feceris:mox tamen ille præceps voluitur, nō quia tu id iam facis,sed quoniā ita sese modus eius,& formæ volubilitas habet: Sic ordo & ratio & necessitas fati,generat ipsa,& principia causarum mouet:impetus vero consiliorum, mentiumque nostrarum,actionesque ipsas,voluntas cuiusque propria,& animorum ingenia moderantur.Infert deinde verba hæc iis,quæ dixi,congruentia,

Fatum.

Tenuiter.

Cylindrus

Διὸ καὶ ὑπὸ τῶν Πυθαγορείων οὕτως εἴρηται,
Γνώσει δ' ἀνθρώπους αὐθαίρετα πήμαθ' ἑλόντας. ὡς τῶν βλαβῶν ἑκάστοις παρ' αὐτοῖς γινομένων,

,, καὶ καθ' ὁρμὴν αὐτῶν ἁμαρτανόντων τε καὶ βλαπτομένων, καὶ κατὰ τὴν αὐτῶν διάνοιαν καὶ πρόθεσιν.

Propterea negat oportere ferri audirique homines aut nequam, aut ignauos, & nocentes, & audaces, qui cum in culpa & in maleficio reuicti sunt, perfugiunt ad fati necessitatem tanquam in aliquod fani asylum: & quæ pessime fecerunt, ea non suæ temeritati, sed fato esse attribuenda dicunt. Primus autem Homerus sapientissimus & antiquissimus poetarum dixit in hisce versibus,

,, ὢ πόποι, οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται·
,, ἐξ ἡμέων γάρ φασι κάκ' ἔμμεναι, οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον, ἄλγε' ἔχουσιν.

,, Itaque M. Cic. in lib. quem de fato conscripsit, cum quæstionem istam diceret obscu-
,, rissimam esse & implicatissimam, Chrysippum quoque philosophum non expedisse se
,, in ea refert his verbis, Chrysippus æstuans laboransque quonam pacto explicet, & fato
,, omnia fieri, & esse aliquid in nobis, intricatur hoc modo.

ASCEN. Bagrada in Africa est flumen. Catapultæ sunt iacula, quæ neruo extorqueri solent.

Historia sumpta ex libris Tuberonis de Serpente inusitatæ longitudinis. CA. III.

Bagrada. Serpēs immanis.

TVBERO in historiis scriptum reliquit, bello primo Punico Attilium Regulum cos. in Africa castris apud Bagradam flumen positis, prælium grande atque acre fecisse aduersus vnum serpentem in illis locis stabulantem inusitatæ immanitatis: cúmque magna totius exercitus conflictatione ballistis atque catapultis diu oppugnatum: eiúsque interfecti longum corium pedes centum & xx Romam misisse.

ASCEN. De Reguli cruciatu vide Val. Max. lib. j. de seruata religione, & Commentarios in eundem locum. Citatur enim oratio Ciceronis in Pisonem, in qua scribitur, Nec mihi ille Marcus Attilius Regulus quem Carthaginenses resectis palpebris illigatū in machina necauerunt vigilando, supplicio videtur affectus. Hic vero additur ei fuisse venenum à Carthaginensibus datum, quo tempore Romam ad Senatum pro captiuorum permutatione Legatum misere &c. Regulū captum. insidijs s. f. Hasdrubalis & Xātippi Lacedæmonij ducis, postquam multas de eis victorias retulerat. Ne captiui &c. Missus enim erat vt multi Carthaginenses nobiles, fortes, & iuuenes, cum vno sene Regulo scilicet permutarētur, iuratus reuerti si permutatio nulla fieret, quod & fecit. Grassante. i. sæuiente, vim suam exercēte. Sensim. i. paulatim: tabesceret, tabe absumeretur. Exemplorum modis. Exempla sunt grauissima supplicia quæ aliis in exēpla .i. ad terrorem cedunt. Vide Eunuchū Terentij. Cōniuere est ictu subito oculos claudere & aperire, quod qui faciunt non bene nec omnia vident, vnde transumitur ad dissimulare, & fingere se non vidisse quæ viderit. In armario. i. ferro munita machina. sunt qui dolium fuisse credant: sed dubitem an tunc doliorum ligneorum fuerit vsus. Murex varia significat, nam est piscis, conchylium, purpura, hærba in vmbris nata, acumen saxi acuti, vt AEneid. v. Acuto in murice remi Obnixi crepuere. Est etiam triangulus ferreus qui spargi solet per insidias ante equitatum hostilem. hic pro clauis incuruis & acutis in morem hamorū accipitur. Destitutos. à spe veniæ & subsidij: & ita morti certæ addictos. Insomnia, id est carentia violenta somni. Est enim fœminini hic generis. Interisse. sic legā nō interijsse, ne sit cauda heroica in prosa. Addit Mas. Videatur D. Augustinus lib. j. cap. xv. de ciui. dei. vbi M. Attilij Reguli mortem prolixe exponit: & interpres citans hunc locum & Vale. Max. & Tul. Ciceronem. Plutarch. in vita P. AEmilij ait Persen Macedona secundum quosdam insomnia interijsse. sic pono, inquit Mas. insomnia in Horamate nostro: Cupressumque parans aspectu insomnia toruo.

Exēplum. Cōniuere. Murex.

Quid idem Tubero in historiis de Attilio Regulo à Carthaginensibus capto literis mandauerit. Quid etiam Tuditanus super eodem Regulo scripserit. CAP. IIII.

Attilius Regulus.

QVod satis celebre de ATTILIO REGVLO, id nuperrime legimus scriptū in Tuditani libris, Regulū captum ad ea, quæ in Senatu Romæ dixit suadens ne captiui cum Carthaginensibus permutarentur, id quoque addidisse, venenum sibi Carthaginenses dedisse, non præsentaneū, sed eiusmodi, quod mortem in diem proferret: eo consilio, vt viueret quidem tantisper, quoad fieret permutatio: post autem grassante sensim veneno cor tabesceret. Eundem REGVLVM Tubero in historiis rediisse Carthaginem, nouisque exemplorum modis excruciatum à Pœnis dicit. In atras, inquit, & profundas tenebras eum claudebant: ac diu post, vbi erat visus sol ardentissimus, repente educebāt, & aduersus ictus solis oppositum continebant: atque intendere in cælum oculos cogebant: palpebras quoque eius, ne conniuere posset, sursum ac deorsum diductas insuebāt. Tuditanus autem somno diu prohibitum, atque ita vita priuatum refert. Idque vbi Romæ cognitum est, nobilissimos Pœnorū captiuos liberis Reguli à Senatu deditos, & ab iis in armario muricibus præfixo destitutos, eadémque insomnia cruciatos interisse.

Reguli cruciatus.

Purum. Putum.

ASCEN. Purū est cui nihil immūdi admixtū: putū cui nihil superflui aut minus boni. itaq; argētū purū interdū est cui nihil inest quod nō sit argētū: interdū cui nihil adest quod pluris sit q̄ argētū, vt sūt lapilli &

incrustatio aurea. Vnde Iuuenal. Pauca licet portes argẽti vascula puti. Putum autẽ à quo licet sit argẽtũ, minus bonũ tamen est resectũ: Vnde Nonius Marcellus à putãdo quoque deducit. sed hoc mirifice addit: quòd puto verbum cum sit opinor, ex eo dictum putat, quòd qui putat, nõ statim acquiescit, sed quædam putat. i. resecat quæ in contrariũ faciant, priusquàm cõsentiat. Et si putus vt Gel. sentit priorẽ corripit, male legit Calepinus apud Iuuenalem puti. Prouerbij Bis pueri &c. meminit Erasmus in Adagijs.

Quòd Alphenus Iurisconsultus in verbis veteribus interpretãdis errauit. CAP. V.

A Lphenus Iurisconsultus, Ser. Sulpitii discipulus, rerúmq; antiquarum non incuriosus, in lib. Digestorum * XXXIIII, Conlectaneorum autem secũdo, In fœdere (inquit) quod inter populum Romanũ & Carthaginẽses factum & scriptũ inuenitur, Vt Carthaginenses quotquot annis pop. Ro. darent certũ pondus argenti puri puti: quæsitũq; est quid esset argentũ purum putum: respondi ego, inquit, esse purum putum valde purum. sicut nouum nouitiũ dicimus, & proprium propitium: augere atque intendere volentes noui & proprii significationem. Hoc vbi legimus, mirabamur eandem affinitatem visam esse Alpheno puri & puti, quæ sit noui & nouitii. Nam si esset puritium, tum sane videretur dici quasi nouitium. Id etiam mirum fuit, quòd nouitium per augendi figuram dictum existimauit, cum sit nouitium non quod magis nouum sit, sed quod à nouo dictum inclinatúmque sit. Iis ergo assentimus, qui PVTVM esse dicunt à putãdo dictũ, & ob eam causam prima syllaba breui pronunciant, non longa: vti existimasse Alphenus videtur, qui à puro id esse factum scripsit. PVTARE autẽ veteres dixerũt, vacantia ex quaque re, ac nõ necessaria aut etiã obstantia, & aliena auferre & excidere: & quod esset vtile, ac sine vitio videretur, relinquere. Sic nãq; arbores, & vites, & sic etiã rationes dictæ putari. Verbũ quoque ipsum Puto, quod declarandæ sentẽtiæ nostræ causa dicimus, non signat profecto aliud, quàm id agere nos in re dubia obscuráque, vt decisis amputatisque falsis opinionibus, quod videatur esse verum, & integrum, & incorruptum, retineamus. Argentum ergo in Carthaginensi fœdere putum dictum esse, quasi exputatum excoctúmque, omnique aliena materia carens: omnibusque ex eo vitiis detractis emaculatum & candefactum. Scriptũ est autem purum putum non in Carthaginensi solum fœdere, sed cum in multis aliis veterum libris, tum etiam in Q. quoque Ennii tragœdia, quæ inscribitur Alexander: & in Satyra M. Varronis, quæ inscripta est, δὶς παῖδες οἱ γέροντες.

Alphenus Budæus legit XXX

Purũ putũ argẽtum. Nouum. Nouitiũ.

Putum.

Putare.

Puto.

ASCEN. Dædalus &c. in sexto est AEneid. Præpes non solũ auis dicitur quæ opportune in augurijs præuolat, & præ cæteris locum petit: sed quicquid fauste & feliciter quasi præpete aue præuisa petit, vt præpetes pennæ: aut petitur, vt præpes portus. Præpetibus hilares. Notandum, cum antiquis s absumatur etiã sequente consonante, in hoc Enniano non absumi sequẽte vocali. sed dupliciter purgatur, & quòd h interdum vim literæ habet: vt Littus hyla, hyla omne sonaret: in priore hyla: & quod que particula potest apposita videri, vt Præpetibúsque hilares sese pulchrisque &c. Sed & sine purgatione potest dici licenter produxisse: sicut ad eius forte imitationem Virg. AEneid. iiij. Pectoribus inhians &c. Adolescens si secunda corripitur per o scribitur: sin producitur, per u, vt iucundus.

Præpes.

Temere ineptéque reprehensum esse à Iulio Higino Virgilium, quòd præpetes Dædali pennas dixit: atque ibi quid sint aues præpetes: Et quid illæ sint aues, quas Nigidius inferas appellauit. CAPVT VI.

D

AEdalus (vt fama est) fugiens Minoia regna, "
Præpetibus pennis ausus se credere cœlo "
Insuetum per iter gelidas enauit ad arctos. "

In his Virgilii versibus reprehendit Higinus præpetibus pennis, quasi improprie & inscite dictum. Nam præpetes, inquit, aues ab auguribus appellantur quæ aut opportune præuolant, aut idoneas sedes capiũt. Nõ apte igitur vsum verbo augurali existimauit in Dædali volatu nihil ad augurum disciplinam pertinente. Sed Higinus nimis hercle ineptus est, cum quid præpetes essent se scire ratus est: Virgilium autem, & Trimatium doctum virum ignorasse, qui in secundo Iliadis victoriã volucrem præpetem appellauit in hoc versu,

Præpetes

Dum dat vincenti præpes victoria palmam. Quid?

Cur autem non Q. quoque Ennium reprehendit? qui in Annalibus, non vt Virgilius pennas Dædali præpetes, sed longe diuersius inquit, "

Brundusium pulchro præcinctum præpete portu. "

Et si vim potius naturámque verbi considerasset, neque id solum quod Augures dicerent, inspexisset: veniam prorsus poetis daret similitudine ac translatione verborum nō significatione vtentibus. Nam quoniam non ipsæ tantum aues quæ prosperius præuolant, sed etiā LOCI quos capiunt, quòd idonei felicésque sunt, PRAEPETES appellantur: iccirco Dædali pennas præpetes dixit, quoniam ex locis, in quibus periculum metuebat, in loca tutiora peruenerat. Locos porro præpetes & Augures appellāt. Et Ennius in Analium primo dixit,

Præpetes loci.

" Præpetibus hilares sese, pulchrisque locis dant.

Inferæ aues.

Auibus autem præpetibus contrarias AVES INFERAS appellari Nigidius Figulus in libro primo Augurii priuati, ita dicit, Discrepat dextra sinistræ, præpes inferæ. Ex quo est coniectare præpetes appellatas, quæ altius sublimiúsque volitent: cum differre à præpetibus Nigidius inferas dixerit. Adolescens ego Romæ, tum cum etiam ad grammaticos itarem, audiui Apollinarem Sulpitium, quem in primis sectabar, cum de iure Augurio quæreretur, & mentio præpetum auium facta esset, è L. Claro Præfecto vrbis dicere, præpetes sibi videri esse alites, quas Homerus τανυπτέρυγας appellauerit. quoniam istas potissimum Augures spectarent, quæ ingentibus alis patulæ atque porrectæ præuolarēt. Atque ibi hos Homeri versus dixit,

τύνη δ' οἰωνοῖσι τανυπτερύγεσσι κελεύεις
πείθεσθαι, τῶν οὔ τι μεταστρέπομαι, οὐδ' ἀλεγίζω.

Testabilis. Flora. Florētia.

ASCEN. Accæ Larentiæ &c. Ex hoc capite patet etiam mulieribus prænomina data. Testabilis. i. testari seu testamentum condere potēs. Vnde in bilis non omnia passiue significant: nec aptitudinem patiendi. A fratribus arualibus sunt qui sacra ambarualia fieri dicunt, de quibus Maro, Térque nouas circum felix eat hostia fruges. Vide Macrobium. j. Satur. Flora apud Romanos meretrix nobilissima, vt Acca Larentia. Vide Plutar. in Pompeij Magni vita: apud quem male legitur Laurentia, si Gellio & Macrobio creditur. De Larentia autem hoc scriptis traditur, quòd Anco regnāte æditiuus Herculis ociās per ferias deū tesseris prouocauit, victúsque cœnā & scortū obtulit Accam Larentiā: quæ inde nupsit Carutio: à quo hæres relicta, inde moriēs Pop. Romanū hæredē instituit. insculpta ideo in Velabro loco Vrbis celeberrimo, & sacrificiū institutū. Cato vero ait Accam Larentiā quæstu meretricio locupletatā reliquisse pop. Rom. agrū turacē, semuriū, linceriū, & soliniū. Inde facta à Rom. Larentalia. De quibus Macrob. j. Satur. Macer ait fuisse Faustuli vxorem, Remi & Romuli nutricem. Ab arualibus deducūt ambarualia, quæ sunt distincta sacra ab ijs sacris quæ vocāt amburbialia. Nam aut aruum aut vrbs hostia circundabatur: cuius rei Maro meminit: vt est notatū. Fieri autē solebāt aut de porca plena aut fœcunda. Ambarualia Cato signat quū præcipit quid facere debeas si agrū lustraueris, vbi solitaurilia circūagi solita docet, & porca lustrandū & expiandum: cuius hæc sunt verba ad deum: vti viduertatem, vastitudinémque & calamitates & intēperias prohibessis, defendas, auerrunces. Macrob. iij. Satur. ait ex Festo Pōp. Ambarualis hostia est quæ rei diuinæ causa circum arua ducitur ab ijs qui pro frugibus faciunt: cuius quidem sacrificij meminit Verg. in Buc. Hæc tibi semper erunt, & cum solennia vota Reddemus nymphis: & cum lustrabimus agros &c.

Ambarualia.

De Acca Larentia, & Caia Tarratia: deq; origine sacerdotii fratrum Arualium.

CAPVT VII.

Acca Larētia. C. Tarratia. Horatia l. Testabilis. Intestabilis.

ACCAE LARENTIAE, & CAIAE Tarratiæ, siue illa Suffetia est, nomina in antiquis Annalibus celebria sunt. Earū alteræ post mortē, Tarratiæ autem viuæ amplissimi honores à pop. Ro. habiti. Et TARRATIAM quidē virginem Vestæ fuisse lex HORATIA testis est, quæ super ea ad populū lata: qua lege ei plurimi honores fiunt. Inter quos ius quoq; testimonii dicēdi tribuitur, testabilisque vna omnium fœminarum vt sit, datur. Id verbū est ipsius legis Horatiæ. Contrarium est in XII tabulis scriptū, Improbus, intestabilisque esto. Præterea si quadraginta annos nata, sacerdotio abire ac nubere voluisset, ius ei potestásq; exaugurandi, atq; nubendi facta est, munificentiæ & beneficii gratia, q campum Tiberinū, siue Martiū Pop. Ro. cōdonasset. Sed ACCA LARENTIA corpus in vulgus dabat, pecuniámq; emeruerat ex eo quæstu vberem. ea testamēto, vt in Antiatis historia scriptū est, Romulū Regē, vt quidam alii tradiderūt, Pop. Rom. bonis suis hæredē fecit. Ob id meritū à Flamine Quirinali sacrificiū ei publice fit, & dies è nomine eius in fastos additus. Sed Sabinus Massurius in primo memorabilium, secutus quosdam historiæ scriptores, Accam Larentiā Romuli nutricem fuisse dicit. Ea, inquit, mulier ex XII filiis maribus vnū morte amisit. In illius locū Romulus Accæ Larentiæ sese filium dedit. seq; & cæteros eius filios, fratres Aruales appellauit. Ex eo tempore collegium mansit fratrum ARVALIVM numero XII: cuius sacerdotii insigne est spicea corona, & albæ infulæ.

Romuli nutrix. Aruales fratres.

ASCEN. Quanquam de Scipionis continentia Vale. Maxi. non ambigit, dicitque virginem integram suis restituisse, & eo facto gratiam magnam sibi conciliasse, tamen si de vno facto quæstio est, castius videtur fecisse Alexander, qui ne videre quidem voluit forsan fragilitatis suæ memor, quàm Scipio qui visam restituit continentiæ suæ confisus: quocirca licet continentior forsan fuerit Scipio, fortius tamen ad continentiæ seruationem egit Macedo. De Scipionis continentia vide Vale. Maxi.

De Alexandro, & de P. Scipione memoratu digna. CAP. VIII.

APpion Græcus homo, qui πολυίστωρ est appellatus, facili atque alacri facundia fuit. Is cum de Alexādri Regis laudibus scriberet, Victi, inquit, hostis vxorem facie inclyta mulierem vetuit in conspectum suum duci, vt eam ne oculis suis quidem contingeret. Lepida igitur quæstio agitari potest, vtrum videri continentiorem par sit, P. ne Africanum superiorem, qui Carthagine ampla ciuitate in Hispania expugnata, virginem tempestiuam, forma egregia, nobilis viri Hispani filiam captam perductámque ad se patri inuiolatam reddidit: an Regem Alexandrum, qui Darii Regis vxorem eandem eiusdemque sororem prælio magno captam, quam esse audiebat exuperanti forma, videre noluit, perduciq; ad sese prohibuit. Sed hanc vtranque declamatiunculam super Alexandro & Scipione celebrauerint, quibus abunde & ingenii, & ocii, & verborum est. Nos satis habebimus, quod ex historia est, id dicere: Scipionem istum, vero ne an falso, incertum, fama tamen, cum esset adolescens, haud syncera fuisse, & propemodum constitisse hosce versus à Cn. Næuio poeta in eum scriptos esse,

Appion. Alexāder. P. Scipio, Africanus cōtinētes.

Scipio notatur impudicitiæ. Antias Scipionis famā eleuat.

Etiam qui res magnas manu sæpe gessit gloriose,
Cuius facta viua nunc vigent, qui apud gentes solus
Præstat, eum suus pater cum pallio vno ab amica abduxit.

His ego versibus credo adductū Valerium Antiatem aduersus cæteros omnes scriptores de Scipionis moribus sensisse, & eā puellā captiuā non redditā patri scripsisse, contra q̄ nos supra diximus, sed retentā à Scipione, atque in deliciis amoribusq; ab eo vsurpatā.

ASCEN. In tertio annali. Igitur singulari non caret. Est autem masculini gen. quia subauditur liber. Potest etiam dici annali scriptum pro annalium. Apparebat, id est apparitor. i. satelles aut viator erat, quē seruientem vulgus appellat. Scriptum faciebat, id est scribendo, vt quos notarios vocamus, victum lucrabatur. Scripto. i. offic. notariatus sese abdicasse. Vtique. i. vtque, hoc est, & vt. Sese qui sellam posuit. Est igitur bona reprocicatio, quia ad principale verbum reflectitur. Ex hoc autē facto videre licet quàm sint impotentes qui humiles sublimantur. Ii contemnentes pro eorum contemnentium eum.

Locus exemptus ex Annalibus L. Pisonis, historiæ & orationis lepidissimæ. CAPVT IX.

QVòd res videbatur memoratu digna, quam fecisse CN. FLAVIVM Annii filium Aedilem Curulem L. Piso in III Annali scripsit, eaq; res perquā pure & venuste narrata à Pisone, locum istum totum ex Pisonis Annali composuimus. Cn. inquit, Flauius patre libertino natus scriptum faciebat, isque in eo tempore Aedili Curuli apparebat quo tempore Aediles subrogantur. Eumque primæ tribus Aedilem Curulem renunciauerunt. At Aedilis, qui comitia habebat, negat accipere: neq; sibi placere, qui scriptum faceret, eum Aedilē fieri. Cn. Flauius Annii filius dicitur tabulas posuisse, scripto sese abdicasse. Isq; Aedilis Curulis factus est. Idem Cn. Flauius Annii filius dicitur ad collegam venisse visere ægrotum, & in conclaue postquam introiuit, adolescentes ibi complures nobiles sedebant. Ii contemnentes eum, assurgere ei nemo voluit. Cn. Flauius Annii filius Aedilis id arrisit. Sellam Curulem iussit sibi afferri. Eam in limine apposuit, ne quis illorum exire posset: vtique ii omnes inuiti viderent sese in sella Curuli sedentem.

Cn. Flauius scriptū faciēs.

Sellæ curulis in limine positio.

ASCEN. Prudēter (inquit Maser.) sane Taurus ita iuuenum animos excitās. Sed D. Hieronymus nō minus prudēs, vt ex prologo in Bibl. ad Paulinum liquere potest: vbi dicit Platonem philosophorū deum (vt dicunt) cum literas quasi toto orbe fugientes persequeretur, captum à piratis, venundatum etiam Tyranno paruisse. ductum captiuum, vinctū & seruum: tamen quia philosophum, maiorem emente se fuisse. (Alii tamen legunt, maiore mente fuisse). Idem vt Gallos & Hispanos scientiarum amantissimos aperte ostenderet, addit, Ad T. Liuium eloquentiæ fonte lacteo manantem de vltimis Galliarum Hispaniæque

finibus quosdam nobiles venisse legimus:& quos ad sui contemp lationem Roma non traxerat, vnius hominis fama perduxit.Omitto Apollonium seu magum,seu mauis philosophum &c. D.ille Hieronymus nocturnum habuit præceptorem Barabanum. qui timens Iudæos exhibebat & subrogabat Nicodemum. Expergebat.i.excitabat.videtur actiuum,cuius passiuum(licet verius sit deponēs)est expergiscor in significādo.vnde eodem modo fit illi præteritum ac si à vero passiuo,quod esset expergor,fieret.Ordo est:expergebat ista re animos iuuenum,quam dicebat Euclidem Socraticum factitauisse:de qua vide Crinitum lib.vj.cap.vj.Capitalis.in pœnam capitis.Tunica longa muliebri , duo epitheta sine coniunctione , sed id quibusdā quantitatis admittitur:vnde bene dixeris, multa bona opera,& multa & bona opera.Pallio versicolore.id nouum videtur in muliebri vestitu præsertim in pallio:nam interior tunica superne & inferne sæpe discolor est.Caput & ora velatus.Ergo synecdoche non est tantopere,vt Valla censet vitanda. Nūc videre est &c.qui malus mos hodie perdurat.Vt vero idem recitat Crinitus lib.vij.cap.vltimo interrogāti Dionysio,Cur philosophi ac cæteri eruditi diuitum ædes accederent,eorumque limina tererent : Diuites autem minime eruditorum ædes ac limina:festiue respondit Cyrenaicus Aristippus,quoniam philosophi probe intelligunt quæ desint diuitibus,& quibus maxime egeant:diuites autem hoc nesciunt.

Expergo. Nota epitheta. Synedoche.

Historia super Euclide Socratico,cuius exemplo Taurus philosophus adhortari adolescentes suos solitus est,ad philosophiam gnauiter sectandam. CAP. X.

Philosophus Taurus vir memoria nostra in disciplina Platonica celebratus, cum aliis bonis multis, salubribusque exemplis hortabatur ad philosophiam capessendam : tum vel maxime ista re animos iuuenum expergebat, EVCLIDEM quam dicebat Socraticū factitauisse. Decreto,inquit,suo Athenienses cauerant, vt qui Megaris ciuis esset , si intulisse Athenas pedem prehensus esset,vt ea res ei homini capitalis esset. Tanto Athenienses (inquit) odio flagrabant finitimorum hominum Megarensium. Tum Euclides qui indidem Megaris erat,quique etiam ante id decretum & esse Athenis,& audire Socratem cōsueuerat: postquam id decretum sanxerunt , sub noctem prius quam aduesperasceret,tunica longa muliebri indutus,& pallio versicolore amictus , & caput & ora velatus , è domo sua Megaris Athenas ad Socratem commeabat , vt vel noctis aliquo tempore consiliorum sermonumque eius fieret particeps . Rursusque sub lucem milia passuum paulo amplius viginti eadem veste illa tectus redibat. At nunc,inquit,videre est philosophos vltro currere vt doceant, ad fores iuuenum diuitum : eosque ibi sedere atque operiri prope ad meridiem,donec discipuli nocturnum omne vinum edormiant.

Expergo excito. Athenien-siū in Megarē.odiū. Euclidis exemplū. Philosophorū obsequia. Velito.

ASCEN. Velitandum,leuiter certandum:Velites enim sunt leuis armaturæ milites præliorum proludia obeuntes. Hanc sententiam sic explicat notus libellus,Contra verbosos noli contendere verbis. Et Sapiens,Cum stulto ne multum loqueris.& alibi sæpe. Vnde Ouidius, Cui cum victus erit mecum certasse feretur.Et ideo Mart. Nos ab hac scabie continemus vngues.Neque inimicum respicio.legam potius respuo.vt sit,neque si amicus esse velit, eum recipiam:neque si inimicus,respuam:quia tam cupio eum habere inimicum quàm amicum , hoc est nihili eum facio.Respicio autem est verbum miserantis. Meo autem iudicio redundat verbum respicio & respuo.Satis enim est si dixerit , quem ego mihi neque amicum recipio neque inimicum ,hoc est penitus contemno.

Verba ex oratione Q. Metelli Numidici, quæ libuit meminisse ad officium grauitatis dignitatisque vitæ decentia. CAPVT XI.

Cum inquinatissimis hominibus non esse conuicio decertandum , neq; in maledictis aduersus impudentes & improbos velitandum,quia tantisper similis & compar eorum fias,dum paria & consimilia dicas atque audias:non minus ex oratione Q. Metelli Numidici sapientis viri cognosci potest,quàm ex libris & disciplinis philosophorum. Verba hæc sunt Metelli aduersus Caium Manilium Trib . pleb . à quo apud populum in concione lacessitus iactatusque fuerat dictis petulantibus , Nunc quod ad illum attinet Quirites, quoniam se ampliorem putat esse , si se mihi inimicum dictitauerit , quem ego mihi neque amicum recipio,neque inimicum : in eum ego nō sum plura dicturus. nam eum indignissimum arbitror,cui à viris bonis bene dicatur:tum ne idoneum quidē , cui à probis male dicatur. nam si in eo tempore huiuscemodi homonculum nomines,in quo punire non possis,maiore honore quàm contumelia afficias.

Velitādū. Metelli in Manilium verba.

ASCEN. Sacellum est paruum sacrum,à quo per diminutionem dicitur: vulgus capellam vocat , cū capella sit parua capra:capellanum qui sit sacellarius.Maiora autem fana sine diminutione sacra dicuntur.Persius,Ad sacra vatum carmen affero nostrum.Quod igitur de testamento disserit Valla, hinc sumpsit licet dissimulet.

Quod neque Testamentum, ficuti Seruius Sulpitius existimauit: neque Sacellum, fi-
cuti Trebatius duplicia verba funt: fed à teftatione productum alterum, alterum à facro
diminutum. CAPVT XII.

S

Eruius Sulpitius Iureconfultus, vir ætatis fuæ doctiffimus, in libro de Te Ser. Sul. er
ftamentis fecundo, qua ratione adductus TESTAMENTVM verbum effe ratum.
duplex fcripferit, non reperio. nã compofitum effe dixit à mentis conte- Teftamen
ftatione. Quid igitur calciamentum? quid paludamentum? quid pauimé- tum.
tum? quid veftimentum? quid alia mille per huiufcemodi formam pro-
ducta? Etiámne ifta omnia compofita dicemus? Obrepfiffe autem videtur Seruio, vel fi
quis alius eft, qui id prior dixit, falfa quidem, fed non abhorrens, neque inconcinna,
quafi mentis quædam in hoc vocabulo fignificatio: ficut hercle C. quoque Trebatio ea- C. Treb.
dem concinnitas obrepfit. nam in libro de Religionibus fecundo, SACELLVM eft, in- erratum.
quit, locus paruus deo facratus cũ ara. Deinde addit verba hæc, Sacellum ex duobus ver- Sacellum.
bis arbitror compofitum, facri, & cellæ, quafi facra cella. Hoc quidem fcripfit Trebatius.
Sed quis ignorat Sacellum & fimplex verbum effe, & non ex facro & cella compofitum,
fed ex facro diminutum?

ASCEN. Sympofiacæ quæftiones à nobis conuiuales dici poffunt: quæ enim Græci fympofia .i. cõ
potationes, nos honeftiore vocabulo conuiuia appellamus, quafi non compotandi fed conuiuendi ratione
coeamus eam fodalitatem. Afymboli, qui nihil fymboli afferunt. Moriens fi quæratur quando moritur, di
cam dum dici poteft moriens, id eft dum vires eius diminuũtur & ad mortem tendit: fi quando mortuus
eft, dicam ab vltimo inftanti vitæ: ne enim fimul fint mors & vita, datur vltimum inftans vitæ, & primum
mortis: fic vltimum fedentis & primum ftantis aut contra: & ita in fimilibus. Addidit Mafe. ad voculam Symbolæ.
afymboli, & deinde ad alias. Symbolæ dicuntur plagæ, quibus feruilia infcribuntur corpora à multis, per-
inde ac in conuiuijs collectitijs .i. fymbolis quæ dicuntur comeffalia & conferta, quòd quifque nũmos con
fert ne fit exors & afymbolus, nifi malis verbum inflectere, quia βολὴ fignat percuffionem, vt fint mul-
tiiuges & multifariæ plagæ. Symbolus autem eft annulus: alij in neutro genere fymbolum flectunt: folet- Symbolũ.
que dari pro arra collationis, Scotum vocant Galli. Terent. Symbolum dedit, cœnauit, gaudebã. Vel acci-
pias pro particula dari folita à cœnaturo fiue fit aurum, fiue fit argentum, vel annulus eorum loco. In de-
cretis dift. xliiij. fic legitur, Non oportet clericos ex fymbolis quæ vulgus comeffalia appellat, celebrare
conuiuia. Argiui vocant [illegible]hon fymbolem conuiuio illatam, particulam vero æfan. Sunt & fymbola figna
& indicia quæ dux dat militi. Symbola dicunt infuper verborum etymologias, per quas vis verbi vel no-
minis ex interpretatione cognofcitur: alii appellant fimilitudines. vt teftudo eft filentii fymbolũ & fecreti,
Draco fub Palladis fimulacro, fymbolum peruigilis curæ ad virginitatem feruandam. ferpens mordicus
caudã apprehendens dentibus, anni fymbolum. colũba ingratitudinis (fi ita dicatur) gratitudinis pelargus,
pietatis ciconia. Iuppiter in creta infculptus inauritus, fymbolum principis non credentis facile, cornix cõ
cordiæ. Placet quod Petronius dictum refert appponere: Ciconia (ait) etiam grata, peregrino hofpita, Pie
taticultrix, gracilipes, choraliftria. Cupedulas legit Calepinus: nos cupedias, cibos lautiores. Hinc cupe
dinarios dicimus qui efculenta venditant & poculenta. Enthymema eft ratiocinatio imperfecta feu fyl Enthyme
logifmus imperfectus, vt omne animal eft fubftantia, atqui omnis homo eft animal. Iuuenalis, Aut curtum ma.
fermone rotato Torqueat ἐνθύμημα. Ludicra fubtilitas, leuis & iocularis. Verg. Neque enim leuia aut lu-
dicra petuntur Præmia .i. luforia. Hinc ars ludrica, fcænica & hiftrionica.

De quæftiunculis apud Taurum philofophum in conuiuio agitatis, quæ Sympo-
fiacæ vocantur. CAPVT XIII.

F

Actitatum, obferuatumq; hoc Athenis eft ab iis, qui erant philofopho
Tauro iunctiores, cum domum fuam nos vocaret, ne omnino (vt dici-
tur) immunes, & afymboli veniremus. coniectabamus ad cœnulam
non cupedias ciborum, fed argutias quæftionum. Vnufquifque igitur
noftrum commentus paratusque ibat, quod quæreret: eratque initium
loquendi, eundique finis. Quærebantur autẽ nec grauia, nec verẽda: fed ἐνθυμήματα quæ-
dam lepida, & minuta, & florentem vino animum laceffentia. Quale hoc ferme eft fub-
tilitatis ludicræ quod dicam. Quæfitum eft quando moriens moreretur: an cum iam in Moriens
morte effet, an tum etiam cum in vita foret. Et quando furgens furgeret: an cum iam quando
ftaret, an tum etiam cum federet. Et qui artem difceret, quando artifex fieret: an cum iam moritur.
effet, an tũ cũ etiam non effet. Vtrũ enim horũ dicas, abfurde atque ridicule dixeris: mul-
toque abfurdius videbitur, fi aut vtrumq; effe dicas, aut neutrum. Sed ea omnia cum ca-
ptiones effe quidam futiles & inanes dicerent, Nolite, inquit Taurus, hæc quafi nugarũ
aliquem ludum afpernari. Grauiffimi philofophorum fuper hac re ferio quæfierũt, & alii
moriendi verbum atque momentum, manente adhuc vita dici atq; fieri putauerũt: Alii
nihil in eo tempore vitæ reliquerũt: totũq; illud, quod mori dicitur, morti vindicauerũt.

Item de cæteris similibus in diuersa tempora, & in contrarias sententias discesserunt. Sed Plato, inquit, noster, neque vitæ id tempus, neque morti dedit. idemque in omni consimilium rerum disceptatione fecit. vidit quippe vtrumque esse pugnans, neque posse ex duobus contrariis, altero manente, alterū constitui, quæstionéque fieri per diuersorum inter se finiū, mortis & vitæ cohærentiā: & iccirco peperit ipse, expressitque aliud quoddā nouū in confinio tempus, quod verbis propriis atque integris τὴν ἐξαίφνης φύσιν appellauit. idque ipsum ita vti dico, inquit, in libro, cui Παρμενίδης titulus est, scriptum ab eo repe- „ rietis, τὸ γὰρ ἐξαίφνης τοιοῦτόν τι ἔοικε σημαίνειν, ὡς ἐξ ἐκείνου μεταβάλλον εἰς ἕτερον. Talia apud „ Taurū symbola, & alia, quæ erāt secūdarum mēsarū, vt ipse dicere solitus erat, τραγήματα.

ASCEN. Huiusmodi pœnarum rationes possent sic colligi: vt omnis pœna tendat aut ad bonū offendentis: vt fit in admonitione amicorum & castigatione parentum, antistitum, & præceptorum: aut ad bonum offensi, dum dignitas illi restituitur, vt in ea quam dicunt emendam honorabilem: aut ad bonū spectantium, vt in exemplis. dum enim fur suspenditur, neque qui læsit bonū acquirit, nisi quod nō amplius peccet: neque qui læsus est, quia raro illi quicquam restituitur: sed qui vident à maleficio & furto deterrentur. Cuius exemplo non integra mihi videtur lectio, nisi legatur aut exemplum & metu, aut exemplo & metum: hoc ordine & significato: Aut id non est peccatum, cuius exemplum, id est vltionem quæ in exemplum cedat, sanciendum est necessario metu: aut metu cuius metum sanciendum est necessario: exemplo, id est per exemplum. In medium relinquo, dicerem in medio: aut relego seu repono.

Puniendis peccatis tres esse rationes à philosophis attributas, & quamobrem Plato duarum tantum ex eis meminerit. CAPVT XIIII.

Puniendi causæ tres

PVNIENDIS peccatis treis esse debere causas existimatum est. Vna est, quæ νουθεσία vel κόλασις, vel παραίνεσις dicitur: cum pœna adhibetur castigandi atque emendandi gratia, vt is, qui fortuito deliquit, attentior fiat correctiorq;. Altera est, quā ii, qui vocabula ista curiosius diuiserunt, τιμωρίαν appellant. Ea causa animaduertendi est, cum dignitas authoritasque eius in quem est peccatum, tuenda est, ne prætermissa animaduersio contemptum eius pariat, & honorem leuet. Iccircoque id ei vocabulum à conseruatione honoris factum putant. Tertia ratio vindictæ est, quæ παράδειγμα à Græcis nominatur: cum punitio propter exemplum necessaria, vt cæteri à similibus peccatis quæ prohiberi publicitus interest, metu cognitæ pœnæ deterreantur. Iccirco veteres quoq; nostri EXEMPLA pro maximis grauissimisque pœnis dicebant. Quando igitur aut spes magna est, vt is qui peccauit, citra pœnam ipse sese vltro corrigat: aut spes contrà nulla est emendari eum posse, & corrigi: aut iacturam dignitatis, in quam peccatum est, metui non necessum est: aut non id peccatum est, cuius exemplo necessario metu sanciēdum sit: tū quicquid ita delictum est, non sane dignum esse imponendæ pœnæ studium visum est. Has treis vlciscendi rationes & philosophi alii plurifariam, & noster Taurus in primo Commentariorum, quos in Gorgiam Platonis composuit, scriptas reliquit. Plato autem ipse verbis apertis duas solas esse puniendi causas dicit. Vnam, quam primo in loco, propter corrigendum: alteram, quam in tertio, propter exempli metum posuimus. Verba sunt hæc Platonis in Gorgia, προσήκει δὲ παντὶ, τῷ ἐν τιμωρίᾳ ὄντι ὑπ᾽ ἄλλου ὀρθῶς τιμωρουμένῳ βελ- „ τίωνι γίνεσθαι, καὶ ὀνίνασθαι. ἢ παράδειγμα ἄλλοις γίνεσθαι, ἵνα ἄλλοι οἱ ὁρῶντες πάσχοντα φοβούμενοι „ βελτίους γίνωνται. In hisce verbis facile intelligas τιμωρίαν Platonē dixisse, nō vt supra scripsi quosdam dicere, sed ita vt promiscue dici solet, pro omni punitione. Anne autē quasi omnino paruam, & contemptu dignam præterierit pœnæ sumēdæ causam propter tuēdam læsi hominis authoritatem: an magis quasi ei, quam dicebat, rei non necessariā prætermiserit, cum de pœnis non in vita, neque inter homines, sed post vitæ tempus capiendis scriberet, ego in medium relinquo.

Leuet. i. minuat.

Exempla.

ASCEN. Quiesco, licet antiqui media breui pronunciabant, non tamen ita in carmine ponebant. Vnde sciemus græcis præsertim multa præter metri rationem efferri: sicut & nobis ea quæ mutato accentu composita probamus: vt deinde, deorsum, deinceps, alonge & similia: quæ secunda breui enunciantur cum sit longa. Nolim tantum quiesco sic pronunciare, quia argumenta longe petita videntur, & ad tegēdum potius lapsum quàm ad confirmandum adducta: licet eleganter dicat, qua est omnium rerum verecunda mediocritate, id est ea verecunda mediocritate, quam tenet in omnibus. Sic autem caput hoc intellige, vt dicas, velut apud Ciceronem, corripi pro grauari, & produci pro acui, hic accipienda.

De verbo quieſco, an e litera corripi an produci debeat. CAP. XV.

AMicus noſter homo multi ſtudii, atque in bonarum diſciplinarum opere frequens verbum QVIESCIT vſitate e litera correpta dixit. Alter item amicus, homo in doctrinis, quaſi in præſtigiis mirificus, cõmuniumque vocum reſpuens nimis & faſtidiens, barbare eũ dixiſſe opinatus eſt, quoniam producere debuiſſet, non corripere. Nam quieſcit ita oportere dici prædicauit, vt caleſcit, niteſcit, ſtupeſcit, atque alia huiuſcemodi multa. Id etiam addebat, quòd quies, e, producto non breui diceretur. Noſter autem, qua eſt omnium rerum verecunda mediocritate, ne ſi Helii quidem, Cincii, & Satyri dicendum ita cenſuiſſent, obſecuturum ſe fuiſſe ait contra perpetuã latinæ linguæ conſuetudinem: neque ſe tam inſigniter locuturum, abſona vt inauditaque diceret. Literas autem ſuper hac re fecit inter exercitia quædam ludicra. Et quieſco non eſſe his ſimile, quæ ſupra poſui: nec à quiete dictum, ſed ab eo quietem. Græcæque vocis ἔσχεθον καὶ ἔσχον ionice à verbo ἔχω ἴσχω, & modum & originem verbum illud habere demonſtrauit. rationibusque haud ſane frigidis docuit quieſco e litera longa dici non conuenire, vt diceret eiuſmodi quiſpiã qui tumultuariis & modicis linguæ exercitationibus ad famam ſe facundiæ permiſerat, neque orationis latinæ modos vſurpationes ve vllas didicerat.

Quieſcit media accẽtu breui.

Quies.

ASCEN. In Lycio. Calepinus ſcribit lyceum pœnulti. longa: eratque gymnaſium Ariſtotelis, & Ciceronis, ab eo dictum, ſicut Academia Platonis. Deprecor vt notũ eſt duo ſignificat, ſed & tertium ex hoc loco adiici poteſt: neque id ab re: De enim multifariam accipitur. interdum ſignificat deorſum, vt deſcendo deſpicio. Primo AEnei. Deſpiciens mare veliuolum &c. Interdum valde. vt deprecor: in hymno, Te deprecamur agie &c. ſic deamo te, deprauo &c. Interdum deductionem & ſeparationem & quaſi contrarium eius quod ſimplex ſignificet, vt deſpero, dehortor, dodoceo, dediſco, ſic deprecor. Nam ſicut precor dũ ad rem non ad perſonam reſpicit, ſignificat precibus poſtulare vt adſit: ita deprecor vt deſit. Sic Ouidius, Sæpe precor mortem, mortem quoque deprecor idem. Hoc eſt, ſæpe precor vt mihi mors adſit, aut accidat, ſæpe vt deſit & differatur. Sic deprecor culpã. i. ne culpæ mihi detur. Interdũ de ſignificat prauitatem & deteſtationẽ, vt in ipſo vocabulo deteſtor. ſic demẽs non qui nullã habet mẽtem, aut amotus eſt à bona mente: is enim amens dicitur: ſed qui prauã & peruerſam habet mentem. Sic in loco Catulliano deprecor quaſi imprecor & mala precor: quod certe nouum eſt, & ideo vt opinor à criticis notandum, non ignorabant quid ſit deprecari mortem, culpam, & ſeruitutem &c. ſed deprecari totidem mala nõ vt deſint, ſed vt adſint: nouum erat, niſi deprecor pro imprecor accipiatur, & neſcias an imprecor illic ſcriptũ ſit. Sed quæras quomodo mala imprecetur qui amet? At precatur illi mala ore non mente. Nõ itaque Gellianam interpretationem hic recipio. Sane in eo verſu Cui videtur vox diſſyllaba & poſterior abſumi per ſynalœphen. Quaſi autem ex qua & ſi componitur, quod vero ſimile eſt, recte prima longa hic ponitur. Magis tamen, ſiqua eſt compoſitio, ex quia ſi facta ſit: vnde aſtipulor Maſerio ſic diſſerẽti dicas potius proceleumaticum in ſecunda ſede: nec terreat quòd vocalis nõ abſumitur, nec etiã quòd proceleumaticus non poteſt in dactylum reſolui. Nam in ſequenti videbis hoc in lib. xiij. ex Ennio citari illud Capitibus nutãtis pinos, rectosque cupreſſos. Itẽ, Cui ego, dactylus eſt, nec i abſumitur. Beroaldus autem in ſecundũ Propertii dicit Laurentiũ Vallam dũ cupit à Gellio diſſentire ſuper hoc verbo deprecor, nõ ſe ſatis explicaſſe. Cæterũ quia Calepinus de vocabulo deprecor late diſputat: ne forte eũ nõ vidiſſe aut nõ intellexiſſe arguar, non accipio apud Liuiũ, deprecor pro abominor. Nam ne multis agam, ſenſus eſt. Ego ſi commiſi quid, id eſt aliquid ſcelerate in fratrem, nullam deprecor, id eſt precibus amolior à me pœnã: ſi ſum innocens. ſ. in fratrẽ, deprecor. i. valde precor: aut deprecor pœnam, ne conflagrẽ inuidia, cum non poſſim. ſ. conflagrare crimine: vbi dicit Calepi. deprecor pro abominor capi, quod mihi non placet. Gelliana autẽ lectio qua deprecor nõ imprecor legit, ſi omnino recipienda eſt: ego quia vnicuique liberum eſt quod ſentit dicere, malim dicere verbum deprecor pro imprecor poſitũ, ſicut benedic deo & morere, pro maledic. & illud, Tũ quod illi dẽ recte eſt. pro nihil eſt: quaſi religio ſit dicere, imprecor mala amicæ.

De in cõpoſitione.

Quaſi.

Notũ verbũ Deprecor à poeta Catullo inuſitate quidẽ, ſed apte poſitũ & proprie: deq; ratione eius verbi, exemplisque veterum ſcriptorum. CAPVT XVI.

CVm in Lycio forte veſpera ambularemus, vir quidam ludo ibi nobis & voluptati fuit. nam cum eſſet verbum DEPRECOR doctiuſcule poſitũ in Catulli carmine, quia id ignorabat, frigidiſſimos verſus eſſe dicebat, omnium quidem, meo iudicio, venuſtiſſimos: quos ſubſcripſi,

Deprecor

Læſbia mi dicit ſemper male, nec tacet vnquam
De me, diſpeream, me niſi Læſbia amat.
Cui ego quaſi eadem totidem mox deprecor illi
Aſſiduo, verum diſpeream niſi amo. ”

Deprecor hoc in loco vir bonus ita dictum eſſe putat, vt plerumque à vulgo dicitur, quod ſignificat valde precor, & oro, & ſupplico. In quo, de, propoſitio ad augendum &

cumulandum valet. Quod si ita esset, frigidi sane versus forent. Nunc enim cõtra omnino est. nam, de, præpositio, quoniam est anceps, in vno eodemque verbo diuersitatem significationis capit. Sic enim deprecor à Catullo dictum est, quasi detestor, vel execror, vel depello, vel abominor. Contra autem valet, cum Cicero pro P. Sylla ita dicit, Quam multorum hic vitam à Sylla deprecatus est. Item in dissuasione legis Agrariæ, Si quid deliquero, nullæ sunt imagines, quæ me à vobis deprecentur. Sed neque solus Catullus ita isto verbo vsus est. pleni adeo sunt libri veterum similis in hoc verbo significationis, ex quibus vnum & alterum quæ suppetierant, apposui. Q. Ennius in Erechtheo non longe secus dixit, quàm Catullus,

Depreca-tus.

Suppetere

Quibus nunc, inquit, ærumna mea libertatem paro?
Quibus seruitutem mea miseria deprecor?

Significat abigo, & amolior, vel prece adhibita, vel quo alio mō. Itē Ennius in Cresphōte
Ego cum meæ vitæ parcam, letum inimico deprecor.

Cicero in libro VI de Rep. ita scripsit, Quod quidem eo fuit maius, quia cum in causa pari collegæ essent, non modo inuidia pari non erant, sed etiam Claudii inuidiā Gracchi charitas deprecabatur. Hic quoque item non est valde precabatur, sed quasi propulsabat & defensabat inuidiam. Quod Græci propinqua significatione παραιτοῦμαι dicūt. Itē pro A. Licinio similiter Cicero verbo isto vtitur. Quid, inquit, huic homini facias? Nōne concedas interdum vt excusatione summæ stultitiæ, summæ improbitatis odium deprecetur? Item in Verrem actionis secundæ prooemio, Nunc vero quid faciat Hortensius? auaritiæ ne crimina frugalitatis laude deprecetur? an hominem flagitiosissimū, libidinosissimum, nequissimunque defendat? Sic igitur Catullus eadem se facere dicit, quærens veniam, quòd & male diceret ei palam, respueretque & recusaret, detestareturque assidue, & tamen eam penitus deperiret.

Potior.

ASCEN. Athenarūpotitus. i. possessione aut imperio: sicut rerū potitus. Cæterū vt adnotauit Mas. Potitus construitur aliquando cum genitiuo, aliquando cum accusatiuo. Terent. Patria potitur commoda. Lucret. quarto, Eum quem reddita vita iam mors & terra potita est. Et paulo post multo diuersius in significatione passiua: mortis letique potitum. Vt Plautus in Cap. Potitus hostiū, id est ab hostibus triūphatus.

Quis omnium primus libros publice præbuerit legendos: quātusque numerus fuerit Athenis ante clades Persicas librorum in bibliothecis publicorum. CAP. XVII.

LIBROS Athenis disciplinarum liberalium publice ad legendū præbēdos primus posuisse dicitur Pisistratus Tyrānus. Deinceps studiosius accuratiusq; ipsi Athenieses auxerūt. Sed omnē illā postea librorū copiam Xerres Athenarū potitus, vrbe ipsa præter arcem incensa abstulit, asportauitque in Persas. Hos porro libros vniuersos multis post tēpestatibus Seleucus rex, qui Nicanor appellatus est, referendos Athenas curauit. Ingēs postea numerus librorū in AEgypto à Ptolæmeis regibus vel conquisitus, vel confectus est, ad milia ferme voluminum septingenta. Sed ea omnia bello priore Alexandrino, dum diripitur ea ciuitas, non sponte, neque opera consulta, sed à militibus forte auxiliariis incēsa sunt.

Pisistratus libros primus ædidit.

Seleucus Nicanor.

Alexandriæ Bibliotheca flagrauit.

ASCEN. Mense decimo peperisse. Non est statū tempus puerperis. Aedituos, quos barbaro vocabulo Galli matricularios vocant: Flandri ædis sacræ aut fani magistros. Neque latrarent eum. credo scriptū fuisse in eum: sed vtrunque dicitur. Vadari. i. datis vadibus ad comparendum obligari. Sane hoc oppidum Valerius Maximus lib. iij. de fidutia sui, Badium appellatum dicit. Vbi fidutiæ eius septem recitat exempla: quæ quia cuilibet obuia sunt, prætereo, contentus lectorem monuisse quod legenti mihi hæc in mentem venit, licet forte parum ad rem faciat: maligni spiritus versutias malitiosas, & obstinatam peruicaciā in hoc maxime eminere, quòd in qua forma hominē decepit, & maledictionis sententiam accepit, in ea se hominibus prodesse simulauit, & venerari se gestijt. In serpentina enim facie & Alexandrum Magnum, & Scipionem hunc genuisse videri voluit. Salutem etiam vniuerso orbi, & præcipue apud Epidaurum & Romam sub AEsculapii nomine in serpentina facie contulisse credi voluit. Quinetiā aut Genios venerabilium locorum, aut famulos heroum eadem facie apparuisse persuasit. vt videre est AEnei. v. Eadem facie Pallados custodes fuisse: AEnei. ij. & multa alia affinxit: vsqueadeo vt serpentina facies sacra & terrifica sic mortalibus fuerit: vt nobis crucis aut diui Antonii. vnde illud Persianum, Pinge duos angues, sacer est locus, extra meijte &c. Addidit ad hæc Maserius. Alexandri magni genus, teste Plutarcho, paternum ducitur ab Hercule per Caranum: maternum ab AEaco per Neoptolemum. Olympias autem cuius memit Gellius, Philippo desponsata prima nocte qua se viro commiscuit, existimauit facto tonitru, sibi in vterum fulmen illabi, ex cuius ictu cum magnum emicuisset incendium, postea in late diffusas flammas abijt. Philippus visus est adfixisse vtero bullam insignem, vatesque dixerunt mulierem

Alexan. Mag. genus.

leonem parituram,aut filium leonis natura præditum.Et quod in litera est, Quondam iuxta dormientis corpus Olympiadis draco accubuisse conspectus est:quæ res amorem charitatemque Philippi in eam extinxisse vehementer dicitur.causam Plutarchus subiungit,in vita Alexādri Magni. Idem in vita Scipionis ait Scipionem animos multitudinis quadam superstitione imbuisse,quod singulis diebus ex quo virilem togam sumpserat,in Capitolium ascendere,ac sine arbitris Iouis ædem ingredi consueuerat, vt crederent homines,sicut iam multo ante Numam Pompilium ab Aegeria Nympha,sic & ipsum arcana quædam in templo doceri,quæ cæteris non essent communia.Præterea vt olim de Alex.Macedonum rege,sic ea tēpestate de Scipione quidam finxisse videntur anguem in cubiculo matris frequenter visam. Hæc Plutarchus.Vbi visam anguem in genere fœminino dixit.Sic Valerius Maximus libro primo. Angues duæ ex occulto prolapsæ.Idem,Subito ex vna parte prolapsam anguem prospexit.Et Cornelius Tacitus.Vnam omnino anguem in cubiculo visam narrare solitus est.In quo notanda est mira dæmonum illusio. Plura referuntur de incubis nec penitus falsa,si vera sunt,quæ de Merlino Brytannico vate circunferuntur:quibus non vsquequaque dissimilia audi diuum Hieronymum cap.vicesimosexto contra Iouinianum dicentem in secundo tractatu. Apud gymnosophistas Indiæ quasi per manus huius opinionis autoritas traditur,quod Buddam principem dogmatis eorum è latere suo virgo generauit.Nec hoc mirum de barbaris cum Mineruam quoque de capite Iouis,& Liberum patrem de fœmine eius procreatos doctissima finxerit Græcia.Speusippus quoque sororis Platonis filius,& Clearchus in laude Platonis,& Anaxilides secundo libro philosophiæ,Perictionem matrem Platonis phantasmate Apollinis oppressam ferunt, & sapientiæ principem non aliter arbitrantur nisi de partu virginis editum.Hæc Hieronymus stultitiam ethnicorum (vt Badio visus est) irridens magis quàm vera credens in medium attulit.vt enim incubos quos magni theologi generare posse negant,generasse aiamus:quæ tamen suscepto vndecunque virili semine genuit,mihi virgo non erit.Addit Mas.Vadimonium est sponsio quædam se sistendi comparendique in iudicio ad diem præstitutum per se vel per aduocatos,quod non licet deserere.Seneca, Vadimonium promittimus,& tamen deseritur.Cicero,Ad vadimonium non venit,qui ibi semper fuit. Differre vadimoniū est tempus prorogare quo debeas comparêre quoties est facta sponsio.

Anguis hæc.

AVLI GELLII NOCTIVM ATTICARVM COMMENTARIORVM, LIBER VII.

Admiranda quædam ex Annalibus sumpta de P. Africano superiore. CAP. I.

QVOD DE Olympiade Philippi regis vxore, Alexandri matre,in historia græca scriptum est,idem de P. Scipionis quoque matre,qui prior Africanus appellatus est,memoriæ datum est. Nā & Caius Oppius,& Iulius Higinus,aliique qui de vita & rebus Africani scripserunt, matrem eius diu sterilem existimatā tradunt: P. quoque Scipionem, cum quo nupta erat, liberos desperauisse. Postea in cubiculo atque in lecto mulieris, cū absente marito cubans sola obdormisset,visum repente iuxta eam cubare ingentem anguē, eumque iis,qui viderant,territis & clamantibus elapsum inueniri non quisse. Idipsum P.Scipionem ad aruspices retulisse.Eos sacrificio facto respondisse,fore vt liberi gignerentur.Neque multis diebus postea quàm ille anguis in lecto visus est, mulierem cōcepisse: concepti fœtus signa,atque sensum pati:exinde mense decimo peperisse: natumque esse hunc P.Scipionem Africanum,qui Annibalem & Carthaginenses in Africa bello Punico secundo vicit.Sed & eum impendio magis ex rebus gestis,quàm ex illo ostento, virū esse virtutis diuinæ creditum est.Id etiam dicere haud piget,quod iidem illi, quos supra nominaui,literis mandauerint:Scipionem hunc Africanum solitauisse noctis extremo, prius quàm dilucularet,in Capitolium ventitare,ac iubere aperiri cellam Iouis,atque ibi solum diu demorari quasi consultantem de Rep.cum Ioue:æditu ósque eius templi sæpe esse demiratos, quòd solum id temporis in Capitolium ingredientem canes semper in alios sæuientes,neque latrarent eum,neque incurrerent. Has vulgi de Scipione opiniones confirmare atque approbare videbantur dicta factáque eius pleraque admiranda. Ex quibus est vnū huiuscemodi. Assidebat oppugnabatque oppidum in Hispania,situ, mœnibusq;, ac defensoribus validū & munitum,re etiā cibaria copiosum, nullaque eius potiundi spes erat.Et quodā die ius in castris sedēs dicebat:atq; ex eo loco id oppidū procul videbatur. Tū è militibus,qui in iure apud eū stabant,interrogauit quispiam ex more,in quē diē locūq; vadimoniū promitti iuberet.Et Scipio manū ad ipsam oppidi, quod obsidebatur,arcē protendēs,Perendie,inquit,sese sistāt illo in loco. Atq; ita factū.Die tertio in quem vadari iusserat,oppidum captum est.Eodem die in arce eius oppidi ius dixit.

Olympias Alex.mater.

Scipionis Africani matri serpens in cubiculo visus.

Solitare.

Latro te.

Scipionis fiducia.

ASCEN. Pleraque haud indiligētis.aut pleraque aduerbium est aut per synecdochen dicitur. Si ideo Cesellius putauit cor esse masculinum,quia præmissum vidit quem, nimirum errauit:quia refertur ad nomen Annibal.sed forte duxit adnotandum,in masculino dixisse,Quem credidit esse meum cor, cum dicere potuisset,quod &c.vt sit,quod cor meum esse credidit. Verum vt dicit Gellius Cesellio visum est non animaduertenti ad tertium versum, ordinem esse:quem cor.i. quod propositum quam voluntatem scilicet ne bellum facerem:Annibal credidit esse cor meum.cum ordo sit: quem scilicet annibalem,cor meū credidit esse suasorem summum & studiosum robore belli.vnde de Cesellio viro doctissimo dici hoc loco posset,Et quandoque bonus dormitat Homerus:vt adnotauit Maserius.Sane si appellatiua alterius generis in cognomina,aut agnomina virorum transeunt,adiectiua masculina ad propria referenda recipiunt. vt Orata,Ouicula,Caligula, Malatesta,Scroffa &c.Signandum etiam quòd dehortatur prima longa protulit:forte propter aspirationem. Mas. Adde quæso Papiniū in Thebaide dixisse:Hos deire iugis. Hæc in Valerium Flaccum latius determino.

De Cesellii Vindicis pudendo errore, quem offendimus in libris eius quos inscripsit Lectionum antiquarum. CAPVT II.

Cesellij erratum.

Turpe erratum offendimus in illis celebratissimis commentariis lectionū antiquarum Cesellii vindicis, hominis hercle pleraque haud indiligentis:quod erratum multos fugit,quanquam multa in Cesellio reprehendēdo etiam per calumnias rimarentur.Scripsit autem Cesellius Q.Ennium in XII libro Annaliū COR dixisse masculino genere.Verba Cesellii subiecta sunt.Masculino genere cor,vt multa alia,enunciauit Ennius. nam in XIII Annali,quem cor dixit. Adscripsit deinde versus Ennii duos,

Annibal audaci dum pectore dehortatur,
Ne bellum faciam,quem credidit esse meum cor?

Antiochus est,qui hoc dixit,Asiæ rex.Is admiratur & permouetur quod Annibal Carthaginensis bellum se facere po.Ro.volentem dehortetur.Hos autem versus Cesellius sic accipit,tanquam si Antiochus sic dicat,Annibal me,ne bellum geram dehortatur:quod cum facit,æquale cor putat habere me ei:quàm stultum esse me credit,cum id mihi persuadere vult.hoc Cesellius quidem.sed aliud longe Ennius. nam tres versus sunt nō duo ad hanc Ennii sententiā pertinentes:ex quibus tertium versum Cesellius non respexit.

Annibal audaci dum pectore dehortatur,
Ne bellum faciam,quem credidit esse meum cor
Suasorem summum & studiosum robore belli.

Horum versuum sensus atq; ordo sic,opinor,est,Annibal ille audentissimus atque fortissimus:quem ego credidi,hoc est enim quē credidit esse meū cor, perinde atq; diceret, quē ego stultus homo credidi fore summū suasorē ad bellādum,is me dehortatur,dissuadetq;,ne bellum faciā.Cesellius autē forte ἐσαθυμότερον ἐσαφῆ ista verborū captus, quē cor dictū putauit,& quē accētu acuto legit,quasi ad cor referatur,nō ad Annibalē. Sed nō fugit me,si aliquis sit tā incōditus, sic posse defendi cor Cesellii masculinū, vt videatur tertius versus separatim atq; diuisim legendus,perinde quasi præcisis interruptisque verbis exclamet Antiochus,suasorē summū.sed non dignū est eis,qui hoc dixerint, responderi.

Partim. Prolixa.

ASCEN.Ciuitas Rhodien.hoc misero seculo à Turcis capta.Perpetrari, perfici. Patrare enim est res agere authoritate quadā:vnde princeps reip.gerendæ pater patratus dictus est. Deprecarētur.i.ne noxæ sit precarētur.Partim senatorū:pro partim senatores,elegās locutio. Defensum & cōseruatū supina sunt. Atque prolixis.nō videtur ei vocabulo illic locus,nisi quòd prospera quāto sunt prolixiora,tanto sunt lætiora & maiora.Videtur autē mihi pro alio vocabulo insertum quale sit,prolibitis. Aliter visum est Maserio rem altius rimanti atque dicēti.Hoc in opere est hoc verbum recte vt puto expositum. & hic quoque sic exponendum.Habet enim Ouid. ix. Meta.de Theletusa monente maritum ne quereretur rem esse in arcto:quod si pulchre ponitur,& à cōtrario sensu in prolixo,nisi quis nolit esse cōtraria.Sed quod perquā apte Cato sit locutus probari potest authore Terentio fortunæ fauorē & prosperos successus intelligente per prolixitatē: Nemo inquit accipit prolixius.i.vt reor,vberius,melius,abundantiusque & fœcundius. quod si trāseat ad fortunā, quis nō dicet prolixitatē,esse prosperitatē, fauorē & largitatem? quod & Cælius in.xj. lib. c.xxiiij.innuit dicēs,fortunæ laxitatē.cōtrariū recte dixeris angustiā. Hæc Mas. Quæ nequaquā dāno:notū tamē puto in Terētio aduerbiū prolixius à parasito proprie ex parasitico animo positum. nā prolixas cœnas id genus hominū amat:neque aliter quàm ad epulū accipiēdos intelligit: aliudque puto laxitatem quam Cælius ponit,aliud prolixitatem.sed quod dixi, quia prospera quanto sunt prolixiora tanto sunt lætiora & maiora:ideo vocabulum non expunxi, sed lectori an aliud substituendum sit indecisum reliqui.Regi Persæ est ei nomen.Depugnare.i.pugnando vincere. Non Rhodienses id modo voluere.Si respicit ad priorem partem clausulæ legendum est noluere: quia præmissum est noluisse: si ad posteriorem,quæ est,Neque regē &c.voluere.Partim eorum.sicut paulo ante partim senatorum. Quāto nos

nostri natiui cautius agimus:asterisco signandus locus:lucis enim eget. Nescio an nati vi dixerit per secũdam declinationem quod nos per quartam, licet solum ablatiuum natu in vsu habeamus. Nouũ enim est senatu pro senatus, & alia multa similiter veteres dixisse. quo modo si Cato dixerit nati pro natus: sensus est, Cogitate quanto cautius nos facimus vi.i.impulsu, nostri nati.i.nostræ naturæ: quæ martia & acris est. Conducunt, conueniunt, congruunt. Enthymema nequã, id est nihil aut nequicquam ad rem facies. Aptissime itaque eo vocabulo vsus est, quo abutuntur qui ipsum pro luxurioso ponũt. Ea fini. sic frequẽter ablatiuum in i, finit. Animum non aduertit, hoc est non animaduertit. Quod factum voluit, subauditur esse aut fuisse, & recipitur vt elegans locutio. Seruatum ire pro futuro infinitiui actiui ponitur. Sane de scelere cõcepto voluntate consummata non est dubium, quin deus vltionem sumat: quod ne satyricum quidem latuit dicentem, Nam scelus intra se, tacitum qui concipit vllum, Facti crimen habet &c. Verum forum externum non omnẽ voluntatem malam punit, cum eam non cognoscat. Si tamen de voluntate prodendæ patriæ, aut incendij faciendi, aut hæreseos seminandæ, aut similis criminis concepti constiterit, non sinat impune ferre. Vnde seuere in Catilinæ coniuratos animaduersum est. Ex Rep. & e Rep. ex vtilitate Reip. Nequam.

Quid Tullius Tiro Ciceronis libertus reprehenderit in M. Catonis oratione, quam pro Rhodiensibus in Senatu dixit: & quid ad ea, quæ reprehenderat, responderimus. CAP. III.

CIuitas Rhodiensis & insulæ opportunitate, & operum nobilitate, & nauigandi solertia, naualibúsque victoriis celebrata est. ea Rhodiensis ciuitas, cũ amica atque socia Pop. Rom. foret, Persa tamen Philippi filio Macedonum rege, cum quo bellum Pop. Rom. fuit, amico vsa est. connixique sunt Rhodienses legationibus Romam sæpe missis, id bellum inter eos componere. sed vbi ista pacificatio perpetrari nequiuit: verba à plerisque Rhodiensibus in concionibus eorum ad populum facta sunt, Vt si pax non fieret, Rhodiẽses regem aduersus populum Romanum adiutarent. Sed nullum super ea re publicum decretum factum est. At vbi Perses victus captúsque est, Rhodienses pertimuere ob ea quæ compluries in cœtibus populi acta dictáque erant: Legatósque Romam miserunt, qui temeritatem quorundam popularium suorum deprecarentur, & fidem consiliúmque publicum expurgarent. Legati postquam Romam venerunt, & in Senatum intromissi sunt, verbisque suppliciter pro causa sua factis de curia excesserunt: sententiæ rogari cœptæ. cúmque partim Senatorum de Rhodiensibus quererentur, maleque eos animatos fuisse dicerent, bellúmque illis faciendũ censerent: tum M. Cato exurgit, & optimos fidissimósque socios, quorum opibus diripiendis possidendisque non pauci ex summatibus viris intenti infensique erant, defensum conseruatumque pergit: orationémque inclytam dicit, quæ & seorsum fertur, inscriptáque est pro Rhodiensibus, & in quinto Originum libro scripta est. Tiro autem Tullius M. Ciceronis libertus, sane quidem fuit ingenio homo eleganti, & haudquaquam rerum literarúmque veterum indoctus: eóque ab ineunte ætate liberaliter instituto, adminiculatore & quasi administratore in studiis literarum Cicero vsus est. Sed profecto plus ausus est, quàm vt tolerari ignoscique possit. nanque epistolam cõscripsit ad Q. Axium familiarem patroni sui confidenter, & nimis callidè: in qua sibimet visus est orationem istam pro Rhodiensibus acri subtilique ingenio & iudicio percensuisse. Ex ea epistola libitum forte nobis est reprehensiones eius quasdam attingere, maiore scilicet venia reprehensuri Tironem, quàm tum ille reprehenderit Catonem. Culpauit autem primum hoc, quòd Cato inerudite, & ἀναγώγως, vt ipse ait, principio nimis insolenti, nimisque acri & obiurgatorio vsus sit: cum vereri sese ostendit, ne patres gaudio atque lætitia rerum gestarum prospere de statu mentis suæ deturbati nõ satis consiperent, neque ad recte intelligendum consulendúmque essent idonei. In principiis autem, inquit, patroni, qui pro reis dicunt, conciliare sibi & complacare iudices debent: sensúsque eorum expectatione causæ suspensos rigentésque honorificis verecundisque sententiis commulcere, non iniuriis atque imperiosis comminationibus confricare. Ipsum deinde principium apposuit, cuius verba hæc sunt, Scio solere plerisque hominibus, rebus secundis, atque prolixis, atque prosperis, animum excellentem, atque superbiam, atque ferocitatem augescere atque crescere, quod nunc mihi magnæ curæ est, quòd hæc res tam secunde processerit, ne quid in consulendo aduersi eueniat quod nostras secundas res confricet, neve hæc lætitia nimis luxuriosè eueniat. Aduersæ res se domant, & docent quid opus sit facto: secundæ res lætitia transuorsum trudere solent à recte consulendo atque intelligendo. Quo maiore opere dico, suadeóque vti hæc res ali-

Rhodus.

Perses.

Deprecor

Partim.

Tiro Tullius libertus Cic.

,, quot dies proferatur, dum ex tãto gaudio in potestatem nostram redeamus. Quæ deinde Cato iuxta dicit, ea, inquit, confessionem faciunt, non defensionem: neque propulsationem translationemve criminis habent, sed cum pluribus aliis communicationem: quod scilicet nihil ad purgandum est. Atque etiam, inquit, insuper profitetur Rhodienses, qui accusabãtur quòd aduersus Populum Rom. Regi magis cupiuerint, fauerintque: id eos cupisse, atque fauisse vtilitatis suæ gratia, ne Romani Perse quoque rege victo, ad superbiam, ferociamque, & immodicum modum insolescerent. Eáque ipsa verba ponit ita vt infra scriptum est. Atque ego quidem arbitror Rhodienses noluisse nos ita de- ,, pugnare, vti depugnatum est. Neque regem Persen vicisse: non Rhodienses id modo ,, voluere, sed multos populos ac multas nationes idem voluisse arbitror. Atque haud ,, scio an partim eorum fuerint, qui non nostræ contumeliæ causa id voluerunt euenire:

Partim. ,, sed enim metuere, si nemo esset homo quem vereremur, quicquid liberet, faceremus: ,, ne sub solo imperio nostro in seruitute nostra essent, libertatis suæ causa in ea sententia ,, fuisse arbitror. Atque Rhodienses tamen Persen publice nunquam adiuuere. Cogita-

* ,, te quanto nos cõsternati vi cautius facimus. Nam vnusquisque nostrum, siquis aduer ,, sus rem suam quid fieri arbitratur, summa vi contra nititur, ne aduersus eam fiat, quod illi tamen perpessi. Sed quod ad principium reprehensum attinet, scire oportuit Tironem, defensos esse Rhodienses à Catone, sed vt à Senatore, & Consulari, & Censorio viro: quod quidem optimum esse publicum existimabat, suadente, non vt à patrono solet, causam pro reis dicente. Alia nanque principia conducunt reos apud iudices defendenti, & clementiam misericordiamque vndique indaganti: Alia cum Senatus de Repub. consulitur, viro authoritate præstanti sententiis quorundam iniquissimis permoto, & pro vtilitatibus publicis, ac pro salute sociorum grauiter ac libere indignanti simul ac dolenti. Quippe rectè & vtiliter in disciplinis rhetorũ præcipitur, iudices de capite alieno, déque causa ad sese non pertinenti cogni turos, ex qua præter officium iudicandi nihil ad eos simul periculi vel emolumenti redundaturum est, conciliandos esse ac propitiandos laudabiliter ac placabiliter, & leniter existimationi salutique eius, qui apud eos accusatus est. At cum dignitas, & fides, & vtilitas omnium communis agitur, ob eamque rem aut suadendum quid vt fiat, aut fieri iam cœpto differendum est: tum qui se in eiusmodi principiis occupat, vt beneuolos benignósque sibi auditores paret, ociosam operam, in non necessariis verbis sumit. Iandudum enim negocia periculáque ipsa rerum communia, consiliis eos capiendis conciliant, & ipsi potius sibi exposcunt consultoris beneuolentiam. Sed quòd ait, confessum Catonem noluisse Rhodienses ita depugnare, vti depugnatum est, neque regem Persen à Populo Romano vinci: atque id eum dixisse non Rhodienses modo, sed multas quoque alias nationes voluisse: sed id nihil ad purgandum, extenuandumve crimen valere, iam hoc primum Tiro improbe mentitur. Verba ponit Catonis: & aliis tamen eum verbis calumniatur. Non enim Cato confitetur Rhodienses noluisse victoriam esse pop. Rom. sed sese arbitrari dixit, id eos noluisse: quod erat proculdubio suæ opinionis professio, non Rhodiensium culpæ confessio. In qua re, vt meum quidem iudicium est: non culpa tantum vacat, sed dignus quoque laude admirationéque est, & cum ingenue & religiose dicere visus est contra Rhodienses quod sentiebat: & parta sibi veritatis fide, ipsum illud tamen, quod contrarium putabatur, flexit & transtulit: vt eos idcirco vel maxime æquum esset acceptiores chariorésque fieri Pop. Rom. quòd cum & vtiles essent, & vellent Regi esse factum, nihil tamen adiuuandi eius gratia fecerint. Postea verba hæc ex eadem oratione ponit. Ea nunc derepente tanta nos beneficia vltro citróque, tantam amicitiam relinquimus? Quod illos dicimus voluisse facere, id nos priores facere occupabimus? Hoc (inquit) enthymema nequam & vitiosum est. responderi enim potuit, occupabimus certe. Nam si non occupauerimus, opprimemur: incidendumque erit in insidias, à quibus ante nos non cauerimus. Rectè, inquit, hoc vitio dat Lucilius poetæ Euripidi, quòd cum Polyphontes rex propterea se interfecisse fratrem diceret quòd ipse ante consilium de nece eius cepisset: AErope fratris vxor hisce eum verbis eluserit, ἐι γάρ σε ἔμελλεν, ὡς σὺ φῇς, κτείνειν πόσις. χρῆν καὶ σὲ μέλλειν, ὡς χρόνος παρῆν δῆθεν. At hoc enim, inquit, plane stulticiæ plenum est, eo consilio, atque ea fini facere nolle aliquid, vti nunquam id facias, quod velis. Sed videlicet Tiro animum non aduertit non esse in omnibus rebus cauendis eandem causam. neque humanæ vitæ negocia, & actiones, & officia,

Defenditur oratio Catonis.

Rhetoricũ præceptũ.

Nequã.

vel occupandi,vel differendi,vel etiam vlciſcendi,vel cauendi,ſimilia eſſe pugnæ gladiatoriæ. Nam gladiatori compoſito ad pugnandum,pugnæ hæc propoſita ſors eſt:aut occidere,ſi occupauerit:aut occumbere,ſi ceſſauerit. Hominum autem vita non tã iniquis, neque tam indomitis neceſſitatibus circũſcripta eſt,vt idcirco prior iniuriam facere debeas,quam niſi feceris, pati poſſis. Quod tantum aberat à populi Ro.manſuetudine occupare,vt ſæpe iam in ſeſe factas iniurias vlciſci neglexerit. Poſt deinde vſum eſſe Catonem dicit in eadem oratione argumentis parum honeſtis & nimis audacibus,ac nõ viri eius qualis fuit,ſed vafris ac fallacioſis,& quaſi Græcorum ſophiſtarum ſolertiis. Nam cum obiiceretur,inquit,Rhodienſibus, quòd bellum pop.Rom.facere voluiſſent,non negauit plene:ſed ignoſci popoſcit,quia id non feciſſent,etſi maxime voluiſſent.induxiſſeque eum dicit,quam dialectici ἐπαγωγὴν appellant,rem admodum inſidioſam & ſophiſticam,neq; ad veritates magis,quàm ad captiones repertam,cum conatus ſit exemplis decipientibus colligere confirmareq;,neminem,qui male facere voluit, plecti æquũ eſſe,niſi quod factum voluit,etiam fecerit. Verba autem ex ea oratione M. Catonis hæc ſunt,Qui acerrime aduerſus eos dicit,ita dicit,hoſtes voluiſſe fieri:& quis eſt tandem noſtrorum,qui quod ad ſeſe attineat,æquum cenſeat quẽquam pœnas dare ob eam rem,ꝙ arguatur male facere voluiſſe? Nemo opinor. Nam ego,quod ad me attinet,nolim. Deinde paulo infra dicit,Quid nunc,& quæ tandem lex eſt tam acerba,quæ dicat,Si quis illud facere voluerit,mille nummi : dimidium familiæ multa eſto. Si quis plus quingenta iugera habere voluerit,tanta pœna eſto. Si quis maiorem pecudum numerũ habere voluerit,tantum damni eſto. Atqui nos omnia plura habere volumus, & id nobis impune eſt. Poſtea ita dicit,Sed ſi honorem non æquum eſt habere ob eam rem,ꝙ bene facere voluiſſe quis dicit,neque fecit tantum:Rhodienſibus tale erit, non ꝙ male fecerũt, ſed quia voluiſſe dicuntur. His argumentis Tiro Tullius M.Catonem contendere & cõficere dicit:Rhodienſibus quoq; impune eſſe debere, ꝙ hoſtes quidẽ Pop.Rom.eſſe voluiſſent,& qui maxime non fuiſſent. Diſſimulari autem non poſſe ait,quin paria & conſimilia nõ ſint,plus quingenta iugera habere velle, quod plebiſcito colonis prohibitum fuit,& bellum iniuſtum atq; impium pop.Rom.facere velle. Neque item inficiari poſſe, quin alia cauſa in præmio ſit,alia in pœnis. Nã beneficia,inquit,promiſſa opperiri oportet:neque ante remunerari,quàm facta ſint. Iniurias autem imminẽtes præcauiſſe, iuſtũ eſt magis q̃ expectauiſſe. Summa enim profeſſio ſtultitiæ,inquit,eſt nõ ire obuiam ſceleribus cogitatis,ſed manere,oppeririq;,vt cum admiſſa & perpetrata fuerint,tum denique vbi quæ facta ſunt infecta fieri non poſſunt,puniantur. Hæc Tiro in Catonem, non minus frigide ſane quàm inaniter. Sed enim Cato non nudam,nec ſolitariam,nec improtectam hanc ἐπαγωγὴν facit:ſed multis eam modis præfulcit,multisque aliis argumẽtis conuelat:& quia non Rhodienſibus magis,q̃ Reip.conſulebat,nihil ſibi dictu factúque in ea re turpe duxit,quin omniũ ſententiarũ via ſeruatum ire ſocios niteretur. Ac primũ ea non incallide conquiſiuit,quæ non iure naturæ,aut iure gẽtium fieri prohibẽtur, ſed iure legum rei alicuius medendæ,aut temporis cauſa iuſſarum,ſicut eſt de numero pecoris,& de dominio agri præfinito,aut eiuſmodi aliquo:in quibus rebus quod prohibitũ fieri per leges quidem non licet,velle id tamen facere,ſi liceat,inhoneſtum non eſt. Atq; eas res contulit ſeorſum,miſcuitq; cũ eo, quod neq; facere neq; velle per ſeſe honeſtũ eſt. tum deinde ne diſparilitas collationis euidẽs fieret,pluribus id propugnaculis defenſat. Neque tenues iſtas & enucleatas voluntatum in rebus illicitis reprehenſiones,qualia in philoſophorum ocio diſputantur,magni facit:ſed id ſolũ ex ſumma ope nititur, vt cauſa Rhodienſium,quorum amicitiam retineri ex Rep.fuit,aut æqua iudicaretur,aut quidem certe ignoſcenda. Atq; interim neque feciſſe Rhodienſes bellum,neq; facere voluiſſe dicit. Interim autem facta ſola cenſenda dicit atque in iudicium vocanda: ſed volũtates nudas inanesq;,neq; legibus neque pœnis fieri obnoxias. Interdum autem quaſi deliquiſſe eos concedat,ignoſci poſtulat,& ignoſcentias vtiles eſſe rebus humanis docet:ac niſi ignoſcant,motus in Rep.rerum nouarum monet:ſed enim contra ſi ignoſcatur,cõſeruatum iri oſtendit pop.Rom.magnitudinem. Superbiæ quoque crimen, quod tunc præter cætera in Senatu Rhodienſibus obiectum erat,mirifica & prope diuina reſpõſionis figura eluſit & eluit. Verba adeo ipſa ponemus Catonis,quoniam Tiro ea prætermiſit,Rhodienſes ſuperbos eſſe aiunt id obiectantes quod mihi è liberis meis minime dici velim. Sint ſane ſuperbi:quid id ad nos attinet? id ne iraſcimini, ſi qs ſuperbior eſt q̃ nos?

Po.Ro.clementia.

Ignoſcentia.

Nihil prorſus hac compellatione dici poteſt neq; grauius neque munitius aduerſus homines ſuperbiſſimos facta, qui ſuperbiā in ſeſe amarent in aliis reprehenderēt. Præterea animaduertere eſt in tota iſta Catonis oratione, omnia diſciplinarum rhetoricarum arma atque ſubſidia mota eſſe. ſed nō perinde, vt in decurſibus ludicris, aut ſimulacris præliorum voluptariis fieri videmus. Non inquā diſtincte nimis, ac cōpte atq; modulate res acta eſt: ſed quaſi in ancipiti certamine cū ſparſa acies eſt, multisq; locis Marte vario pugnatur: ſic in iſta tum cauſa Cato, cum ſuperbia illa Rhodienſium famoſiſſima multorum odio atq; inuidia flagraret, omnibus promiſcue tuendi atq; propugnādi modis vſus eſt: & nunc vt optime meritos commendat: nunc tanq̃ ſi innocentes, purgat, & ne bona diuitiæque eorum expetantur, obiurgat: nunc etiam quaſi ſit erratum, deprecatur: nunc vt neceſſarios Reip. oſtentat: nunc clementiæ, nunc manſuetudinis maiorum, nūc vtilitatis publicæ commonefacit. eáq; omnia diſtinctius numeroſiusq; ac comptius fortaſſe dici potuerint: fortius atq; viuidius potuiſſe dici non videntur. Inique igitur Tiro Tullius, qui ex omnibus facultatibus tam opulentæ orationis aptis inter ſeſe & cohærentibus, paruum quippiam nudúmq; ſumpſit quod obtrectaret: tanq̃ non dignum M. Catone fuerit, ꝙ delictorū non perpetratorum voluntates, non cenſuerit puniendas. Cōmodius autem erectiúsq; de his meis verbis, quibus Tul. Tironi reſpōdi, modo æſtimabit, iudiciúmq; faciet, qui & orationem ipſam Catonis totam acceperit in manus, & epiſtolam Tironis ad Axium ſcriptā requirere & legere curauerit. Ita enim nos ſyncerius exploratiúsque vel corrigere poterit, vel probare.

Præſtare. ASCEN. Præſtare in hoc capite ſignificat quaſi ſatisfacere, & cautionē dare: aut potius ſupplere ſi quid deſit, aut quod dicunt bonum facere, ſiquid fraudis ſubſit vt ſi dicam, impreſſor non debet præſtare ignorantiā aut errata authorum, hoc eſt non debet impreſſori vitio dari ſi authores errauerint. Quorū itaque nomine venditor nihil præſtaret. ſ. emptori. i. nullam cautionem faceret de vitio aut morbo, neque quicquam reponeret ſi morbus aut vitium in eis reperiatur. Cauſa eius rei vt partim hic tangitur, videtur quibuſdam eſſe quód ſerui duplici de cauſa pileum accipiebant: aut quia libertate donati erant: vnde ſeruus Plautinus optat raſo cápite accipere pileum, & ideo qui ſeruos ad libertatem vocabant, dicebātur eos ad pilea vocare: aut quia liberali erant fide & animo ſine vitio & morbo. Vnde tecto capite venundabantur, vt qui diſpici non deberent. Mihi autem aliud videtur rationis, vt ideo nihil præſtet venditor, quia malum ſeruū pileo indicarit, ſicut bos petulans indicetur ſi fœnū habeat in cornu. Nam ſi pileatum eſſe indicium ſit boni ſerui, venditor eius potius quàm non pileati culpam præſtare deberet. Sed quæras cū pileati ſint libertate donati, qua ratione mali ſit indicium pileus. Si comminiſci rationem licet, dicam pileatum vendi qui affectator nimius fuerit libertatis: & qui ad pileum nimis reſpexerit, & fugam aliquando tentarit. Adde (inquit Maſ.) quod Cælius, cap. lij. lib. xiij. adfert de ſeruis pileatis. Item quis ſit de lapide noxius, de lapide emptus, á furca redemptus. Citatur ab eo Gellius in octauo libro, tu repone ſeptimo.

Pileū cur ſerui accipiant.

Cuiuſmodi ſeruos, & quam ob cauſam Cælius Sabinus iuris ciuilis author pileatos venundari ſolitos ſcripſerit: & quæ mancipia ſub corona more maiorum vænierint. atq; id ipſum vænire ſub corona, quid ſit. CAP. IIII.

Pileati vænibāt ſerui

PILEATOS ſeruos vænum ſolitos ire, quorū nomine venditor nihil præſtaret, Cælius Sabinus iuris peritus ſcriptum reliquit. cuius rei cauſam eſſe ait, ꝙ eiuſmodi conditionis mancipia inſignia eſſe in vendundo deberēt, vt emptores errare, & capi non poſſent: neque lex vendūdi operiēda eſſet, ſed oculis iam perciperent, quodnam eſſet mancipiorum genus, ſicuti inquit, antiquitus mancipia iure belli capta coronis induta vænibant, & idcirco dicebātur SVB CORONIS VAENIRE. Nanque vt ea corona ſignum erat captiuorum vænalium, ita pileus impoſitus demōſtrabat eiuſmodi ſeruos vænundari, quorum nomine emptori venditor nihil præſtaret. Eſt autem alia rationis huius opinio, cur dici ſolitū ſit captiuos ſub corona vænundari: quód milites cuſtodiæ cauſa, captiuorum vænaliū greges circunſtarent, eáque circunſtatio militum corona appellata ſit. Sed id magis verū eſſe, quod ſupra dixi, Cato quoque in libro quem compoſuit de re militari, docet. Verba ſunt hæc Catonis, Vt populus ſua opera potius ob rem bene geſtam coronatus ſupplicatum eat, q̃ re male geſta coronatus væneat.

Sub coronis vænire.

Circunſtatio. Corona. Coronatos vænire.

ASCEN. Sicut Polus pro Oreſtis oſſibus fictis, vera filij oſſa portans veros edidit eiulatus: ita Fuſius Ilionam dormientem agens, cum ebrius eſſet tam profunde dormiuit vt excitari non poſſet, de quo Horatius lib. ſermonum. ij. ſaty. iij. Non magis audierit quàm Fuſius ebrius olim Cum Ilionam edormit, Catienis mille ducentis Mater te appello clamantibus &c. Hiſtriones autem non omnino inter turpes habitos docet Macrob. in. iij. Saturn.

Historia de Polo histrione memoratu digna. CAP. V.

H Istrio in terra Græcia fuit fama celebri, qui gestu,& vocis claritudine & venustate cæteris antestabat:nomen fuisse aiunt POLVM: tragœdias poetarum nobilium scite atque asseuerate actitauit. Is Polus vnice amatum filiũ morte amisit.cum luctum quoniam satis visus est eluxisse,rediit ad quæstũ artis.In eo tempore Athenis Electram Sophoclis acturus,gestare vrnam, quasi cum Orestis ossibus debebat.ita compositum fabulæ argumẽtum est,vt veluti fratris reliquias ferens,Electra comploret,commiseretúrque interitum eius,qui per vim extinctus existimabatur.Igitur Polus lugubri habitu Electræ indutus ossa atque vrnã è sepulcro tulit filii: & quasi Orestis amplexus oppleuit omnia,non simulacris, neque imitamentis,sed luctu atque lamentis veris & spirantibus.itaque cum agi fabula videretur, dolor actitatus est. — Polus histrio.

ASCEN. Inora.i.sine ore. quæcũque tamen gustu prædita sunt & nutrimenta capiunt aut os aut ori quippiam simile habent,vt cõchæ & ostreæ & vermes plurimi. Ex hoc autem patet ipsos sensus quo magis subtiles sunt,eo minus necessarios esse.Adnotauit recentius Maserius:Plinium narrasse,quosdã esse homines oris formam non habentes,quibus vicarium oris est foramen,de quibus Architrenius: Sunt quibus ora breui coeunt obnoxia rima,Qua bibulis stomacho cibus inspiratur auenis : Vixque trahit cannis extorta liquamina maurus,Quem dapis irrigua mediatrix lactat arundo.Dum calami rores angusta ma millula plorat.De alijs quoque imperfectè formatis & fructuum odore tãtum educatis,alibi meminimus apud hunc Gellium.Hæc Mas.Quia vero in litera dicitur quòd gustu & tactu animalium careat nullum, gustus autem in ore est aut in illo quod oris vicarium est:præterea quia dicit per disiũctiuam inauritave, quæ tunc solet poni vbi aut alteram tãtùm partem asserendam censemus:aut vbi eandẽ rem diuersis modis eloquimur,suspicari possem ab authore scriptum esse inota,quod vocabulũ quia ex Latino & Græco non vsquequaque placuit,adiecerit inauritáve, licet sic potius dixerit aota. Cæterũ quinque sensuũ quibusdã treis ademit.proximũ est vt affirmẽ ab eo scriptũ esse aut inodora inauritáve:vt sicut dixerat cæca, sic inodora.i.non odorisequa.sicut contrà,sed in simili acceptione Maro æneid.iiij.dixit, & odora canum vis.i.vt Seruius interpretatur odorisequa.pro surdis autem dixerit inaurita. Neque sic ve inepte ponatur, maluerit enim dixisse ve quàm toties aut, vt pro eo quod esset aut cæca natura gignũtur,aut inodora aut inaurita : dixerit,inauritave. — Inodora.

Quid de quorundã sensuũ naturali defectione Aristoteles scripserit. CAP. VI.

E X quinq; sensibus,quos animantibus natura tribuit,visu,auditu,gustu,tactu, odoratu,quos Græci αἰσθήσεις,ὄψιν,ἀκοὴν,γεῦσιν,ἁφὴν,ὄσφρησιν,appellãt: quædam animalium alia alio carent: & aut cæca natura gignũtur, aut inodora,inauritave:nullum autem gigni animal Aristoteles dicit,quod aut gustus sensu careat,aut tactus. Verba ex libro eius quem περὶ μνήμης composuit,hæc sunt, τὴν δὲ ἁφὴν,καὶ τὴν γεῦσιν πάντα ἔχει,πλὴν εἴ τι τῶν ἀτελῆ ζώων. — Luctus pro ficto verus. Inora inauritave, id est, sine ore & auribus,nisi sit inodora.

ASC.EN. Si quia affatim non essent duæ partes:sed vtraque pars in vnam coaluisset,accentũ acutum à media in primã transtulit:sique ea ratio catholica est,multa quæ superius paulo enumeraui accentum mutabunt,vt de longe,deorsum,subinde,exinde,deinceps &c.Quod dicit Ad prouerbium, intelligo particulam ad dum per compositionem præponitur verbo.i.parti orationis.accipit enim prouerbium pro priore parte verbi.i.dictionis:sicut dum dicit Horatius, Verbũ non amplius addam: verbum accipit pro quauis orationis parte.Anniani mens est,ad accentum prædominantem habere,quoties incrementum notat,& augendi vim habet,& quasi valde significat.Gellij vero,tunc demũ acui cum penultima est breuis, & compositio est.Vnde admodum prima acuta dum vna est pars dicetur:Secũda,dũ duæ : vt si dicas ad modum istum &c.Num igitur.q.d.maxime nõ tamen aperte id dicit: quia vbi dura est cõpositio,vt cõpositio agnoscatur,accentus contra syllabæ quantitatem fiet:vt in adusque prima acuta, Quo modo multi apprime pronunciant,licet Gellius non probet. Dicit plurium quàm duarum:quia si duarum,licet posterior breuis sit acuetur,vt ades,adit. — Prouerb.

An affatim quasi admodum prima acuta pronunciandum sit, & quædam itidem nõ incuriose tractata super aliarum vocum accentibus. CAP. VII.

A Nnianus poeta præter ingenii amœnitates, literarum quoque veterũ & rationum in literis oppido quàm peritus,& sermocinabatur mira quadã & scita suauitate.Is affatim vt admodum prima acuta,non media pronũciabat.atque ita veteres locutos censebat:itaque se audiente, Probum grãmaticum hos versus in Plauti Cistellaria legisse dicit, — Accẽtuũ ratio. Affatim.

Potin es tu homo facinus facere strenuum?
Aliorum est affatim qui faciant.
Sane ego me volo fortem perhiberi virum.

Causamque esse huic accentui dicebat, quod affatim non essent duæ partes orationis, sed
Exaduersum. vtraque pars in vnā vocē coaluisset, sicuti in eo quoq; quod exaduersum dicimus, secundā syllabam debere acui existimabat, quoniam vna non duæ essent orationis partes. Atque ita oportere apud Terentium legi dicebat in his versibus,

" In quo hæc discebat ludo exaduersum loco
" Tonstrina erat quædam.

Addebat etiam quod, ad, prouerbium tum ferme acueretur, cum significaret ἐπίτασιν, quā in-
Adfabre. tentionem nos dicimus: sicuti adfabre, & admodum, & approbe dicuntur. Cætera qui-
Admodū. dem satis commode Annianus: sed quòd hanc particulam ad, semper cum intentionem
Adprobe. significaret, acui putauit: non id perpetuum videtur. Nam & adpotus cum dicimus, &
Adprimus adprimus, & adprime, intentio in his verbis demonstratur, neque tamen ad, particula
Adprime. Adprobus satis commode accentu acuto pronunciatur. Adprobus tamen, quod significat valde probus, non inficias eo quòd prima syllaba acui debeat. Cæcilius in comœdia, quæ inscribitur, Triumphus, vocabulo isto vtitur,

Hierocles hospes est mihi adolescens adprobus.

Num igitur in istis vocibus, quas non acui diximus, ea causa est, quod syllaba insequitur natura longior, quæ nō ferme patitur acui priorē, in vocabulis syllabarum pluriū quàm duarum? Adprimus autem longe primum L. Liuius in Odyssea dicit in hoc versu,

Adprimus Ibi denique vir summus, adprimus Patroclus.

Idem Liuius in Odyssea præmodum dicit quasi admodum,

Parcentes, inquit, præmodum.

Præmodū. Quod significat supra modum, dictúmque est quasi præter modū, in quo scilicet prima syllaba acui debuit.

ASCEN. Ab ijs &c. humatus est, id est sepultus & humo tectus. Non est ergo audiendus Bonfinis qui negat ablatiuum agentem passiuis dari, & cum eis construi.

Res vltra fidem tradita super amatore delphino, & puero amato. CAP. VIII.

Delphini pisces venerei amasij.

DELPHINOS venerios esse & amasios, non modo historiæ veteres, sed recentes quoque memoriæ declarāt. Nam & sub Cæsarib. in Puteolano mari, vt Appion scriptum reliquit, & aliquot seculis ante apud Naupactum, vt Theophrastus tradidit, amatores flagrantissimi delphini cogniti compertique sunt. neque ii amauerunt, quod sunt ipsi genus: sed pueros forma liberali, in nauiculis forte, aut in vadis littorum conspectos, miris & humanis modis arserunt. Verba subscripsi Ἀππίωνος eruditi viri, ex AEgyptiacorum libro quinto: quibus delphini amantis, & pueri non abhorrentis consuetudines, lusus, gestationes, auriga-
Appionis verba. tiones refert: eáque omnia sese ipsum multósque alios vidisse dicit. καὶ αὐτὸς δ' οὖν εἶδεν περὶ Δικαιαρχίαν δελφῖνα ἐρῶντα παιδὸς, καὶ πρὸς παιδικὴν ἐπτοημένον φωνήν. ἀτὰρ οὖν ὁ προσνηχόμενος ὁ ἰχθὺς, ἀνεδέχετο τὸν παῖδα ἐπὶ τῶν νώτων, καὶ τὰς ἀκάνθας περιστέλλων, ἵνα μὴ τοῦ ποθουμένου χρῶτα ἀμύξειε, καὶ ἱππηδὸν περιβεβηκότα μέχρι διακοσίων ἀνῆγε σταδίων. ἐξεχεῖτο δ' ἄρα ἡ Ῥώμη, καὶ πᾶσα ἡ Ἰταλία θεάσασθαι ἰχθὺν νηχόμενον ὑπὸ ἔρωτος. Ad hæc adiicit rem non
Delphinus amore perijt. minus mirandam, Postea, inquit, idē ille puer delphino amœnus, morbo affectus obiit suum diem. At ille amans, vbi sæpe ad littus solitum annauit: & puer, qui in primo vado aduentum eius opperiri consueuerat, nusquam fuit: desiderio tabuit, exanimatúsque est: & in littore iacens inuentus ab iis, qui rem cognouerant, in sui pueri sepulcro humatus est.

ASCEN. Memordi, id est absumpsi. Opponitur scilicet contra morsum. Præmorsisset licenter puto dictum. Oceecurrit pro occucurrit. Nos occurrit etiam in præterito dicimus, licet præcucurrit legatur. Hæc esse videri potest, aptius quàm vt multi loquuntur, rationem hanc esse videri potest: quia videri personale est. Tollo tetuli quondam fecit, sed pro eo sustuli aut abstuli aut tuli vtimur. Sesciderat, sic scriptum inueni: nuper impressum est, sciderat, forte scribendū est sceciderat. Ennius quoque. Credo huic loco deesse hæc verba. Descendedi à descendo declinauit: & locum citatum. quem, quia desideratur, diuinare non possumus. deinde additum est, Et Valerius Antias.

Peposci, memordi, pepugi, spepōdi, & occecurri, plerosq; veterū dixisse, non vti postea receptum est dicere, per o aut per u literam in prima syllaba positā, sed per e: atq; id græcæ rationis exemplo dixisse. Præterea notatum, quod viri non indocti neq; ignobiles à verbo descēndo non descendi, sed descendidi dixerunt.

CAP. IX.

Prima præteriti geminantia. Memordi.

P Oposci, momordi, pupugi, cucurri probabiliter dici videntur, atq; ita nūc omnes ferme doctiores huiuscemodi verbis vtuntur: sed Q. Ennius in Satyris MEMORDERIT dixit per e literam, non momorderit.

Meum, inquit, non est, at si me canis memorderit.

Item Laberius in Gallis,

De integro patrimonio
Meo centum milia numûm memordi. * * * * * *

Item idem Laberius in Coloratore,

Itaque leui * * * * * *
Pruna percoctus, simul sub dentes mulieris
Veni, bis ter memordit.

Item P. Nigidius de animalibus libro secundo,

Vt serpens si memordit, gallina deligitur, & opponitur.

Item Plautus in Aulularia,

Vt admemordi Hominem.

Præmorsi.

Sed idem Plautus in Trigeminis, non præmordisse, neque præmomordisse dixit, sed præmorsisse,

Ni fugissem, inquit, medium credo præmorsisset. * * * * * *

Item Accius in Conciliatrice,

Vrsum se memordisse autumat.

Peposci. Pepugi.

PEPOSCI quoque non poposci Valerius Antias libro Annalium XLV scriptum reliquit, Denique Licinius Trib. pleb. perduellionem ei diem dixit, & comitiis diem à Q. Martio Prætore peposcit. PEPVGERO æque Accius in AEdilitia dicit,

Sed si pepugero, metuet.

Occecurri. Spepondi.

Helium quoque Tuberonem libro ad C. Oppiū scripto, OCCECVRRIT dixisse Probus annotauit: & hæc eius verba apposuit, Si generalis species occecurrit. Idē Probus Valerium Antiatem libro historiarum XII SPEPONDERAT scripsisse annotauit, verbáq; eius hæc apposuit, Tib. Gracchus, qui Quæstor C. Mancino in Hispania fuerat, & cæteri qui pacem spoponderant. Ratio autem istarum dictionum hæc esse videri potest, quoniam Græci in quadam specie præteriti temporis, quod παρακείμενον appellant, secundam verbi literam in e plerunque vertunt γράφω γέγραφα. ποιῶ πεποίηκα, λαλῶ λελάληκα, κρατῶ κεκράτηκα. λύω λέλυκα. sic ergo mordeo memordi, posco peposci, tendo tetendi, tango tetigi, pungo pepugi, spondeo spepondi, curro cecurri, tollo tetuli facit. Sic M. T. & C. Cæsar mordeo memordi, pungo pepugi, spondeo spepondi dixerunt. Præterea inueniri à verbo scindo simili ratione non sciderat, sed sciderat dictum esse. L. Accius in Sotadicorum libro primo sciderat dicit, Verba hæc sunt,

Græca præterita. Tetuli. Secidi a scindo.

Non ergo aquila ita, vt hi prædicant, Sciderat pectus.

Ennius quoque, Et Valerius Antias in libro historiarum LXXV verba hæc scripsit, Deinde funere locato ad forum descendidit. Laberius quoque in Catulario ita scripsit, Ego mirabar quomodo mammæ mihi descendiderant.

ASCEN. Vsuscapio. nunc fere ablata s pronunciatur vsucapio, sicut & vsufructus, credā tamen vsusfructum integre dici: sicut vsuscapionem Gellius hic contēdit dicendum. lego vt hæc, & s litera. Add. Mas. Seneca vltima epist. li. xiij. ait, Negāt iurisconsulti quicquā vsucapi quod sit publicū. publicū autē id est quod tenes, & quidem generis humani. Vnde secundum eam Senecæ sententiam dici potest nullam fieri publicitus vsucapionem. De vsu aduerbij ita rectius Despoterius in syntaxi quàm in hunc locum Mosellanus scripsit.

Vt vsuscapio & copulate & recto vocabuli casu dicitur, ita pignoriscapio coniunctè & eadem vocabuli forma dictum est.

CAP. X.

Vsucapio. Pignoriscapio. Capioonis

V T hæc VSVSCAPIO dicitur copulato vocabulo, s, litera in eo tractim pronunciata: ita pignoriscapio iunctæ sunt partes, & productè dicebātur. Verba Catonis sunt ex primo epistolicarum quæstionum, Pignoriscapio ob æs militare, quod æs à Tribuno ærario miles accipere debebat vocabulum seorsum fit, per quod satis dilucet hanc capionem posse dici, quasi hanc captionem, & in vsu, & in pignore.

Cisium.

ASCEN. Sed verū hominum, qui. subauditur antecedens, ij. Quod genus pro cuius generis: sicut id genus pro eius generis, vt quod genus hominem, pro cuius generis hominem. Nam si subaudiretur hominum, vt sit quod genus hominum, non recte exponeretur per masculinum inutilem, sed per neutrum inutile: quia adijceretur ad genus, non ad hominē. Inde Cisio aduectus. sic Beroaldus in annotationibus legit, & genus vehiculi Cisium esse contendit, quod Festus birotum. i. duarum rotarū dicit, inepti bigam, cum bigæ sint à binis actæ. Maturantius autem Ciceronis interpres legit Cassia, & pro via Cassia interpretatur. Ego Beroaldo potius subscribam: quòd plus ad leuitatem hominis faciat cisio quàm Cassia aduectum. Meminit tamen Cicero in oratione pro Milon. viæ appiæ, & in secūda Philip. cassiæ secūdum interpretem. Homo misericors. amara irrisio. Idem Matur. interpretatur Catamitum, mollem, effœminatum. Catamitū, inquit Festus, pro Ganymede dixerunt qui fuit Iouis concubinus, & nos sic vocamus scorta mascula & Beroaldus subiungit idē. Pueros meritorios & scorta mascula vocat Catamitos, Valla reclamante, dicētéque: Quidam aiunt hos pueros catamitos dici, quod mihi non videtur sed potius cōcubinos: meritorij nāque vt meretrices merent. Plautus in Menæch. Dic mihi nunquid tu vidisti tabulam pictā in pariete vbi aquila catamitum raperet, aut vbi Venus Adonim? Ad græcam originem catamischos scriberetur. Apprime summo genere. noue duo superlatiua iunxit: sed aut apprime pro facile dixit, aut summo pro alto. Nequam vt prius dixi est homo qui nequicquam ad frugē facit, non tam quòd luxuriosus quàm inutilis. Sed & luxuriosum hic nequā vocari constat. Qui spondet mille nummū. i. quis pro te cautionē mille nummum faciet, qua spondeat te purgandum à nequitia & malitia. Dicit qui non quis spondet, quia sequente s ne sit sibilus in eius frequentia dicitur qui pro quis: vt nec qui sim quæris Alexi.

Catamitus.

Apprime summum.

Nequam.

Neque leuitatem, neque nequitiam ea significatione esse qua in vulgi sermonibus dicuntur. CAP. XI.

Leuitas. Nequitia. Leuis. Nequam.

LEVITATEM plerunque nunc pro inconstātia & mutabilitate dici audio, & nequitiam pro solertia astutiaq;. sed veterum hominū qui proprie atq; integre locuti sunt, LEVES dixerunt, quos vulgo nunc viles, & nullo honore dignos dicimus: & LEVITATEM appellauerunt perinde quasi lenitatem. Et NEQVAM hominem, nihili, neq; rei neque frugis bonæ: quod genus Græci fere ἄσωτον, ἢ ἀκόλαστον, ἢ ἀχρεῖον, ἢ ἄχρηστον, ἢ κακότροπον, ἢ μωρὸν dicunt. Qui exempla horum verborū requirit, ne in libris nimis remotis quærat, inueniet ea in M. Tullii secunda Antonianarū. nā cū genus quoddā sordidissimū vitæ atque victus M. Antonii, idem demonstraturus esset, quòd in caupona delitesceret, quòd ad vesperum perpotaret, quòd ore inuoluto iter faceret ne cognosceretur: hæc & alia eiusmodi cum in eum dicturus esset, Videte, inquit, hominis leuitatem. Tanquam prorsus ista dedecora hoc vitio in homine notarentur. At postea cum in eundem Antonium probra quædam alia ludibriosa & turpia ingessisset, ad extremū hoc addidit, O hominē nequam, nihil enim magis proprie possum dicere. Sed ex eo loco M. Tullii verba compluscula libuit ponere, At videte leuitatem hominis: cum hora diei decima fere ad Saxa Rubra venisset, delituit in quadam cauponula, atque ibi se occulens perpotauit ad vesperum. Inde cisio celeriter ad vrbem aduectus, domū venit ore inuoluto. Ianitor rogat, quis tu? A Marco tabellarius: confestim ad eam, cuius causa venerat, deducitur, eique epistolam tradit. Quam illa cum legeret flens (erat enim scripta amatorie: caput autem literarum hoc erat, sibi cum illa mima posthac nihil futurum: omnem se amorem abiecisse illius, atque in hāc trāsfudisse) cum mulier fleret vberius, homo misericors ferre non potuit: caput aperuit, in collum inuasit. O hominem nequam, nihil enim magis proprie possum dicere. Ergo vt te catamitum, necopinato cum ostendisses, præter spem mulier aspiceret, idcirco vrbem terrore nocturno, Italiam multorum dierum metu perturbasti? Cōsimiliter Q. quoq; Claudius in primo Annalium, nequitiam appellauit luxum vitæ prodigum effusūmq;, in hisce verbis, Persuadenti cuidam adolescenti Lucano, qui apprime summo genere natus erat: sed luxuria & nequitia pecuniam magnam consumpserat. M. Varro in libris de Lingua Latina, Vt ex non & volo, inquit, nolo fit: sic ex ne & quicquam, media extrita syllaba, compositum est nequam. P. Africanus pro se contra Tib. Asellium de multa ad populum, Omnia mala, probra, flagitia, quæ homines faciunt, in duabus rebus sunt, malitia atque nequitia. vtrum defendis, malitiam an nequitiam? an vtrunque simul? Si nequitiam defendere vis, licet. Sed tu in vno scorto maiorem pecuniā absumpsisti, quàm quanti omne instrumentum fundi Sabini incensum dedicauisti. Si hoc ita est, qui spōdet mille numûm? Sed tu plus tertia parte pecuniæ paternæ perdidisti atque absumpsisti in flagitiis. Si hoc ita est, qui spondet mile numûm? Non vis nequitiam? Age malitiam saltem defende: tu verbis conceptis iurasti sciens, sciente animo tuo. Si hoc ita est, qui spondet mile numûm?

Nolo. Nequam.

Malitia.

ASCEN. χειριδωτὺς. i. manicatas. Inuerse legitur in Calepino Chirodita pro chiridota. sed sic etiam in Iulio Capitolino in vita Pertinacis repertum dicit & emendat Baptista Pius annotation.post.ca. lviij. Verba Capitolini sunt, Penulasque lacernas & chirodita Dalmatarum & cirratas militares, & bardia cos cucullos. Vbi scribendum est chiridotas. Sunt enim (inquit) chiridotæ vestes manicatæ. quas Plautus innuit sic scribēs, Manuleatam tunicā habere hominem addecet &c. Licet autem græcis in prima syllaba ei scribatur, profertur tamē i, & ita fere nostris scribitur quēadmodum idus pro eidus, idolum pro eidolo &c. Indecere. sic lego non indecorem, quia contraria notant. indecorem enim struitur: aut legatur in deco rem diuisis dictionibus. i. ad ornatum sup. esse, quod non minus placet. Citra humerum desinentes. i. nō ad-humeros vsque pertingentes, quali veste quondam Alemanni & nunc Galli quidam operiuntur, qui humeros fere nudos habent. sed nūc Alemāni collum sic pannis includūt, vt nisi intercisi sint flecti nequeāt. Fœminibusque subuulsis. i. non rasis modo, sed vulsis extracta pube. Subuulsis dicit aut in occulto vulsis, aut partim vulsis. Chiridota. i. manicata, vt mulierē decet. Inferior qui etiā amicæ locus est. Virosus. i. immūdi & pestiferi fœtoris: qui ex abominabili venere cōtrahitur plenus. Quin idē fecerit. i. quin ceuere soli tus sit, aut verenda aut verecunda mēbra inuerecunde mouerit, dum pathicū se gesserit. Prisci etiā discinctos censebant molles. Virg. æneí. viij. discinctos mulciber aphros: quem imitatus Sillius in primo, Discinctos inter libycos. Cicero quoque rogatus quomodo in partium electione errasset, respondit, discinctura me fefellit. Putabat enim Cæsarē discinctum mollem esse, nec ab eo Pompeiū bene cinctum vinci posse. Discincti.

De tunicis χειριδωτοῖς manicatis, quòd earum vsum P. Africanus Sul. Gallo obiecit. CAPVT XII.

Tunicæ manicatæ dedecores

TVnicis vti virum prolixis vltra brachia, & vsque in primores manus, ac prope in digitos, Romæ atque omni in Latio indecorum fuit. Eas tunicas græco vocabulo nostri χειριδωτὺς appellauerunt. Fœminisque solis vestem longe lateque diffusam indecorem existimauerunt, ad vlnas cruraque aduersus oculos protegenda. Viri autem Ro. primo quidē sine tunicis toga sola amicti fuerunt, postea substrictas & breueis tunicas citra humerum desinentes habebant: quod genus Græci dicunt ἐξωμίδας. Hac antiquitate inductus P. Africanus Pauli filius, vir omnibus bonis artibus atque omni virtute præditus, P. Sulpitio Gallo homini delicato inter pleraque alia quæ obiectabat, id quoque probro dedit: quòd tunicis vteretur manus totas operientibus. Verba sunt hæc Scipionis, Nam qui quotidie vnguentatus aduersus speculum ornetur, cuius supercilia raduntur, qui barba vulsa, fœminibusque subuulsis ambulet, qui in conuiuiis adolescentulus cum amatore, cum chiridota tunica inferior accubuerit, qui non modo vinosus, sed virosus quoque sit: eum ne quisquam dubitet, quin idem fecerit, quod cinædi facere solent? Virgilius quoque tunicas huiuscemodi quasi fœmineas ac probrosas criminatur. Et tunicæ (inquit) manicas, & habent redimicula mitræ. Exomides

Q. quoque Ennius Carthaginensium tunicatam iuuentutem non videtur sine probro dixisse.

ASCEN. Classicos summos in suo ordine viros vocabant, & ita Beroaldus: Mille (inquit) reperies apud classicos & primæ dignitatis authores &c. Contrà infimos proletarios vocitabant, quòd in nulla classe erant, sed prole duntaxat gignenda & ad militiam educanda remp. iuuabant. Erant autem Romani in quinque classes distributi.

Quem classicum dicat M. Cato, quem infra classem. CAPVT XIII.

Classici & Infra classem.

CLASSICI dicebantur omnes qui in classibus erant, sed primæ tantum classis homines, qui C & XXV milia æris ampliusve censi erant. Infra classem autem appellabantur, secundæ classis, cæterarumq; omnium classium, qui minori summa æris quàm supra dixi, censebantur. Hoc eò strictim notaui, quoniam in M. Catonis oratione, qua Voconiam legē suasit, quæri solet, quid sit classicus, quid infra classem.

ASCEN. Petrus Crinitus lib. xxij. cap. iiij. de ho. disci. Macrobianā taxans, vt sic dicā, ingratitudinē quòd hæc fere recitat nō expresso autoris nomine: multa disputat de Carneade, Critolao, & Diogene. Macrob. iiij. dicendi genera esse vult Satur. v. de quibus lege etiā Crinit. lib. viij. cap. iij. Et Macrob. Satur. Libri eorum in manibus iam sunt omnium. Addidit Mase. Gellius in hoc. vij. citatur à Cælio cap. xxxix. lib. xij. dicente verba byssina esse sublimia & magnifica, nitorem atque authoritatem habentia: ea enim maxime sunt interdum oratori necessaria. Hæc sane magnificentia non est omnibus locis accommoda:

Orator optimus.

quoniam sunt quædam partes causæ verba humilia desiderantes. Vbi docet idem Cælius optimum esse illum oratorem, qui dicendo animos audientium docet, delectat, permouet. Docere enim debitum est, delectare honorarium, permouere vero necessarium. Hi sunt quos exhorrescunt homines, quos stupent dicentes, in quibus exclamant, quos deos inter homines (vt ita dicam) putant. Oropa Volaterra. meminit dicens vrbem vocatam Græama cura cuiusdam fœminæ: monoropum. Strabo diuidit: vtrumque lege. Plutarch. in Cat. Cens. ait, Ea tempestate, qua Cato iam grandis erat natu, Carneades academicus, Diogenes stoicus philosophus legati Athenis Romam venere, vt Atheniensium ciuitatem quingentis talentis, quibus Cecropiorum postulatione à Sicyonijs indicta causa multata fuerat, liberarent, & cætera quæ sequuntur plurima: nec Critolai meminit.

De tribus dicendi generibus, ac de tribus philosophis qui ab Atheniensibus ad Senatum Romam legati sunt. CAPVT XIIII.

Dicēdi genera tria. Stylus vber, Gracilis, Medius. Vitia contraria. Pacuuio vber, Lucilio gracilis, Terentio mediocris est stylus. Vlyssi vber. Subtile in Menelao. Moderatū in Nestore. In legatis Atheniensium.

ET in carmine, & in soluta oratione genera dicendi probabilia sunt tria, quæ Græci χαρακτῆρας vocant: nominaque eis fecerunt ἁδρὸν, ἰσχνὸν, μέσον. Nosq; quem primum posuimus, VBEREM vocamus: secundum, GRACILEM: tertium, MEDIOCREM. Vberi, dignitas atque amplitudo est: Gracili, venustas & subtilitas. Medius in confinio est vtriusque modi particeps. His singulis orationis virtutibus vitia agnata sunt pari numero, quæ earū modum & habitum simulacris falsis ementiuntur. sic plerunque sufflati atq; tumidi fallunt pro vberibus: squalentes & ieiuni dicti pro gracilibus: inferti & ambigui pro mediocribus. Vera autem & propria huiuscemodi formarum exempla in latina lingua M. Varro esse dicit, vbertatis Pacuuium, gracilitatis Lucilium, mediocritatis Terentium. Sed ea ipsa genera dicendi iam antiquitus tradita ab Homero sunt tria in tribus, Magnificum in Vlysse & vber est: subtile in Menelao, & cohibitum: mistum moderatumque, in Nestore. Animaduersa eadem tripertita varietas est in tribus philosophis, quos Athenienses Romam ad Senatum P. Q. R. legauerant, impetratum vti multam remitterent, quā fecerant propter Oropi vastationem. ea multa fuerat talentum fere quingentum. Erant isti philosophi, Carneades ex academia, Diogenes stoicus, Critolaus peripateticus. & in Senatum quidem introducti interprete vsi sunt Cæcilio Senatore. sed ante ipsi seorsum quoque quisque ostentandi gratia magno conuentu hominum dissertauerunt. Tum admirationi fuisse, aiunt Rutilius & Polybius, philosophorum trium sui cuiusque generis facundiam. Violenta, inquiūt, & rapida Carneades dicebat, scita & teretia Critolaus, modesta Diogenes & sobria. vnumquodque autem genus, vt diximus, cum caste pudiceque ornatur, fit illustrius: cum fucatur atque prælinitur, fit præstigiosum.

ASCEN. Paulus iuriscōsultus ait digest. de furt. Qui iumenta sibi cōmodata longius duxerit aliove modo inuito domino vsus fuerit, furtum facit. Si id vsus est. antique dictum est. nos eo vsus est dicimus.

Quàm seuere moribus maiorū in fures vindicatū sit: & quid scripsit Mutius Scæuola super eo quod seruandum datum, cōmodatumue esset. CAP. XV.

LAbeo in libro de duodecim tabulis secundo, acria & seuera iudicia de furtis habita esse apud veteres scripsit, idque Brutum solitum dicere, Furti damnatū esse qui iumentum aliorsum duxerat, quàm quò vtendum acceperat. Item qui longius produxerat, quàm quem in locum petierat. Itaque Q. Scæuola in librorum, quos de iure ciuili composuit XVI, verba hæc posuit, Quod cui seruandum datum est, si id vsus est: siue quod vtēdum acceperit, ad aliā rem atque accepit, vsus est, furti se obligauit.

Attagen. Pelamis.

ASCEN. De hac re lege Macrobium de pontificali cœna lib. iij. Item Lud. Cælium lib. xv. cap. vij. Pauus dicitur & Pauo. Capus doctis, & vulgo Capo. Attagena dicitur etiam Attagen & Attagis quibusdam, auis est in Asia delicata admodum. de qua Beroaldus inter adnotata in Ouidij elucidationem dicit sic, Attagen auis est asiatica inter nobilissimas habita. Ionicus vero ab Ionia parte Asiæ dictus est Attagen. Vnde Plin. Attagen maxime ionicus celebratur vocalis ales, captus vero obmutescens, quondam existimatus inter raras aues. Grues melicæ ex Melo insula. Ex Ambracia quæ est pars Epiri. nūc vrbs vicina dicitur Nicopolis à victoria Augusti de Antonio. Pelamis ἀπὸ τοῦ πηλοῦ, id est luto vt inquit Festus, est piscis qui peracto anno Thynnus vocatur. Chalcedonia autem est ex opposito ad Byzantium vrbs iuxta Bosphorum Thracium, cuius incolæ Cæci dicti sunt quòd non congruum elegerint locum. Thartesia à thartesso vel thartesso in Hispania. Aselli etiam pisces sunt dicti à loco Pessinuntij. Sane vt dicit Calepinus Pessimon emporium est Phrygiæ celebratissimum, habens templum magnæ matris deūm. sed alijs declinatur Pessimus Pessimuntis vt Opus Opuntis: alijs Pessinus Pessinuntis

Pessinuntij igitur.i.Phrygij.Pectunculus Chius.laudatur etiam Taretinus. vnde Horat. Pectinibus patrijs iactat se molle Tarentum.Helops acipenser.Scarus piscis vnus omnium ruminans autore Plinio, in mari Carpathio & Ciliciæ capitur.Nuces Thasiæ.amygdalæ,à Thaso Thraciæ insula.Glans Iberica.glãs phagi arboris Pli.lib.xvj.dulcissima est.sunt tamen qui quia in Hispania optimæ sunt nucellæ quas auellanas vocamus,eas signari putent.Diuus(inquit Mas.)Hieronymus gloriosissimus christianæ fidei athleta testimonio D.Augustini & sanctæ matris ecclesiæ lapis angularis in quo firmata modo consistit,secundo tractatu contra Ioui.cap.xxxiiij.ostendit animantia non statim ad comedendum creata,sed in alios vsus hominum,& ea citat,capras,ceruulos, damas,ficedulas,attagenes,fulicas,turdos &c.& in sequenti cap. similiter in.xxxvj.tamen male scribitur,Et quo modo attagen,ficendula,mullus,scarus,in delitiis computantur, legẽdũ est enim ficedula. Cæl.cap.xxxj.lib.v.multis ostendit quæ edulia habeantur præstantissima & vnde sumãtur.In quo capite cum dicit,Murena è freto:tu adde siculo:ea enim dictio deest. Is autem Cælius vbi multa nominauit edulia,tandem concludens ait,Sed nos ab hoc genus indagine resilire optimũ est,ne gulæ mancipatis fomenta curiosius solicitiusque conquisiuisse videamur,qui terra pascũtur & mari.quorum ventri(ait Plin.) nauigatur ad phasim,quo nomine,vt Seneca grauissime dixit, animaliũ nõ hominum numero habendi sunt,quidam vero abditi in ganeis etiam mortuorum . Quibus verbis Pandæsiã Mazamque & omne conuiuium adijciale & ganeatum excuratumque & saliare detestatur , ipsum lege: & nonnihil videbis aut additum aut inuersum.Lege eundem capite.vij.lib.xv. vbi docet qui opsodædali, quique dicantur gastrologi.Meminit & in Philol.Volaterranus.

Pecten. — Gulæ proceres taxãtur.

Locus excriptus è satyra M.Varronis,quæ περὶ ἐδεσμάτων inscripta est, de peregrinis ciborum generibus:& appositi versus Euripidis,quibus delicatorum hominum luxuriantem gulam confutauit.

CAPVT XVI.

VArro in Satyra quam περὶ ἐδεσμάτων,id est, de cibis peregrinis,& lautitiis inscripsit, lepide admodum & scite factis versibus cœnarum ciborumque exquisitas delitias comprendit. nam pleraq; id genus quæ helluones isti terra & mari conquirunt exposuit, cõclusitq; in numeros senarios.Et ipsos quidem versus cui ocium erit,in libro quo dixi positos legat.Genera autem nominaque edulium,& domicilia ciborum omnibus aliis præstantia,quæ profunda ingluuies vestigauit,quæ Varro opprobans executus est, hæc sunt ferme quantum nobis memoriæ est:Pauus è Samo, Phrygia Attagena,Grues Melicæ, Hœdus ex Ambrachia,Pelamis Chalcedonia , Murena Tartesia , Aselli Pessinuntii , Ostrea Tarentina , Pectunculus Chius, Helos Rhodius , Scari Silices , Nuces Thasiæ , Palma AEgyptia,Glans Iberica.Hanc autem peragrantis gulæ & in succos insuetos inquirentis industriam , atque has vndique vorsum indagines cupediarum maiore detestatione dignas censebimus, si versus Euripidi recordemur, quibus vtebatur sæpissime Chrysippus philosophus tanquam edendi iritationes quasdam repertas esse , non per vsum vitæ necessarium, sed per luxum animi parata atque facilia fastidientis per improbam satietatis lasciuiam. Versus Euripidi adscribendos putaui,

Pauus. Attagena. Grues. Hœdus. Pelamis. Murena. Aselli, Ostrea. Pectunculus. Helops. Scarus, Nuces, Palma, Glans.

Ἐπεὶ τί δεῖ βροτοῖσι πλὴν δυεῖν μόνον,
Δήμητρος ἀκτῆς, πώματός θ' ὑδροχόου, »
Ἅτινα πάρεστι καὶ πέφυχ' ἡμᾶς τρέφειν, »
ὧν οὐκ ἀπαρκεῖ πλησμονή. τρυφῇ δέ τοι »
Ἄλλων ἐδεστῶν μηχανὰς θηρώμεθα. »

ASCEN. Quẽpiam Gellius passim pro quẽdã ponit,de certo enim sibi loquitur: vnde Valla mallet quendam dicere.Obnoxius inquit Festus,is proprie dicitur qui pœnæ obligatus est ob delictum. q. d. ob noxam aut noxiam.Accipitur autem pro obligato & deuincto. Interdum videtur dici quasi obnubilatus & obscurus,ab ob & nocte,& ita Plautinum illud plane non obnoxie.i.non obscure, exponit Calepinus. Et sic dicta videtur,Nec fratris radijs obnoxia surgere luna.i.obscura . Ego vero non video quomodo luna fiat obnoxia. i. obscura radijs fratris.i.solis . Ideo puto obnoxium dici deuinctum & obligatũ alicui quasi ab eo noxæ dedi posset:& quia obnoxij. i. sic deuincti morigeri sunt , ideo dixit Sallustius de Fuluia,quòd Curius adolescẽs Romanus illi interdũ ferro minabatur nisi sibi obnoxia foret .i. quasi obnoxia morem gereret & obsequeretur.Verum quia obnoxij non sponte sed coacti inseruiunt : & ità non vero sed simulato animo morem gerunt,videtur Plautus dixisse,perisse illum plane, id est omnino & vere non obnoxie.i.ficte & simulanter.A Virgilio autem dicitur luna non obnoxia surgere radijs solis, quia in illos cum eclipsim nullã fecerit nihil noxie cõmiserit.Audibis male,Antique sicut apud Plau.sepelibis, & sentibis & scibis,& alia legimus.Maserius plurima præter hæc ad hunc locum adnotauit. Primum non Catilinam sed Curium Fuluiæ interminari solitum.Deinde vbi in litera dicitur experiundi, nõ recte Vallã sensisse tantũ in tertia coniugatione e mutari in u.Et contra Seruium dicentẽ noxiam esse culpã,noxã autẽ pœnam, addueit Beroaldum asserentem noxam frequentius poni pro culpa,interdum pro dãno. Et in Beroaldũ addentẽ noxiam frequentius adiectiue poni:cõtendit nõ raro substãtiue poni, dicens , Quin substatiuũ fit,nemo inficiari potest,quãdo Terentius in Phormione dicat , In re incipiunda ad defendẽdã

Obnoxius

noxiam,licet donatus dicat epenthesin illic factam. Et in Eunucho legendum est, vnam hanc mitte noxiam,vt ratio versus iambici docet.Et contra Pium docet in Plauto non legendum obnixe, sed obnoxie. Virgilij autem locum,Iuuat arua videre Non rastris hominum,non vlli obnoxia curæ: exponit non subiecta labori,quando non est opus arare:nec ea curare,ergo non obnoxia.i.non indiga.Ad illum autẽ,Nec fratris radijs obnoxia surgere luna:adnotauit distichum quod ad illius imitationem in horamate scripsit. Et iuuat oppositis radijs obnoxia fratris Vibrarat medio cornua tracta polo.Ad illud autem Plauti Maximas optimitas & gaudio effertissimas:dicit sic,Pius in Asinariam Plauti ait.legi enim aliquando optimitates:sed refragante Gellio,sententiam mutaui,itaque cum eodem leges optimitas.i.opulentias. In tertio autem versu vbi dicitur,Deuota vt ætate, legendũ est, Adeo vt ætatẽ,quod est verbum Plautinũ.ait enim Plautus in eadẽ comœdia AEtatem velim seruire Libanum vt conueniam modo.Qua locutione vtitur & Terentius in eunucho.Iãdudum ætatem lites factæ sunt inter eos,aut interfactæ sunt eos, vt quidam ponunt:non animaduertentes m in dictione iãdudum posse integram & non collisam persistere, & tribrachum in sede nouissima resolui posse in iambum.Perpulchra sane est Cæciliani nouissima sententia. Cui similis est illa diui Hieronymi, Quum dixeris quæ vis,audies quæ non vis.Sic Terentius, Si mihi pergit dicere quæ vult,quæ non vult audiet.Idem alibi,Desinant maledicere, malefacta ne noscant sua. Idemque in prologo Phorm.Benedictis si certasset, audisset bene.Et sequitur,Quod ab illo allatum est, id sibi relatum putet. Quem locum citans Despauterius,ait post Donatum relatum debere scribi geminato ll,rellatum: quasi iambicus versus nequeat habere in quarta sede tribrachum. Omissa igitur citata Lucretij authoritate,qua idem recte probat rellatum scribi posse, si Donatus asserit l geminari in dictione rellatum,legendum est,Quod ab illo allatum,id relatum putet,nec collidetur, in dictione sibi: verior est tamen prior & sincerior lectio.Ex Homero illud est tralatitiũ, Talia dicentur tibi,qualia dixeris ipse. Et ex Hesiodo, Fors mala dicenti dicentur plura vicissim. Alia refert simila Erasmus in prima Chil. Nec omittendum est quod Aristippus cuidam conuiciatori responderit:Tu maledicendi dominus, ego audiẽdi.Laudatius enim est audire male dicentem quàm male dicere:non enim sine vitio maledicas, nec sine laude maledicentem audias, modo patiens & immeritus id feceris.

Maledicẽdũ nõ esse

Sermo habitus cum grãmatico insolentiarũ & imperitiarum pleno,de significatione vocabuli,quod est obnoxius,deque eius vocis origine. CAPVT XVII.

PErcunctabar Romæ quẽpiã grãmaticum primæ in docendo celebritatis, nõ hercle experiundi vel tentandi gratia,sed discendi magis studio & cupidine,quid significaret obnoxius, quæq; eius vocabuli origo ac ratio esset.Atq; ille aspicit me, illudens leuitatem quæstionis paruitateq;,Obscuram, inquit,sane rem quæris,multaq; prorsus vigilia indagandam. Quis adeo tam linguæ latinæ ignarus est,qui nesciat eum dici obnoxium, cui quid ab eo, cui esse obnoxius dicitur,incommodari & noceri potest:et,qui habeat aliquem noxæ,id est culpæ suæ cõscium?Quin potius,inquit,hæc mittis nugalia, & affers ea quæ digna quæri tractarique sint.Tum vero ego permotus,agendum iam oblique,vt cum homine stulto existimaui. Et cætera,inquam, vir doctissime, & grauiora remotioraque si discere & scire debuero,quãdo mihi vsus venerit,tũ quærã ex te,atq; discã. Sed enim quia dixi sæpe obnoxius,& quid dicerẽ nesciui,didici ex te,& scire nũc cœpi:quod nõ ego omniũ solus, vt tibi sum visus,ignoraui:sed vt res est, Plautus homo linguæ atq; elegantiæ in verbis latinæ princeps,quid esset obnoxius, nesciuit.versus enim est in Sticho illius ita scriptus,

Obnoxius

Plauti præconium.

„ Nunc ego hercle perii plane,non obnoxie.

Quod minime cõgruit, cum ista quam me docuisti,significatione.Composuit enim Plautus tanquam duo inter se cõtraria plane & obnoxie:quod à tua significatione longe abest. At ille grammaticus satis ridicule, quasi obnoxius,& obnoxie,non declinatione sola,sed re atque sententia differrent: Ego, inquit, dixi quid esset obnoxius, non quid obnoxie. At tunc ego admiratus insolentis hominis inscitiam,Mittamus,inquam,sicuti vis, quòd Plautus obnoxie dixit. sed si id nimis esse remotum putas,atque illud quoque prætermittamus, quod Sallustius in Catilina scribit,Minari etiã ferro, ni sibi obnoxia foret. & quod videtur vobis peruulgatius esse,id me doce.versus enim Virgilii sunt notissimi,

„ Nam neque tunc astris acies obtusa videri,
„ Nec fratris radiis obnoxia surgere luna.

Quod tu ais,culpæ suæ conscium. Alio quoque loco Virgilius verbo isto vtitur,à tua sententia diuerse, his versibus,

„ Iuuat arua videre
„ Non rastris hominum,non vlli obnoxia curæ.

Cura enim prodesse aruis solet,non nocere:quod tu de obnoxio dixisti. Iam vero illud etiam Q.Ennii quo pacto congruere tecum potest?quod scribit in Phœnice in hisce versibus,Sed virum vera virtute viuere animatum adiecit fortiter,

Eumque innoxium vocare. aduersus aduersarios "
Ea libertas est, qui pectus purum, & firmum gestitat. "
Aliæ res obnoxiæ nocte in obscura latent. At ille oscitans, & hallucinanti similis. "
Nunc, inquit, mihi operæ non est: cum ocium erit reuises ad me, atq; disces, quid in verbo isto & Virgilius, & Sallustius, & Plautus, & Ennius senserint. Et nebulo quidem ille, vbi hoc dixit, digressus est. Si quis autem volet non originem solam verbi istius, sed significationem quoque eius, varietatemque recensere: vt hoc etiam Plautinum spectet, adscripsi versus ex Asinaria,

Maximas optimitas, & gaudio effertissumas — Optimitas
Suis heris ille mecum vna pariet, gnatoque & patri.
Deuota vt ætate ambo ambobus nobis sint obnoxii,
Nostro deuincti beneficio.

Qua vero ille grammaticus finitione vsus est, ea videtur in verbo tam multiplici, vnam tantummodo vsurpationem eius notasse, quæ quidem congruit cum significatu, quo Cæcilius vsus est in Chrysio in his versibus,

Quanquam ego mercede hic conductus tua aduenio, "
Ne tibi me esse ob eam rem obnoxium reare. "
Audibis male, si male dicis mihi. "

ASCEN. Libram & selibram. i. semilibram. & sic forte legendum est: nisi per syncopam selibram pro semilibram dicere liceat: quod certe credo, & Calepinus asserit. Deiurio. i. sancto iureiurando (nam iuramentum vix dicitur) quasi per deum facto. deierare enim est sancte iurare: peierare est iurando periurium facere. i. mendacium iuramento affirmare. Pius papa ait vnum ex illis periuris ad Annibalem remissum: execraturque Othonis præsulis Maguntini perfidiam in Albertum Francorum seu Franconum ducem non multum absimilem Romanorum. vide eum cap. xxxix. in descriptione Europæ.

De obseruata custoditaq; apud Romanos iurisiurandi sanctimonia, atq; inibi de decē captiuis quos Annibal Romam deiurio ab iis accepto legauit. CAP. XVIII.

IVSIVRANDVM apud Romanos inuiolate sancteque habitum, seruatumq; est: id & moribus legibusque multis ostēditur: & hoc, quod dicemus, ei rei non tenue argumentum esse potest. Prælio Cannēsi Annibal Carthaginensium Imperator, ex captiuis nostris electos decē Romā misit, mandauitque eis, pactusq; est, vt si Po. Ro. videretur, permutatio fieret captiuorum: & pro iis, quos alteri plures acciperent, darent argenti pondo, libram scilicet & selibram. Hos prius quàm proficerentur, iureiurando adegit redituros eos esse in castra Punica, si Romani captiuos non permutarent. Veniunt Romam decē captiui. mandatum Pœni Imperatoris in Senatu exponunt, permutatio Senatui nō placita, parentes, cognati, affinesque captiuorum amplexi eos, postliminio in patriā redisse dicebant, statumque eorum integrum incolumemque esse: ac ne ad hostes redire vellent, orabant. Tum octo ex iis postliminium iustum nō esse sibi responderunt, quoniam deiurio vincti forent: statimque vt iurati erant, ad Annibalē profecti sunt. duo reliqui Romæ manserunt, solutosque esse sese ac liberatos religione dicebant: quoniam cum egressi castra hostium fuissent, commenticio consilio regressi eodem die, tāquam si ob aliquam fortuitam causam issent, itaque iureiurando satisfacto rursum iniurati abissent. Hæc eorum fraudulenta calliditas tam esse turpis existimata est, vt contempti vulgo discerptique sint, Censoresque eos postea omnium notarum & damnis & ignominiis affecerunt: quoniam quod se facturos deierauerant, non fecissent. Cornelius autem Nepos in libro exemplorum V, id quoque literis mandauit, multis in Senatu placuisse, vt ii, qui redire nollent, datis custodibus ad Annibalem deducerentur: sed eam sententiam numero plurium quibus id non videretur, superatam: eos tamen, qui ad Annibalem non redissent, vsqueadeo intestabiles inuisosque fuisse, vt tædium vitæ ceperint, necēque sibi consciuerint.

Iusiurādū Ro. inuiolatum. Captiui decē Ro. — Deiuriū. — Necē sibi cōsciuerūt perfugi.

ASCEN. Pro huius cap. explanatione legatur Plinius siue Suetonius de viris illustribus, & Val. Maxi. de moderatione animi. Plutarchus etiam in vita Gracchorum ait T. Gracchum tantopere Corneliam vxorem dilexisse, vt sua eam morte liberarit. Peculatus est pecuniæ publicæ furtum, vt ex præda nimis ampla receptio, & ærarij defraudatio.

Historia ex Annalibus de Tiberio Sẽpronio Graccho sumpta, patre Gracchorũ Trib. pleb.atq; inibi tribunitia pleb.decreta cum ipsis verbis relata. CAP. XIX.

Tib.Sempronij Gracchi exemplũ.

PVlchrum atque liberale,atque magnanimum factum TIB. SEMPRONII GRACCHI, in exemplis repositum est. Id exemplum huiusmodi est, L. Scipioni Asiatico, Scipionis Africani superioris fratri, cũ M. Minutius Augurinus Trib.pleb.multam irrogauit,eumque ob eam causam prædes poscebat:Scipio Africanus,fratris nomine,ad collegium Tribunorũ prouocabat,petebatque vt virum consularem,triũphalem que à collegæ vi defenderent, octo Tribuni cognita causa,decreuerunt. Eiusque decreti verba quæ posui,ex Annalium monumentis excripta sunt, Quòd P.Scipio Africanus postulauit pro L.Scipione Asiatico, fratre,cum contra leges,contraq; morem maiorum Trib. pleb. hominibus accitis per vim inauspicato sententiã de eo tulerit,multãque nullo exemplo irrogauerit, prædesque eum ob eam rem dare cogat:aut si non det,in vicula duci iubeat: vt eum à collegæ vi prohibeamus,& quod contra collega postulauit,ne sibi intercedamus,quo minus suapte potestate vti liceat,de ea re nostrum sentẽtia omnium data est,Si L. Cornelius Scipio Asiaticus, collegæ arbitratu prædes dabit collegæ, ne eum in vincula ducat intercedimus: si eius arbitratu prædes non dabit, quo minus collega sua potestate vtatur, non intercedemus. Post hoc decretum, cum Augurinus Trib. pleb.L. Scipionem prædes nõ dantem prehendi,& in carcerem duci iussisset:tum Tiberius Sẽpronius Gracchus Trib. pleb. pater Tiberii atque C. Gracchorum cum P. Scipioni Africano inimicus grauis ob plerasque in Repub.dissensiones esset,iurauit palam in amicitiam inque gratiam se cum P.Africano non redisse: atque ita decretum ex tabula recitauit. Eius decreti verba hæc sunt,Cum L.Cornelius Scipio Asiaticus triumphans,hostium duces in carcerem coniectauerit: alienũ videtur esse à dignitate Reipub.in eum locũ imperatorem Po.Ro.duci, in quẽ locũ ab eo coniecti sunt duces hostiũ.Itaq; L.Corneliũ Scipionẽ Asiaticũ à collegæ vi prohibeo.Valerius autẽ Antias contra hanc decretorum memoriam,contraq; authoritates veterum Annalium,post Africani mortem,intercessionem istam pro Scipione Asiatico factam esse à Tiberio Graccho dixit: neque multam irrogatam Scipioni,sed damnatum eum peculatus ob Antiochenam pecuniam:quia prædes non daret,in carcerem duci cœptum, atque ita intercedente Graccho exemptum.

Decretũ Trib.pl.

Decretum Sẽpronij pro inimico.

ASCEN. Nola iugo.vt adnotauit Mas.errauit in syllaba prima Prudentius, dicens Concurrit Samnitis atrox habitator & altæ Campanus Capuæ,iãque Nolanus adest.Idẽ adnotauit(vt fere hæc omnia) Seruium in illud AEneid. vij.Et quos maliferæ despectant mœnia Bellæ, scripsisse nomine bellæ à plerisque intelligi Nolam:sed eius nomẽ suppressum quòd à Nolanis hospitio susceptus non fuisset.Alios autem voluisse per synalœphẽ legi mœnia bellæ pro mœnia abellæ. Abella enim vrbs est supra Neapolim vnde nuces auellanæ quasi abellanæ dictæ.Quo in loco Seruium reposuit: nam vulgo mœnia bellæ pro mœnia abellæ legitur,vbi in secundo recte admonuit legendum abellæ.

Abella. Auellanæ.

Quòd Virgilius à Nolanis ab aquã sibi non permissam,sustulit ẽ versu suo,Nola, & posuit ora:atq; ibi quædam alia de consonantia literarum iucunda. CAP. XX.

SCriptum in quodam commẽtario reperi versus istos à Virgilio ita primũ esse recitatos,atque editos,

Talem diues arat Capua,& vicina Veseuo
Nola iugo.

Postea Virgilium petisse à Nolanis aquam, vti duceret in propinquum rus: Nolanos beneficium petitum non fecisse: poetam offensum nomen vrbis eorum quasi ex hominum memoria, sic ex carmine suo derasisse,oraque pro Nola mutasse,atque ita reliquisse,

Nola.

Et vicina Veseuo Ora iugo.

Ora iugo.

Ea res vera ne an falsa sit, non laboro, quin tamen melius suauiusque ad aureis sit,quàm Nola,ora,dubium id nõ est.nam vocalis in priore versu extrema, eademque in sequenti prima,canoro simul atque iucundo hiatu tractim sonat. Est adeo inuenire apud nobiles poetas huiuscemodi suauitatis multa,quæ appareant nouata esse,non fortuita:sed præter cæteros omneis,apud Homerum plurima. vno quippe in loco tales tanquam hiatus & sonitus in assiduis vocibus pluribus facit,

Homeri concẽtus.

ἠ δ' ἐπέρη θέρεϊ προρέει ἐικυῖα χαλάζῃ.

ἢ χιόνι ψυχρῇ ἢ ὕδατος κρυστάλλῳ.
λᾶαν ἄνω ὠθεῖν ἔσκε ποτὶ λόφον.

Atque item alio loco,

Catullus quoq; elegantissimus poetarũ in hisce versibus, Catulli locus.

Minister vetuli puer falerni.
Ingere mi calices amariores,
Vt lex posthumiæ iubet magistræ,
Ebriosa acina ebriosioris.

Cum ebrioso dicere posset, & quod erat vsitatius, acinum in neutro genere appellare, amans tamen hiatus illius Homerici suauitatem, ebriosa dixit propter consequentis literæ concentum. Qui ebrios autem Catullum dixisse putant, aut ebriosos, (nã id quoq; temere scriptum inuenitur) in libros scilicet de corruptis exemplaribus factos inciderũt.

ASCEN. Quod hic dicitur de quoad, idem docet Val. de dum pro donec & ipso donec. vt dum viuam, & donec moriar te colam &c. Inepte autem dicitur quoad, pro quantum ad.

Quoad viuet, & quoad morietur, cur idipsum temporis significent, cum ex duobus sint facta contrariis.

CAP. XXI.

QVOAD VIVET cum dicitur, item QVOAD MORIETVR, videntur quidem duæ res dici contrariæ, sed idem atque vnum tẽpus vtraque verba demonstrant. Item cum dicitur quoad Senatus habebitur, & quoad Senatus dimittetur, tametsi haberi atque dimitti contraria sunt, vnum atque idipsum tamen vtroque in verbo ostẽditur. Tempora enim duo cum inter se opposita sunt, atque ita cohærentia, vt alterius finis cum alterius initio misceatur, non refert vtrum per extremitatem prioris, an per initium sequentis, locus ipse confinis demonstretur. Quoad viuet. Quoad morietur.

ASCEN. Similia huic capiti habita sunt lib. iiij. cap. xij. Munus. i. officium equestre.

Quòd Censores equum adimere soliti sint equitibus corpulentis & præpinguibus, quæsitumq; vtrum ea res cum ignominia, an incolumi dignitate equitum facta sit.

CAPVT XXII.

NImis pingui homini & corpulento CENSS. equum adimere solitos, scilicet minus idoneum ratos esse, cum tanti ponderis corpore ad faciendum equitis munus. non enim pœna id fuit, vt quidam existimãt, sed munus sine ignominia remittebatur. Tamẽ Cato in oratione quã de sacrificio commisso scripsit, obiicit hanc rem criminosius, vti magis videri possit cum ignominia fuisse. quod si ita accipias, id profecto existimandum est, non omnino inculpatum, neque indesidem visum esse, cuius corpus in tam immodicum modum luxuriasset exuberassetque. Censoria nota in pingues equites &c. Obesitas vitio data.

AVLI GELLII NOCTIVM ATTICARVM LIBER VIII. HAC AETATE NON REPERITVR.

Sed ex vetustissimo exemplari hæc capita excerpta sunt.

ASCEN. Quãuis grãmatici fere contendãt noctu & interdiu esse aduerbia, tamen ex Ennij verbis quæ Macrobius in primo Satur. citat, cõstat noctu esse nomẽ, quia adiectiuũ recipit. Verba eius hæc sunt, Qua Galli furtim noctu arcis summa tenebant Mœnia concubia, vigilesque repente cruentant, vbi noctu cõcubia dictum est. Item, Hac noctu filo pendebit Hetruria tota. Simili autem modo probari possit lucu esse nomen, testimonio Apuleij dicentis: cum filio primo lucu ibo hinc. Sed illud cum genus mutet, nõ videtur à lux deduci. Nox pro noctu poni patet ex illo, Si nox furtum factum sit. Noctu. Lucu. Nox.

Hesterna noctu recte an cum vitio dicatur: & quænam super istis verbis grammatica traditio sit. Itemq; quòd Decẽuiri in XII tabulis nox pro noctu dixerunt. CAP. I.

ASCEN. Quæ mihi decem verba. Difficillimum esset diuinare illa eadem, itaque supersedeo.

Quæ mihi decẽ verba dederit Phauorinus, quæ vsurpentur quidem à græcis, sed sunt adulterina & barbara: quæ item à me totidem accepit, quæ ex medio cõmuniq; vsu latine loquentium minime latina sunt, neq; in veterũ libris reperiantur. CAP. II.

ASCEN. cum peregrini scripta non habeamus, & illa eius verba forte nusquam alibi scripta sint: non facile esset ea citare. Similia tamen reperies apud Crinitum lib. ij. ca. xij. Vbi Io. Picus Mirandula inter cætera sic in ignauos inuehitur. Nam quid esse in vita nequius, aut scelestius potest, quàm tempus ipsum rem scilicet preciosissimam somno inertiaque turpissima transigere? Qui enim desides, ignaui & oscitantes viuunt, non hercle magis viuunt, quàm stolidæ pecudes & meræ beluæ. Neque viuunt enim sed spiritum trahunt, sicuti pecudes solent. Et Ennius de ocio sic.

Ocio qui nescit vti plus negocij habet
Quàm cum est negotium in negotio &c.

Quem in modum & quàm seuere increpuerit audientibus nobis Peregrinus philosophus adolescentem Romanum ex equestri familia stantẽ segnem apud se, & assidue oscitantem. CAPVT III.

ASCEN. Verba Herodoti repetãtur ex Erato siue.vj.historiarum libro. Cælius autem lib.xiij.cap. xxxij.ait.Illud admiratione non caret, Herodotum scribere, vnam solamque arborum pinum recisam nõ succrescere amplius, verum interire funditus, vel vt ipse ait πανώλεθρον. Nata inde paroemia, vt exteri dicantur pinus modo, quæ prorsum intercidant. cum manifestum sit Piceam & Cupressum idipsum pati, sed & pleraque alia: nisi forte cognationem aliquam inter hasce arbores intellexit: propereaque vno pinus nomine accipiendas constituit.

Quòd Herodotus scriptor historiæ memoratissimus parum vere dixerit vnam solãq; pinum arborum omnium cæsam, nunquã denuo ex iisdem radicibus pullulare: & quòd idem de aqua pluuiali, & niue, rem non satis exploratam pro comperta posuerit. CAPVT IIII.

ASCEN. Stare quid notet vide Cale. & Cornucopiæ, post alios. Est enim plenũ esse & obtectũ &c.

Quid illud sit, quod Virgilius cælum stare puluere: & quòd Lucilius pectus sentibus stare dixit. CAPVT V.

ASCEN. Minime vtile esse expostulationes fieri. s. veterum iniuriarum, atque exprobrationes, ex eo patet quòd facile relabantur in odia nuper reconciliati. Extat apud Valerium Maximum titulus de iis qui in gratiam redierunt: & apud hunc (inquit Mas.) aliubi meminimus. Faustus poeta inquit in quadam epistola inimico reconciliato nunquam aut rarenter fidendum. Caput autem hoc videtur Maserio inde procedere quod in fine cap.iij.lib.dictum est à Chilone ferocissimas odij & amoris affectiones intra modum coercente: Hac fini ames, tanquam forte fortuna osurus: hac itidem tenus oderis, tanquam fortasse post amaturus. Quam inde sententiam Publius in Mimis vt notabitur, approbat: Ita amicum habeas, posse vt fieri hunc inimicum putes. Quod Cicero in Lælio grauiter reprobat loquens de amore amicitiæ, vt hic notatum est. Hæc ille. Sane iuxta præscriptum euangelicum, sic de odio constituas: vt quenquã odisse liceat nunquam, vitia eius semper.

Cum post offensiunculas in gratiam redeatur, expostulationes fieri mutuas minime vtile esse: superque ea re & sermo Tauri expositus, & verba ex Theophrasti libro sumpta, & quid M. Cicero de amore amicitiæ senserit, cum ipsius verbis additum. CAPVT VI.

ASCEN. Qui similia de memoria, & ijs qui ea præditi fuerunt legere velint: legant antiquas lectiones Cælij. Volaterranum libro.xxxiiij. & Plinium in naturali historia.

Ex Aristotelis libro, qui περὶ τῆς μνήμης inscriptus est, cognita acceptaq; de natura memoriæ & habitu: atque inibi alia quædam de exuberantia aut interitu eius lecta auditaq;. CAPVT VII.

ASCEN. Hoc nisi ipse ab inferis redierit, aut liber desideratus inuentus fuerit, diuinarit nemo.

Quid mihi vsu venerit interpretari, & quasi affingere volenti iocos quosdam Platonicos latina oratione. CAAPVT VIII.

ASCEN. Crinitus lib.x.cap.iij.recitat idem contigisse M.Tul.Ciceroni, quod & Appianus meminit lib.ij.de bel.ciuil. Sabellicus docet idem contigisse suis temporibus Francisco Barbaro &c. Quo pacto Socrates excitarit Alcibiadem concionari metuentem docet Cælius cap.lvij.lib.vij. Vbi ait formidolosum esse in concionem prodire orationis habendæ causa: adeo vt populi conspectum plerique non ferentes, metu perfusi & rubore inexpugnabili, capite velato, raptim sese proripientes, inde domesticas petierint latebras: nonnulli vehementius perculsi, silentium sibi indixerint perpetuum.

Quòd Theophrastus philosophus omniũ suæ ætatis doctissimus verba pauca ad populum Atheniensem facturus, deturbatus verecundia obticuerit: quodque idem hoc Demostheni apud Philippum regem verba facienti euenerit. CAP. IX.

ASCEN. Hoc quoque diuinatu perdifficile.

Qualis mihi fuerit in oppido Eleusino disceptatio cum grammatico quodam præstigioso, tempora verborum, & puerilia meditamenta ignorante: remotarum autem quæstionum nebulas, & formidines ad capiendos imperitorum animos ostentanti. CAPVT X.

ASCEN. Neque hoc quidem quis facile diuinarit. Cæterum vt adnotauit Maserius. Cum Socrates ad cœnam diuites aliquot inuitasset, & apparatus modici Xantippẽ puderet: bono inquit esto animo. Nam siquidem modesti erunt, frugi mensam haud quaquam aspernabuntur: sinautem intemperãtes, nul a nobis de hisce cura erit. Aiebat præterea, alios homines viuere vt comessent, se vero comesse vt viueret. Et hæc forte facta sunt in Dionysiorum die, quem volebat Xantippe sumptu largiore transigi, visa præsertim conuiuarum & multitudine & celebritate.

Quòd festiue responderit Xantippæ vxori Socrates, petenti vt per Dionysia largiore sumptu cœnitaret.

ASCEN. Quid Gellius super plerique oẽs disseruerit, dicere nequeo: Beroaldus in Seruiũ vult pro vna haberi parte: qui arguit Seruiũ, qui non recte diuisit: quod & Donato visum est. Mihi aũt (vt meã quoque sententiã interponam) videtur plerique per se significare plurimos & fere oẽs: cum autem additur omnes, idem esse ac si dicatur immo omnes. Aut per regulam Alexandri nostri: quam à sciolis contemni, à vere scientibus probari agnoui, AEquiualens geminis harum si iungitur vni Dictio, pro reliqua tantũmodo debet haberi: cum plerique sit fere omnes, si additur omnes, non est nisi fere. Pleriq; oẽs

Quid significet in veterum libris scriptum Plerique omnes: & quòd ea verba accepta à Græcis videntur. CAPVT XII.

ASCEN. Qupsones an recte scriptum, & quid notet, ad Afros & Græcos referendũ censeo.

Qupsones, quod homines Afri dicunt, non esse verbum Punicum, sed Græcum. CAPVT XIII.

ASCEN. Hoc caput cum nihil exprimat, ac si nihil dicat transeundum videtur.

Lepidissima altercatio Phauorini philosophi aduersus quendam intempestiuum de ambiguitate verborum disserẽtem: atque inibi verba quædam ex Næuio poeta, & Cnæo Gallo non vsitate collocata: atq; ibidem à P. Nigidio origines vocabulorum exploratæ. CAPVT XIIII.

ASCEN. Sed ne hoc quidem quod explicem habet, nisi ignominiatus ponitur pro eo quod nobis diceretur ignominia affectus. Hic est (inquit Mas.) ille Laberius qui in ludorum fine ab Cæsare annulo aureo donatus est: & Ciceroni qui dicacius eidẽ Laberio sedẽ quærenti obiecerat, Accepissem te nisi anguste sederem: prompte respondit, mirum si anguste sedes, qui duabus sellis sedere soles. Hũc asperæ libertatis equitẽ Romanũ Cæsar quingentis milibus inuitauit vt prodiret in scænã & mimos ageret quos scriptitabat. Vide Macrob. ij. Saturn. Et cap. xiiij. lib. xvij. huius operis & quæ ibi adnotauimus. Cæsar indigne ferebat suam impotentiam Laberij dicacitate lapidari: quare in Publium à Laberio fauorem transtulit. Et cum Laberius à Publio victus in scæna discederet, hac est ignominia tractatus à Cæsare cũ irrisione quadã dicente, Fauente tibi me Laberi victus es à Syro. Erat autem Publius natione Syrus. Cæsaris verbũ graue, Publius reddidit ignominiosius, Quicum contendisti scriptor, hũc spectator subleua. His eques & poeta Laberius male affectus ignominijs, sequenti statim commissione, mimo nouo iniecit hos versus, quibus Cæsari tyrannidem non fore perpetuam, nec Publium Cæsaris fauorẽ semper experturũ, quo sit in precio & honore primus: cum tamen de se loqui videatur. Non possunt primi esse omnes omni in tempore. Et cætera in. xiiij. cap. lib. xvij. Gellij notata: ad quæ tu recurre. Laberius. Publius.

Quibus modis ignominiatus, tractatúsq; sit à C. Cæsare Laberius poeta: atque inibi adpositi versus super eadem re eiusdem Laberii. CAPVT XV.

ASCEN. Sagittarius cũ funditore vtrinque summo studio spargunt fortissime. hoc monstrat non esse improbandam locutionem, Petrus cum Paulo regnant &c. Nam neutrum &c. Cum de sagitta & lapide loquatur: constat ad neutrum recurrendũ etiam si sit singulare: vbi res significantur inanimæ per cõcepta. Sursum versus. Videtur sursum particulam versus includere: nam idẽ est quod supra versus: sed cũ additur versus non significat nisi supra, per regulam iam datam AEquiualens &c. Quod ex infimis &c. Superlatiuum pro absoluto. quia in vsu non est. nam imum sæpe vim superlatiuam habet. Sed cum. i. quãdo, vnde quum scribi posset. tum. i. tunc. Conlimes. i. cõtrahas in obliquum seu intrãsuersum. Quo modus: lego motus. A te datus. Ablatiuus agentis à passiuo. Defendebant. i. depellebant. Pinnæ sunt murorum seu mœnium ab hoste non transcensorum eminentiæ acutæ, illius rei indices. Cõceptio casuum.

PAVLI GELLII NOCTIVM ATTICARVM COMMENTARIORVM, LIBER IX.

Quamobrem Q. Claudius Quadrigarius in vndeuigesimo Annali scripserit, rectiores certioresque ictus fieri si sursum quid mittas, q̃ si deorsum. CAP. I.

QVINTVS Claudius in vndeuigesimo Annali, cum oppidum à Metello Procos. oppugnari, cõtra ab oppidanis desuper è muris propugnari describeret, ita scripsit, Sagittarius cum funditore vtrinque summo studio spargunt fortissime. sed sagittam atque lapidem deorsum an sursum mittas, hoc interest. Nam neutrũ potest deorsum versum recte mitti, sed sursum vtrunque optime. quare milites Metelli sautiabãtur multo minus, & quod maxime opus erat, à pinnis hostes defendebant facillime funditores. Percontabar ego Antonium Iulianum rhetorem, cur hoc ita vsu veniret, quod Quadrigarius dixisset, vt contigui magis directiorésq; ictus fiant, si vel lapidem vel sagittam sursum versus iacias, quàm deorsum? cum procliuior faciliorque iactus sit ex supernis in infima, quàm ex infimis in superna. Tum Iu-

lianus comprobato genere quæstionis, Quod de sagitta, inquit, & lapide dixit, hoc de omni fere missili telo dici potest. Facilior autem iactus est (sicuti dixisti) si desuper iacias, si quid iacere tantum velis, non ferire. sed cum modus, & impetus iactus temperãdus dirigendúsque est: tum si in prona iacias, moderatio atque ratio mittentis, præcipitantia ipsa & pondere cadentis teli corrumpitur. at si in editiora mittas, & ad percutiendum superne aliquid, manũ & oculos collimes: quo motus à te datus fuerit, eo telum ibit quod ieceris. Ad hanc ferme sententiam Iulianus super istis Q. Claudii verbis nobiscũ sermocinatus est. Quod autem ait idem Q. Claudius, à pinnis hostes defendebant facillime: animaduertendum est vsum esse eum verbo defendebant, non ex vulgari consuetudine, sed admodum proprie & latine. nam offendere & defendere inter sese aduersa sunt: quorum alterum significat ἐμποδὼν ἔχειν, alterum ἐκποδὼν ποιεῖσθαι. quod hoc in loco à Q. Claudio dicitur.

Collimes. Defẽdere. Offẽdere.

ASCEN. Notaris vt notabilem, id est vitiosum reprehenderit. Palliatus, pallio more philosophorũ tectus. Quispiam more suo, vbi Valla diceret quidam. Et crinitus. Iam contra fit: philosophorum enim similes vt monachi detondentur: & milites comati sunt. Et dicere, id est dicebant, aut subauditur cœperũt. AEruscanti, æra poscenti & eruenti aut æruginosæ & obscuræ vitæ. Dignus igitur est argento. Sic loculos Christi Iudas tenuit. Sed vide quanto Christo similiores tunc erant philosophi in vilipendenda pecunia, quàm nunc sint plurimi eorum qui paupertatem sunt professi Patriciorum, vt Manlij. Sic apud nos licet frater Simonis sanctissimus fuerit Apostolus, nemo Iudas vocari vult ob Christi proditoris ignominiam. Addidit Mas. Hoc pulchre Archithrenius in tertio ostendit cum ait, Nam se maioribus æquat Contemnitque pares, indignatúrque minores: Nulli iucũdus, grauis omnibus, omnia præceps Imperiosus agit, & pacis nulla, tumoris Fulmẽ habens premit: modico quod nouit, in astra Conscendisse ratus alienum scire labello Progrediente notat, & conuiuentis ocelli Inuidia mordet: & quod tetigisse veretur Laudibus attenuat pressis: oculóque susurrat Subridente notam: liuoris cuncta veneno Conspuit, ipse suis auidus laudator in actis, Et librata diu, sed turgida verba loquendi Maiestate trahit: & gutture tracta tonanti Excutit, & linguam digito gestúque loquaci Adiuuat, & vultus animo maiora fatetur. Hæc omnia volui adiuncta vt reprimantur fœdissimi ganearum incolæ, philosophi superficiales, verius dicendi ganeones asophi: indigni sane quibus accedat tam sacri verbi nomẽclatura. De Harmodio id addo: quòd Harmodij melos in conuiuio celebre fuit: quòd Hippias Hippiæ fuerit Tyrannus: Hippias ados vero dicatur statua mulieris equestris, vt amazona fingimus: vt ait Hermolaus Barbarus, doctus sane, sed nesciẽs quid Appiades notent: tu recurre ad Cælium docentem Venerẽ deam & Pacem & Concordiã, Pallada, Vestam, dici deas Appiadas à via Appia. Sed redeo ad poetam qui monet à philosopho remouendam esse superbiam, qua tamẽ plerique oẽs famã sibi vẽdicãt: & vt inanis est eorũ opinio, Maxima Luciferi boreis adflata putatur Nobilitas: virtusque venit suspecta tumoris. Tu sequẽtia collige: qui vis vere & synceriter philosophari.

Philosophastros taxat. Harmodij melos. Hippias. Appiades.

Quibus verbis notarit Herodes Atticus falso quempiam cultu amictúq; nomen habitúmque philosophiæ mentientem. CAP. II.

AD Herodem Atticum Consularem virum, ingenióq; amœno, & græca facundia celebrem, adiit nobis præsentibus palliatus quispiam, & crinitus, barbáque prope ad pubẽ vsq; porrecta: ac petit æs sibi dari, εἰς ἄρτους emendos scilicet. tum Herodes interrogat quisnam esset. atque ille vultu, sonituque vocis obiurgatorio philosophum sese esse dicit, & mirari quoq; addit, cur quærendum putasset quod videret. Video, inquit Herodes, barbam & palliũ, philosophum nondum video. quæso autem te cum bona venia, dicas mihi, quibus nos vti posse argumentis existimas, vt esse te philosophum noscitemus? Interibi aliquot ex iis, qui cum Herode erant, erraticum esse hominem dicere, & nullius rei, incolamq; esse sordentium ganearum: ac nisi accipiat quod petit, conuicio turpi solitum incessere. Atque ibi Herodes, Demus, inquit, huic aliquid æris, cuiusmodi est, tanquam homines, nõ tanquam homini. & iussit dari precium panis xxx dierum. Tum nos aspiciens, qui eum sectabamur, Musonius, inquit, æruscanti cuipiam id genus & philosophum sese ostentanti, dari iussit mille numûm. & cum plerique dicerent, Nebulonem esse hominem, malum & malitiosum, & nulla re bona dignum: tum Musonium subridentem dixisse aiunt, Ἄξιος οὖν ἐστιν ἀργυρίου. Sed hoc potius, inquit, dolori mihi & ægritudini est, quòd istiusmodi animalia spurca atque probrosa nomẽ vsurpent sanctissimum, & philosophi appellentur. Maiores autem mei Athenienses nomina iuuenum fortissimorum Harmodii, & Aristogitonis, qui libertatis recuperandæ gratia, Hippiam Tyrannum interficere adorsi erant, ne vnquam seruis indere liceret, decreto publico sanxerunt: quoniam

Mali argẽto digni. Nomina fortiũ seruis nõ dãda.

nefas ducerent nomina libertati patriæ deuota,seruili contagio pollui. Cur ergo nos pa timur nomen philosophiæ illustrissimum in hominibus deterrimis exsordescere? Simi li autem,inquit,exemplo ex contraria specie,antiquos Romanorum audio prænomina patriciorum quorundam male de Rep. meritorum,& ob eam causam capite damnatorum,censuisse,necui eiusdem gentis patricio inderentur:vt vocabula quoque eorum defamata atque demortua cum ipsis viderentur. Nomina malorum abolenda.

ASCEN. Super,id est de,Alexandro recens,id est recenter aut paulo ante,nato. Abs te.i.à te: sed venustius abs te:quia abs præponi gaudet q,& t. Iterum ablatiuus agentis à passiuo regitur.

Epistola Philippi regis ad Aristotelem philosophum super Alexandro recēs nato.

CAPVT III.

PHilippus Amyntæ filius,terræ Macedoniæ rex, cuius virtute industriáq; Macedones locupletissimo imperio aucti,gentium nationúmque multarum potiri cœperant: & cuius arma vimque toti Græciæ cauendam metuendamque inclytæ illæ Demosthenis orationes concionésque notificant. Is Philippus,cum omni fere tempore negociis bellisq; victoriisque affectus exercitusque esset, à liberali tamen musa, & à studiis humanitatis nunquam abfuit,quin lepide comitérque pleraque & faceret & diceret. Feruntur adeo libri epistolarum eius,munditiæ & venustatis & prudētiæ plenarum:velut sunt illæ literæ, quibus Aristoteli philosopho natum esse sibi Alexandrum nunciauit. Ea epistola, quoniam curæ diligentiæque in liberorum disciplinas hortamentum est,exscribēda visa est ad cómouendos parentum animos. Exponenda igitur est ad hanc ferme sententiam. Philippus Aristoteli salutem dicit. Filium mihi genitum scito,quod equidem diis habeo gratiam: non proinde quia natus est,quàm pro eo quòd eum nasci contigit temporibus vitæ tuæ. Spero enim fore,vt eductus eruditûsque abs te,dignus existat & nobis,& rerum istarum successione. Ipsius autem Philippi verba hæc sunt. Φίλιππος Ἀριστοτέλει χαίρειν. ἴσθι μοι γεγονότα υἱὸν, πολλὴν οὖν τοῖς θεοῖς χάριν ἔχω, οὐχ οὕτως ἐπὶ τῇ γεννήσει τοῦ παιδὸς, ὡς ἐπὶ τῷ κατὰ τὴν σὴν ἡλικίαν αὐτὸν γεγονέναι. ἐλπίζω γὰρ αὐτὸν ὑπὸ σοῦ τραφέντα καὶ παιδευθέντα ἄξιον ἔσεσθαι καὶ ἡμῶν καὶ τῆς τῶν πραγμάτων διαδοχῆς.

ASCEN. Præpetem cur dixerit,expositum est supra lib.vj. Incredulæ. passiue: quasi increditæ aut incredibiles potius. Maro autē in Buco. actiue dixit:Me quoque vatē Dicunt pastores:sed nō ego credulus illis. Penitissimos.i.intimos,à commercio aliorum hominum remotissimos. De anthropophagis autē loquitur Herodotus in Melpomene. Strabo in quarto ostēdit Gallos & Hispanos in duris obsidionibns carnibus humanis vitā produxisse:Hibernos etiam citra necessitatē:addit Crinitus authore Hieronymo,Scotos. Inuenti sunt nuper in nouis insulis id genus homines. Cōmemorat Homerus Læstrygonas & Cyclopas. Iuuenalis etiam AEgyptios,dicens Saty.xv. Nefas illic fœtū iugulare capellæ: Carnibus humanis vesci licet:vbi etiam Vascones id in obsidione factitasse scribit. Arimaspi vnde dicātur docet eruditè vt alia multa Maserius noster in sextū Argo. Flacci cōtra Volaterranū & Steph. Nigrū,qui ab ari quod scythis vnum notet deduci putant: cū Herodotus dicat arima illis vnum significare, & spou oculum. Sunt ergo vnoculi seu monophthalmi. quocirca quia Philippus rex Alexandri pater altero captus erat oculo, Aristides scomma in eū protulit,Arimaspis cognatus es Philippe. Sane aptius dixeris vnoculos quàm monoculos:ne græcum latino misceas. Adhuc multi nascuntur canescentibus similes non in Albania modo:sed & in alijs plerisque sub septentrione terris. Sauromatæ dicuntur & Sarmatæ. De fascinantibus abunde dictum est in illud Buc. Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos. Monomeri sunt vnimembres: cum singula habeant membra,vt vnum crus:vnum brachium &c. Quia vero isti duntaxat singula habent crura,& vulgo ob id nominantur monosceli, σκέλος enim crus dicitur,credā mendū esse.& monosceli scribendum. Dicuntur etiam sciapodes:quòd in maiori æstu,vt inquit Calepinus,humi iacentes σκιᾶ ποδὸς, id est vmbra pedis,se protegant. Saltuatim. per saltus aut saltando. De Cæneide & Cæneo.i.de ea quæ ex Cæneo viro iterū facta est fœminina Cæneis. Vnde Virg. AEneid.vj. Et iuuenis quondam nunc fœmina Cæneus,Rursus & in veterem fato reuoluta figuram. Ouidius autē Metamorph.xij. scribit tandē in Phœnicem auem cōuersum. Vnde concludit,Maxime vir quondam:sed auis nunc vnica Cæneu. Androgyni sunt viri & fœminæ,.ἀπὸ τ ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς: qui dicti sunt Hermaphroditi,eo quòd Hermaphroditus Mercurij(qui Hermes dicitur)& Veneris(quæ aphrodite,eo quòd aphros spuma est:ipsa autē de maris spuma nata fingitur)filius cum amica conglutinatus Androgynus factus à poetis dicitur. Nūc vero in delicijs. quòd teneriores putentur:atque vtinam illis duntaxat temporibus. Putantur etiam diuinandi vim habere. Huius capitis varia prodigia & præterea alia recitantur à beato Augustino cap.viij.lib.xvj.de ciui.dei. vbi ait huiusmodi monstrosos homines ab Adamo veram traxisse originē: negans in cap. sequenti id quod de antipodibus fabulantur nonnulli. Multa ex his monstris D. Hieronymus cap.xxxvij.lib.ij.contra Iouinianum refert. Et in quadam epistola ad Vigilantium hæreticum ait,Multa in orbe mōstra gene-

Incredulus. Arimaspi. Monosceli Sciapodes Cæneus. Androgyni.

rata sunt. Nam Centauros, sirenas, vlulas, onocrotulos in Esaia legimus. Iob Leuiathan & Behemot mystico sermone describit. Cerberum & Stymphalidas, aprumque erymanthæum, & leonem nemeæum, chimæramque & hydram multorum capitum narrant fabulæ poetarũ. Cacum Virg. describit. triformẽ Geryonem. Hispaniæ prodiderunt. Sola Gallia monstra non habuit, sed viris semper fortibus & eloquentissimis abundauit. Archithrenius autem varijs in locis mõstra & monstruosa carmine prosequitur. Siquid autem desideras, de Cynocephalo deo apud D. Augustinum: & de Cynocephalo regis Ludouici, recurre ad xx cap. libri sequentis. Apollonij autem interpretes scribunt, adeuntes Cæneum compulisse per hastam iurare: cui neglecto deorum cultu preces fundebat, rem quoque diuinam faciebat: quippe factus elatior, vt scribit Eustathius super iliada. i. quòd neptuni munere ex puella vir esset factus, prætereaque inuulnerabilis, & vt Græci dicunt ἄτρωτος, in fori meditullio erectam hastam fixit, proque deo cẽseri iussit.

De barbararum gentium prodigiosis miraculis, déque diris & exitiosis fascinationibus: atque inibi de fœminis repente versis in mares. CAP. IIII.

CVm è Græcia in Italiam rediremus, & Brundusium iremus, egressique è naui in terram in portu illo inclyto spatiaremur, quem Q. Ennius remotiore paulum, sed admodum scito vocabulo præpetem appellauit: fasces librorum vænalium expositos vidimus: atque ego statim auide pergo ad libros. Erant autem isti omnes libri Græci, miraculorum fabularumq; pleni: res inauditæ, incredulæ, scriptores veteres non paruæ authoritatis, Aristeas Proconnesius, & Isigonus Nicæensis, & Ctesias, & Onesicritus, & Polystephanus, & Hegesias. Ipsa autem volumina ex diutino situ squalebant, & habitu aspectúque tetro erant. accessi tamen, percunctatúsque precium sum: & adductus mira atque insperata vilitate, libros plurimos ære pauco emo, eósque omneis duabus proximis noctibus cursim transeo, atque in legendo carpsi exinde quædã, & notaui mirabilia, & scriptoribus fere nostris intentata: eáque his commentariis aspersi, vt qui lectitabit, is ne rudis omnino & ἀνήκοος in istiusmodi rerum auditoribus reperiatur. Erant igitur in illis libris scripta huiuscemodi. Scythas illos penitissimos, qui sub ipsis septentrionibus ætatem agunt, corporibus hominum vesci, eiúsque victus alimento vitam ducere, & ἀνθρωποφάγους nominari. Item esse homines sub eadem regione cæli vnum oculum habentes in frontis medio, qui appellantur ARIMASPI: qua facie fuisse κύκλωπας poetæ ferunt. Alios item esse homines apud eandem cæli plagam singularis velocitatis, vestigia pedũ habenteis retro porrecta, non vt cæterorum hominum prospectantia. Præterea traditum esse memoratũq;, in vltima quadam terra, quæ Albania dicitur, gigni homines qui in pueritia canescunt, & plus cernant oculis per noctem quàm inter diem. Item esse compertum, & creditum Sauromatas, qui vltra Borysthenem fluuium longe colũt, cibũ capere semper diebus tertiis, medio abstinere. Id etiam in iisdem libris scriptum offendimus, quod postea quoq; in libro Plinii Secundi naturalis historiæ septimo legi, esse quasdam in terra Africa familias hominum, voce atque lingua effascinantium: qui si impensius forte laudauerint pulchras arbores, segetes lætiores, infantes amœniores, egregios equos, pecudes pastu atque cultu opimas: emoriãtur repente hæc omnia, nulli aliæ causæ obnoxia. Oculis quoque exitialem fascinationem fieri in iisdem libris scriptum est. traditurque esse homines in Illyriis, qui interimant videndo, quos diutius irati viderint: eósque ipsos, mares fœminasque, qui visu tam nocenti sunt, pupillas in singulis oculis binas habere. Item esse in montibus terræ Indiæ homines caninis capitibus & latratibus: eósque vesci auium & ferarum venatibus. Atque item esse alia apud vltimas orientis terras miracula: homines, qui MONOSCELI appellãtur, singulis cruribus saltuatim currẽtes, viuacissimæ pernicitatis. Quosdam etiã esse nullis ceruicibus, oculos in humeris habẽtes. Iam vero hoc egreditur omnem modum admirationis, quòd iidem illi scriptores gẽtem esse aiũt apud extrema Indiæ, corporibus hirtis, & auium ritu plumantibus: nullo cibatu vescentem, sed spiritu florum naribus hausto victitantem. PYGMAEOS quoque haud longe ab iis nasci: quorum qui longissimi sunt, non longiores esse quàm pedes duos & quadrantem. Hæc atq; alia istiusmodi plura legimus. Sed cũ ea scriberemus, tenuit nos nõ idoneæ scripturæ tædiũ, nihil ad ornandũ iuuandũq; vsum vitæ pertinentis. Libitum tamen est in loco hoc miraculorũ, notare id etiã, quod Plin. Secũdus, vir in tẽporibus ætatis suæ ingenii dignitatisq; gratia, authoritate magna præditus, nõ audisse neq; legisse, sed scire sese atque vidisse, in lib. natural. hist. VII scripsit. Verba igitur hæc, quæ infra posui, ipsius sunt

Græci historici. Incredulæ

Anthropophagi. Cyclopas, id est vnoculos. Albania. Sauromatæ.

Fascinãtes

Cynocæphali. Monosceli.

Pygmæi.

Plinij historia.

ex eo libro sumpta. quæ profecto faciunt, vt neque respuenda neque ridenda sit notissima illa veterum poetarum de Cænide & Cæneo cantilena. Ex fœminis, inquit, mutari in mares non est fabulosum. Inuenimus in Annalibus Q. Licinio Crasso, C. Cassio Longino COSS. puerum factum ex virgine, sub parentibus, iussuque aruspicum deportatum in insulam desertam. Licinius Mutianus prodidit visum esse à se Argis Arespontem, cui nomen Arescusæ fuisset, nupsisse etiam: mox barbam & virilitatem prouenisse, vxorémque duxisse. Eiusdem sortis & Smyrnæ puerum à se visum. Ipse in Africa vidi mutatum in marem die nuptiarum L. Cositium ciuem Tysdritanum: viuebátque cum proderem hæc. Idem Plinius eodem in libro verba hæc scripsit, Gignuntur homines vtriusque sexus, quos Hermaphroditos vocamus, olim Androgynos vocatos, & in prodigiis habitos: nunc vero in deliciis.

Cæneis. Cæneus. Arescon. Arescusa. L. Cositius Hermaphroditi. Androgyni.

ASCEN. De voluptate Philelphus non ieiune disputat in quadam epistola primi libri quæ incipit, Pridie. In vita etiam Epicuri multa traduntur ab Laertio. Valla etiam iustum volumen de voluptate seu summo bono composuit. Ea enim confundit: sed voluptatem pro honesta & decenti delectatione accipit. Cælius cap. xxxiij. lib. v. multa pulchre de voluptate disserit, & capite sequenti.

Diuersæ nobilium philosophorum sententiæ de genere ac natura voluptatis: verbáque Hieroclis philosophi, quibus decreta Epicuri insectatus est. CAP. V.

DE VOLVPTATE veteres philosophi diuersas sentẽtias tenuerunt. atq; Epicurus voluptatem summũ bonum esse ponit: eã tamen ita definit, σαρκὸς εὐσταθὲς κατάστημα. Antisthenes Socraticus summum malum dicit. eius nanque hoc verbum est, μανείην μᾶλλον, ἢ ἡσθείην. Speusippus vetúsq; omnis Academia, voluptatem & dolorem, duo mala esse dicunt opposita inter sese: bonum autem esse, quod vtriusque medium foret. Zeno censuit voluptatem esse indifferens, id est neutrum, neque bonum, neque malum, quod ipse Græco vocabulo ἀδιάφορον appellauit. Critolaus Peripateticus, & malum esse voluptatem ait, & multa alia mala parere ex sese, iniurias, desidias, obliuiones, ignauias. Plato ante hos omneis ita varie & multiformiter de voluptate disseruit, vt cunctæ istæ sententiæ, quas supra posui, videantur ex sermonum eius fontibus profluxisse: nam perinde vnaquaque vtitur, vt & ipsius voluptatis natura fert, quæ est multiplex: & causarum quas tractat, rerúmque quas efficere vult, ratio desiderat. Taurus autem noster, quoties facta mentio Epicuri esset, in ore atque in lingua habebat verba hæc Hieroclis Stoici viri & sancti & grauis, ἡδονὴ τέλος, πόρνης δόγμα· οὐκ ἔστιν πρόνοια, οὐδὲ πόρνης δόγμα.

Voluptas quid Epicuro, Antistheni, Speusippo, & Zenoni.

ASCEN. Prisci Romani natiuam linguæ suæ pronunciationẽ habentes visi sunt multa more Græcorum contra syllabarum quantitatem pronunciasse: non quidem in carminis metro, sed in quotidiano sermone: vt supra de quiesco penultima correpta pronunciando dictum est. Quapropter videtur ex hoc capite, edo vt est priore breui pronunciasse sicut & ago: vt vngo & actito. licet primam producãt in versu, in pronunciando corripuisse. Quia si (vt Quintianus lib. iij. epograph. sentit) non legamus edo & vngo, sed edo & ago: multa erunt in hoc capite mutanda: pro vngo ago, pro vnctito actito: neque adhuc lectio erit integra. Nam idem per ipsum tunc probare niteretur, videlicet actito habere primam longam in pronunciando ab ago prima breui: quia esito & actito ab edo & ago sic habeant. Neque minor erit difficultas quomodo dictito à dico deductum primam corripiat: quàm quomodo vnctito ab vngo producat. Sane nobis sequuntur plurima quantitatem supini à quo formantur mutando u aut us participij in o: mul ta tamen reiecto priore frequentatiuo ab eo secundũ faciunt. Vnde fit actito ab acto, dictito à dicto quod secundum frequentatiuum non est: A verbis item in go fiunt etiam à tertia indicatiui addito o, vt cogito agito, sed in diuerso sensu.

Verbum quod est ab ago frequentatiuum, in prima syllaba quonam sit modo pronunciandum. CAP. VI.

AB eo quod est ago, & egi verba sunt, quæ appellant Grammatici frequentatiua, actito & actitaui. Hæc quosdam non sane indoctos viros audio ita pronunciare, vt primam in his literam corripiant: rationémque dicant, quoniam in verbo principali, quod est ago, prima litera breuiter pronunciatur. Cur igitur ab eo quod est edo & vngo, in quibus verbis prima litera breuiter dicitur, esito & vnctito, quæ sunt eorũ frequentatiua, prima litera longa promimus? & contrà dictito, ab eo verbo quod est dico, correpte dicimus? num ergo potius

Dictito.

Dictito. actito & actitaui producenda sunt? quoniam frequentatiua ferme omnia eodem modo in prima syllaba dicuntur, quo participia præteriti temporis ex iis verbis vnde ea profecta sunt, in eadem syllaba pronunciantur: sicut lego lectus, lectito facit. vnguo vnctus, vnctito. scribo scriptus, scriptito. moneo monitus, monito. pendo pensus, pensito. edo esus, esito. Dico autē dictus dictito facit. gero gestus gestito. veho vectus vectito. rapio raptus raptito. capio captus captito. facio factus factito. Sic igitur actito producte in prima syllaba pronunciandum, quoniam ex eo fit, quod est ago, & actus.

ASCEN. Hoc caput plus æget experientiæ quàm explanationis. Fabulantur Galli fabas anno bisextili obuersas nasci. Ipse vidi nucem pridie natalis diui Baptistæ expertem frondium: ipso natali frondem & fructum habere. Neruias, chordas aut fides è neruis. Brumali die, id est quo dies breuissimus est: vt in solstitio hyemali.
Neruiæ.

De conuersione foliorum in arbore olea, brumali & solstitiali die: deque fidibus id temporis ictu alieno sonantibus. CAP. VII.

VVLGO & scriptum & creditum est, folia olearum arborum brumali & solstitiali die conuerti: & quæ pars eorum fuerat inferior atque occultior, eam supra fieri, atque exponi ad oculos, & ad solem. quod nobis quoq; semel atque iterum experiri volentibus, ita esse propemodum visum est. Sed de fidibus rarius dictu & mirabilius est: quam rem & alii docti viri, & Suetonius etiam Trāquillus in libro ludicræ historiæ satis compertum esse, satisq; super ea re constare affirmat: neruias in fidibus brumali die alias digitis pelli, alias sonare.
Neruiæ.

ASCEN. Necessum esse. sic & apud Donatum legas. Ex magna copia. In aliū sensum dixit Ouid.
Necessum. Inopem me copia fecit. Nequid egeat. antique: sicut Cato, multa egeo. Aut quid aduerbium est: vt sit, ne quid, id est in aliquo egeat.

Necessum esse qui multa habeat multis indigere: deque ea re Phauorini philosophi cum breuitate eleganti sententia. CAPVT VIII.

VErum est profecto, quod obseruato rerum vsu sapientes viri dixere, multis egere, qui multa habeat: magnamque indigentiam nasci, non ex inopia magna, sed ex magna copia. Multa enim desiderari ad multa, quæ habeas, tuenda. Quisquis igitur multa habens cauere, atque prospicere velit, ne quid egeat, neue quid desit: iactura opus esse, non quæstu: & minus habendum esse, vt minus desit. Hanc sententiam memini a Phauorino inter ingentes hominum clamores detornatam, inclusamque verbis his paucissimis, τὸν γὰρ μυρίων καὶ πεντακισχιλίων χλαμύδων δεόμενον, οὐκ ἔστι μὴ, πλειόνων δεῖσθαι. οἷς γὰρ ἔχω προσδεόμενος, ἀφελὼν ὧν ἔχω, ἀρκοῦμαι οἷς ἔχω.

Poematū. ASCEN. Ex poematis. sic fere docti loquūtur: vt sit in singulari hoc poematum, problematū &c.
Caper. diminutiuū est poemationtij. aut poematium. Partem reliquit. vnde Flaccus in arte, Nec verbū verbo curabis reddere fidus interpres. Quod de capro ex Varrone hic dicit Gellius, sensit & Martialis dicēs, Dū iugulas hircū, factus es ipse caper. i. captus, hoc est priuatus coleis seu testibus: quos hircus mordicus abstulit. Verum Maro non solum cum dixit, Occursare capro: pro coleato accepit: sed etiam alibi, vt ibi, Vir gregis ipse caper. Et forte Virgilio caper dicitur nō quòd captus sit, sed quòd carpat virgulta: sicut & capra quæ nullo modo capta intelligitur aut castrata. Est igitur caper dum est adultus: hœdus dum iunior. magis tamen proprie illū hircum dicas. Quo enim pacto diceret τὸ καλὸν &c. Ex hoc patet Gelliū nō vertisse græca: cum dicat verba illa non esse translatitia. i. nō posse trāsferri: quod intelligas probe & cum gratia quam habent: quia vt vtcūque versa sonant pulchre adamate. sed articulus deest. Pro Virgilio posset dici quòd in comparationibus non requiritur omnimoda similitudo: sed quæ ad locum sufficiat: quæ fuit Elissæ cum Diana. Nam vt Diana proceritate & decentia formæ omneis comites superās tacito gaudio matrē affecit: sic Dido omneis suos supergressa pari eos afficiebat lætitia. De pharetra autem videtur purgasse Virgilius in ipso eodem primo vbi dixit, Virginibus tyrijs mos est gestare pharetram. Vnde nō est omnino absonū ipsam pharetratā incessisse, cum vt nomen indicat virago esset & dux fœmina facti. λητὼ nobis dicitur Latona: sed inde Apollo nonnunquam Latous dicitur ab Ouidio, & Latoides à Pap. in fine Thebaidos. Cæterum non ab re videtur omisisse versiculum illum quem dicūt pulcherrimū, quòd non conduceret proposito. Licet enim deæ conueniat: non continuo tamen fœminæ & viduæ & fugitiuæ & sollicitæ. Neque omnino omisit: quia dixit, Gradiensque deas supereminet omneis: sed quatenus instituto non congruit. verum de his peritiores iudicent. Illud autem in confesso est quod vir candidus & acri iudicio præditus Maserius noster nuper adscripsit, quod tale est. Longe verecundius sanctiúsque de Virgilianis sententijs aut mutuatis aut conuersis Gellius sentit, quàm Macrobiani conuiuæ. Nam quod in fine dicitur, de loci flore prætermisso à poeta latino: id est ex Probo, cuius ea esse videbatur sententia. In illo autem versu Homerico ῥεῖα δ' &c. censet καλαὶ duplici λλ scribi debere vt prima sit longa.

Quis modus sit verba vertẽdi in græcas sentẽtias: deque iis Homeri versibus, quos Virgilius vertisse aut bene apteque aut improspere existimatus est.

CAPVT IX.

Quando ex poematis græcis vertendæ mutandæque sunt insignes sententiæ, non semper aiunt enitendum, vt omnia omnino verba in eum, in quem dicta sunt, modum vertamus. perdunt enim gratiam pleraque, si quasi inuita & recusantia violentius transferantur. Scite igitur & considerate Virgilius, cum aut Homeri, aut Hesiodi, aut Apollonii, aut Parthenii, aut Callimachi, aut Theocriti, aut quorundam aliorum locos effingeret, partem reliquit, alia expressit. sicut nuperrime apud mensam, cum legerentur vtraque simul bucolica, Theocriti, & Virgilii, animaduertimus reliquisse Virgilium, quod græcum quidẽ mirequam suaue est: verti autem neque debuit neque potuit. Sed enim quod substituit pro eo quod omiserat, non abest quin iucundius lepidiusque sit, Virg. quos imitatus sit.

βάλλει καὶ μάλοισι τὸν αἰπόλον ἁ Κλεαρίστα
τὰς αἶγας παρελῶντα καὶ ἁδύ τι ποππυλιάσδει.

Malo me Galatæa petit lasciua puella,
Et fugit ad salices: & se cupit ante videri.

Illud quoque alio in loco animaduertimus caute omissum, quod est in Græco versu dulcissimum,

τίτυρ' ἐμὶν τὸ καλὸν πεφιλαμένε, βόσκε τὰς αἶγας.
καὶ ποτὶ τὰν κράναν ἄγε Τίτυρε, καὶ τὸν ἐνόρχαν,
τὸν λιβυκὸν κνάκωνα φυλάσσεο, μή τυ κορύψῃ.

Quo enim pacto diceret, τὸ καλὸν πεφιλαμένε, verba hercle non translatitia, sed cuiusdam natiuæ dulcedinis? Hoc igitur reliquit, & cætera vertit, nõ infestiuiter, nisi quòd caprum dixit, quem Theocritus ἐνόρχαν appellauit Authore enim M. Varrone is demum latinè caper dicitur, qui excastratus est.

Tityre dum redeo, breuis est via, pasce capellas.
Et potum pastas age Tityre: & inter agendum
Occursare capro, cornu ferit ille, caueto.

Et quoniam de transferendis sententiis loquor, memini audisse me ex Valerii Probi discipulis, docti hominis, & intelligendis pensitandisque veteribus scriptis bene callidi, solitum eum dicere, nihil quicquam tam improspere Virgiliũ ex Homero vertisse, quàm versus amœnissimos, quos de Nausicaa Homerus fecit,

οἵη δ' Ἄρτεμις εἶσι κατ' οὔρεος ἰοχέαιρα,
ἢ κατὰ τηΰγετον περιμήκετον, ἢ ἐρύμανθον.
τερπομένη κάπροισι καὶ ὠκείῃς ἐλάφοισι,
τῇ δέ θ' ἅμα νύμφαι κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο
ἀγρονόμοι παίζουσι, γέγηθε δέ τε φρένα Λητώ,
πασάων δ' ὑπὲρ ἥγε κάρη ἔχει, ἠδὲ μέτωπα
ῥεῖα δ' ἀριγνώτη πέλεται. καλαὶ δέ τε πᾶσαι.
ὣς ἥγ' ἀμφιπόλοισι μετέπρεπε παρθένος ἀδμής.

Virgilius sic,

Qualis in Eurotæ ripis, aut per iuga Cynthi
Exercet Diana choros, quam mille secutæ
Hinc atque hinc glomerantur Oreades. illa pharetram
Fert humero, gradiensque deas superminet omneis.
Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus.
Talis erat Dido, talem se læta ferebat
Per medios, instans operi, regnisque futuris.

Primum omnium diuersum esse dicebat Probus, quòd apud Homerum quidem virgo Nausicaa ludibunda inter familiares puellas in locis solis recte atque commode confertur cum Diana venante in iugis montium inter agrestes deas. Nequaquam autem cõueniens Virgilium fecisse: quoniam Dido in vrbe media ingrediens inter Tyrios principes cultu atque incessu serio instans operi, sicut ipse ait, regnisque futuris: nihil eius similitudinis capere possit, quæ lusibus atque venatibus Dianæ cõgruat. tum postea quòd Homerus studia atque oblectamenta in venando Dianæ honeste apteque dicit: Virgilius

autem cum de venatu deæ nihil dixiſſet, pharetram tamen facit eam ferre in humero, tanquam ſi onus & ſarcinam. Atque illud impenſe Probum eſſe demiratum in Virgilio dicebant, quòd Homerica quidem λητῶ gaudium gaudeat genuinum & intimum, atque in ipſo penetrali cordis & animæ vigens: ſiquidem non aliud eſt, γέγηθε δέ τε φρένα λητώ. Ipſe autem imitari hoc volens, gaudia fecerit pigra, & leuia, & cunctantia, & quaſi in ſummo pectore ſupernantia. Neſcire enim ſeſe quid ſignificaret aliud pertentant. Præter iſta omnia, florem ipſius totius loci Virgilium videri omiſiſſe, quòd hunc Homeri verſum exigue ſecutus ſit, ῥεῖα δ᾽ ἀριγνώτη πέλεται, καλαὶ δέ τε πᾶσαι. Quando nulla maior cumulatiorq; pulchritudinis laus dici potuerit, quàm quòd vna inter omneis pulchras excelleret, vna facile ex omnibus noſceretur.

ASCEN. Non prætextatis. id eſt non impudicis & quibus prætextu opus ſit. de quibus vide Crinitum lib. xx. cap. vij. Membra videtur Probus intellexiſſe, pudenda. Nam & Galli penem virile membrũ vocant: ſicut & poetæ nonnunquam. vnde illud in Priapea, Sed ruber hortorum cuſtos mẽbroſior æquo, id eſt plus iuſto mentulatus. Nam additur, Qui tectum nullis veſtibus inguen habet. Itaque ſatis obſcœne viſus eſt dici: infuſus gremio per membra. Sed imitatio videtur Lucretij dicentis, Nunc quibus ille modis ſomnus per membra quietem Irrigat.

Quòd Anneus Cornutus verſus Virgilii, quibus Veneris & Vulcani concubitum pudice operteq; dixit, reprehenſione inſulſa & odioſa inquinauit. CAPVT X.

Annianus poeta. Virg. locus.

ANNIANVS poeta, & plerique cum eo eiuſdem muſæ viri, ſummis aſſiduiſque laudibus hos Virgilii verſus ferebant, quibus Vulcanum & Venerem iunctos miſtoſque iure coniugii, rem lege naturæ operiendã, verecunda quadam tranſlatione verborum, cum oſtenderet demõſtraretque, protexit. Sic enim ſcripſit,

Ea verba locutus,
Optatos dedit amplexus, placidumque petiuit
Coniugis infuſus gremio per membra ſoporem.

Minus autem difficile eſſe arbitrabãtur ad iſtiuſmodi reticenda, verbis vti vno atq; altero, breui tenuique ea ſigno demonſtrantibus, ſicuti Homerus dixit,

παρθενικὴν ζώνην, καὶ λέκτροιο θεσμόν.
καὶ ἔργα φιλοτήσια.
τὼ μὲν ἄρ᾽ εὐζήλοισι κατευνάσατ᾽ ἐν λεχέεσσιν.

Tot vero & tam euidentibus, ac non tam prætextatis, ſed puris honeſtiſque verbis venerandum illud concubii pudici ſecretum neminem quenquam alium dixiſſe. Sed Anneus Cornutus homo ſane pleraque alia non indoctus neque imprudens: in ſecundo tamen librorum, quos de figuris ſententiarum compoſuit, egregiam totius iſtius verecundiæ laudem inſulſa nimis & odioſa ſcrutatione violauit. nam cum genus hoc figuræ probaſſet, & ſatis circunſpecte factos eſſe verſus dixiſſet, membra tamen, inquit, paulo incautius nominauit.

ASCEN. Agrum Pontinum. ſic lego non Promptinum. Nam vt adnotauit Maſcrius, Florus in prima epitome agrum Pontinum à Pontina plaude dixit. Et Lucanus, Et quia pontinas via diuidit vda paludes. Tamen idem fatetur ſe apud T. Liuium bis legiſſe Pomptinum: licet ſcriptum legatur promptinum. Pontinam autem plaudem aiunt ſiccatam Cethegi opera. Vis diuina: talis nimirum dei, qualẽ in corui ſpecie apparere par fuit. Florus ait Valerium hunc adiutum fuiſſe alite ſatyria. Coghomen habuit Coruinus ſic dicitur vt in euangelio: Vocatis me magiſter & domine: alioqui aut Coruini aut Coruinum diceret.

De Valerio Coruino: & vnde Coruini ſit cognomentum. CAPVT XI.

Coruinus.

DE MAXIMO VALERIO, qui CORVINVS appellatus eſt, ob auxilium propugnationemque corui alitis, haud quiſquam eſt nobilium ſcriptorum qui ſecus dixerit: ea res prorſus admiranda ſic profecto eſt in libris Annalibus memorata. Adoleſcens tali genere editus L. Furio, Clau. Appio COSS. Trib. militaris. atque in eo tempore Copiæ Gallorum ingentes agrum Pontinum inſederant, inſtruebanturque acies à Conſulibus de vi ac multitudine hoſtium ſatagentibus. dux interea Gallorum vaſta & ardua proceritate, armiſque auro præfulgentibus, gratia dimicandi ingrediens, & manu telum reciprocans incedebat: perque contemptum & ſuperbiam circunſpiciens, deſpiciensque omnia, venire iubet & congredi, ſiquis pugnare ſecum ex omni Romano exercitu au-

deret. Tum Valerius Tribunus, cæteris inter metum pudoremque ambiguis, impetrato prius à COSS. vt in Gallum tam immaniter arrogantem pugnare sese permitterent, progreditur intrepide modesteq; obuiam: & congrediuntur, & consistunt, & conserebantur iam manus. atque ibi vis quædam diuina fit: coruus repẽte improuisus aduolat, & super galeam Tribuni insistit. atque in aduersarii os atque oculos pugnare incipit, insibilabat, obturbabat, vnguibus manum laniabat, & prospectum alis arcebat. atque vbi satis sæuierat, reuolabat in galeam Tribuni. Sic Tribunus spectante vtroque exercitu, & sua virtute nixus, & opera alitis propugnantis, ducem hostium ferocissimum vicit, interfecitq;, atq; ob hãc causam cognomen habuit Coruinus. Id factũ est annis CCCC & V post Romã conditam. Statuam Coruino isti diuus Augustus in foro suo statuendam curauit. in eius statuæ capite corui simulacrum est, rei pugnæq;, quam diximus, monimentum. Corui suppetiæ.

ASCEN. Formidolosus passiue apud Sall. etiam alibi dicitur vt recitat Vall. Regibus boni q̃ mali suspectiores sunt. semperq; ijs aliena virtus formidolosa est. Infestus passiue pro eo cui vis infertur, minus vulgate capitur, & ideo recte à Gel. notatur. Laboriosum vitio datur: laboratum & elaboratum honori. Psylli populi Africæ vim necandi serpentes habent. Nescius pro ignorante frequens accipitur. vt æneі. x. Nescia mens hominũ fati sortisque futuræ. Pro ignoto aut ignorato rarius: sic tamen Beroal. dici putat æneid. iiij. Pastor agens telis, liquitque volatile ferrũ Nescius. i. inquit, ignoratus & latens. mihi autẽ multo aptior videatur comparatio si actiue capiatur. Fixit enim Elissam Aeneas amoris telo nõ ignoratus, sed ignorans. Sæpe etiam aufugientes ceruas telis impetens vnam ex eis nescius. i. ignorans vulnerat: quia putat sagittam frondibus immissam aut hærbis. Sic tamen Apuleio dicitur, Inscio quondam tramite iam dilabente. i. ignoto & latente. non ignorante. Et Maserius censet apud Virgilium passiue poni in dicto versu, sicque positum censere quicunque comparationem propius inspexerit. Addit quòd Ouid. x. Meta. ignarus similiter passiue posuit, Iámque aderat Theseus proles ignara parenti. Ipse autem Maserius consimiliter in Horamate heroico passiue posuit dicens, Hinc procul exactum facinus phantasma reuolues. Hinc procul ignaro pax animosa dolo. Hinc procul exertæ concessa licentia linguæ. Hinc procul in iustũ murmura dira deum. In re floria, ad floram & floralia pertinente. Adnotauit & alia lectione dignissima, inter quæ sunt hæc. Et si famulosus & suspiciosus &c. Legendum est famosus (vt reor) potius quàm famulosus. Nam sensus est, licet homo liber, quisquis fuerit, magna & intoleranda cum suspicione tum infamia notatus extiterit, tamen iniquum esse visum, vt vis in corpus liberum inferretur, nisi is qui corpus palam prostituerit pecuniam quæritarit ex eiusmodi prostitutione, aut se Lenoni crediderit supponẽdum cæteris, vt mereret pecuniam. Meminit & Gellius huius dictionis famosus ante, cum ait ex Nigidij sententia in malum trahi. Multis tamen vult probare Iacobus Bononiensis, Gellium errasse adferens locum illum ex Papinio, Famosúsque lacus nomen memorabile seruat, adserens sumi in bonam partem. cui refragatur Domitius legens: cuius sacrata vorago Famosique lacus nomen memorabile seruat. Legénsque apud Iuuenalem, Famosos equitum cũ Dictatore magistros. Alia profert Iacobus Bononiensis, quæ nihil ad Gellium, parum ad Nigidium faciunt. Non tamẽ sperno prorsum famulosus: qua dictione vtitur Archithrenius lib. v. Hæc eadẽ Bruto regnante, Brytannia nomen Traxit in hoc tempus, solis titanibus illo, Sed paucis famulosa domus. Sed ea dictio minus congruit huic loco. Hæc Masc. Me quidem parum mouet authoritas Archithrenij, sed concordia exemplarium & quadrans sententia inducunt vt nihil mutem: famosus enim pusio & famosa mulier dicuntur scorta, vt vulgo famosum accipimus: at famulosus est obsequiosus & sese famulatui crebro, sed honesto addicens: Vnde apud Liuium seditionem legimus ob vim libero sed famulatui addicto illatam. vt tamen libera sit vtrauis lectio, ego alterum in contextu alterum in margine adscripsi, approbans illud comicum: quot capita tot sententiæ. addit Masc. Somniculosam dicunt aspidem quæ somnum suo morsu inducat letiferum: Author est Eustathius. Hæc Cælius, citans Sisennam, cum Gellius Cinnam proferat, quare videatur vter nomen vitiarit. Cõstat Cinnam poetã fuisse: historicum Sisennam. Illius meminit Virgilius, aut etiam alterius. Huius verò Gellius, In verbo assentior & in verbo populabundus. Hæc ille. Hunc nodum soluit author in litera dicens, Et Cinna in poematis. Non enim poemata Sisenna scripsit, vt Cinna. Infestus. Nescius. Famosus.

De verbis quæ in vtranque partem, significatione reciproca & aduersa dicuntur.
CAPVT XII.

VT FORMIDOLOSVS dici potest, & qui formidat, & qui formidatur: vt INVIDIOSVS, & qui inuidet, & cui inuidetur: vt SVSPICIOSVS, qui suspicatur, & qui suspicatus est: vt AMBITIOSVS, & qui ambit, & qui ambitur: vt item GRATIOSVS, & qui adhibet gratias, & qui admittit: vt LABORIOSVS, & qui laborat, & qui labori est: vt pleraque alia huiusmodi in vtranque partem dicuntur: ita INFESTVS ancipiti quoque significatione est. nam & is infestus appellatur, qui malum infert cuipiam: & contra, cui aliunde impendet malum, is quoq; infestus dicitur. Sed quod prius posui, profecto exẽplis non indiget. sic adeò multi loquuntur, vt infestum dicant, inimicum atq; aduersum. Alterum autem illud ignorabilius obscuriusq; est. Quis enim è medio facile dixerit infestũ esse, cui alter Osus finita Formidolosus. Inuidiosus. Suspitiosus Ambitiosus. Gratiosus, Laboriosus Infestus.

infestus est? sed & veteres pleriq; ita dixerunt: & Marcus Tullius in oratione, quam pro Cn. Planco dixit, vocabulo hoc sic vsus est, Dolebam, inquit, iudices, & acerbe ferebam, si huius salus ob eã causam ipsam esset infestior, q̄ is meã salutẽ atq; vitã, sua beneuolẽtia, præsidio, custodiáque texisset. Nos igitur de origine & ratione verbi quærebamus, atque ita in Nigidianis commentariis inuenimus scriptum: Infestum a festinãdo dictũ: nam qui instat, inquit, alicui, eúmq; properans vrget, opprimeréq; eum studet festinátque: aut contrà de cuius periculo & exitio festinatur, is vterq; infestus dicitur, ab instantia atque imminẽtia fraudis, quã vel facturus cupiã, vel passurus est. Ne quis autem de suspicioso, quod supra posuimus: & de formidoloso, in eam partem, quæ minus vsitata est, exemplũ requirat: inueniet de suspicioso apud Marcum Catonem de re Floria ita scriptum, Sed nisi qui palam corpore pecuniam quæreret, aut se lenoni locauisset, etsi famulosus, vt suspiciosus fuisset, vim in corpus liberum, non æquum censuere afferri. Suspiciosum enim hoc in loco suspectum significat: non suspicantem. FORMIDOLOSVM autem qui formidatur. Sallustius in Catilina ita dicit, Igitur talibus viris non labor insolitus, non locus vllus asper aut arduus erat, non armatus hostis formidolosus. Item C. Caluus in poematis LABORIOSVS dicit: non vt vulgo dicitur, qui laborat, sed in quo laboratur.

Infestum vnde.

Suspiciosus. Formidolosus. Laboriosus. Somniculosus.

Durum (inquit) rus fugis, & laboriosum.

Eadem ratione Laberius quoque in Sororibus,

Aecastor, inquit, multum somniculosum.

Et Cinna in poematis.

Somniculosam vt Pœnus aspidem Psyllus.

Alia communia. Metus.

METVS quoq;, & iniuria, atq; alia quædã id genus, sic vtroq; versum dici possunt. Nã metus hostium recte dicitur, & cum timent hostes, & cum timentur. Itaque Sallustius in historia prima, metũ Pompeii dixit, nõ quo Pompeius metueret, quod est vsitatius: sed quo metueretur. Verba hæc Sallustii sunt, In bellum excitabat metus Pompeii victoris, Hiempsalem in regnũ restituentis. Item alio in loco, Postq̄ remoto metu punico, simultates exercere vacuũ fuit. INIVRIAS itidẽ dicimus, tã illorũ qui patiũtur, q̄ q faciũt, quarũ dictionũ exẽpla sunt facilia inuentu. Illud etiã dictũ à Virg. eandẽ habet formam cõmunicatæ vltro & citro significationis, Et vulnere (inquit) tardus Vlyssi.

Iniuriæ.

Vulnus. Nescius.

Cum diceret VVLNVS, non quod accepisset Vlysses, sed quod dedisset. NESCIVS quoq; dicitur tam is, qui nescitur, q̄ qui nescit: sed super eo, qui nescit, frequens huius vocabuli vsus est: infrequens autẽ de eo est, quod nescitur. IGNARVS æque vtroq; versum dicitur: non tantum qui ignorat, sed etiam qui ignoratur. Plautus in rudente,

Ignarus.

Quæ incolis nescius nescias pessimus. Sallustius,

More humanæ cupidinis ignara visendi. Virgilius,

Ignarum Laurens habet ora Numanta.

ASCEN. Quam scilicet torquem. nam ordo est: induuias .i. indumenta (sicut spolia aut quæ ab exutis relinquuntur, exuuias dicimus) torquis ex auro: quã torquẽ. dicitur enim hic torquis, & hæc torques huius torquis. vt hoc loco. Sed quid hostis, loco quis hostis: licet sequatur & quid genus pro cuius generis, sicut id genus pro eius generis: dubitem tamen an legendum potius sit qui genus: sicut a Virgilio, Qui genus dicitur per græcã figurã. Nã eã non vitauit Gellius. Immanitatẽ facies: antique pro faciei. vt proxime sequẽti capite dicetur. Manliana & Posthumiana imperia antea notauimus. Addit Mase. de Torquato. Huius meminit Augustinus lib. j. ca. xxiij. de ciuit. dei. Et interpres addit ex Frontino quòd cum iuuentus Romana imperatoris filium vellet armata è patris manibus eripere, pius filius responderit, præstare vnũ interfici, q̄ disciplinam militarem dissolui. Vide Val. Max. cap. de discip. milita.

Verba ex historia Claudii Quadrigarii, quibus Manlii Torquati nobilis adolescẽtis, & hostis Galli prouocatoris pugnam depinxit. CAPVT XIII.

T.Manlius Torquatus

TITVS MANLIVS summo loco natus, apprimẽque nobilis fuit. ei Manlio cognomentum factum TORQVATO. causam cognomenti fuisse accepimus torquis ex auro induuias, quam ex hoste, quem occiderat, detractam induit. sed quis hostis, & qui genus, & quàm formidandæ vastitatis, & quantum insolens prouocator, & cuiusmodi fuerit pugna decertatum, Q. Claudius primo Annalium purissime atque illustrissime, simpliciq; & incompta orationis antiquæ suauitate descripsit. Quẽ locũ ex eo libro Phauorinus philosophus cũ legeret, non minoribus quati adficiq; animũ suũ motibus pulsibusq; dicebat, quàm si ipse corã depugnantes eos spectaret. Verba Q. Claudii quibus pugna ista depicta

Q. Claudij verba.

est,adscripsi. Cũ interim Gallus quidam nudus præter scutũ, & gladios duos, torque atq; armillis decoratus processit: qui & viribus, & magnitudine, & adolescentia, simulq; virtute cæteris antestabat. Is maxime prælio commoto, atque vtrisque summo studio pugnantibus, manu significare cœpit, vtriq; vt quiescerent pugnare. pugnæ facta pausa est. extemplo silentio facto cum voce maxima conclamat, siquis secum depugnare vellet, vti prodiret. Nemo audebat propter magnitudinem atque immanitatẽ facies. Deinde Gallus irridere cœpit atque linguam exertare. Id subito perdolitum est cuidam T. Manlio summo genere nato, tantum flagitium ciuitati accidere, è tanto exercitu neminem prodire. Is, vt dico, processit: neque passus est virtutem Romanam à Gallo turpiter spoliari. scuto pedestri & gladio hispanico cinctus contra Gallum constitit. metu magno ea congressio in ipso ponte, vtroque exercitu inspectante facta est. Ita, vt ante dixi, constiterunt: Gallus sua disciplina, scuto proiecto cantabundus: Manlius animo magis quàm arte confisus, scutum scuto percussit, atque statum Galli conturbauit. Dum se Gallus iterũ eodem pacto constituere studet, Manlius iterum scuto scutum percutit, atque de loco certo hominem iterum deiecit. eo pacto ei sub gallicum gladium successit, atque hispanico pectus hausit. Dein continuo humerum dextrum eodem concussu incidit: neque recessit vsquam donec subuertit, ne Gallus impetum icti haberet. vbi eum euertit, caput præcidit, torquem detraxit, eamque sanguinolentam sibi in collum imponit: quo ex facto ipse, posteriq; eius Torquati sunt cognominati. Ab hoc T. Manlio, cuius hanc pugnam Quadrigarius descripsit, imperia, & aspera & immitia, Manliana dicta sunt. quoniam postea bello aduersum Latinos, cum esset COS. filium suum securi percussit: qui speculatũ ab eo missus, ne pugnaret, interdicto, hostem à quo prouocatus fuerat, occidit.

Galli insolentia. Pausa. Facies in genitiuo.

Icti in genitiuo. Manliana imperia.

ASCEN. Pleraque ætas. i. est fere omnis ætas: hoc est omnes eius ætatis. Meminimus inuenire. Sic Agretius loquendum præcipit: Valla ridet. Libra dies. quanquam concinnior ordo est: Cum libra fecerit dies & horas noctis pares, tamen si nusquam alibi reperiatur dies in genitiuo, ordo esse posset: cum libra fecerit horas dies & noctis pares. Munera lætitiamque dij. sunt qui legant dei scilicet Bacchi. Vide Landinum in eum locum. Famij plenum. non ergo errauit Alexander, Longum pone fame: quoniam famei dedit ante. Famij enim pro famei ponitur. Facie datiuus est à genitiuo facies: ablato s. Diuariatũ in lectione Enniana inueni, quã quia desideramus, reponere ad verũ nequiuimus: alij cũ postremè: alij postrema: alij mecum postremæ legunt, vt sit postremæ dies pro diei. Item alij confecerit: alij cum fecerit. sed parui rę fert dummodo noscatur dies in gignendi casu positum.

Quòd idem Quadrigarius, huius facies, patrio casu probe & latine dixit: & quædam alia apposita de similium vocabulorum declinationibus. CAP. XIIII.

QVOD autem supra scriptum est in Q. Claudii verbis, Propter magnitudinem atque immanitatem facies: id nos aliquod veteribus libris inspectis explorauimus: atque ita esse, vt scriptũ est cõperimus. Sic enim pleraque ætas veterum declinauit hæc facies, huius facies. Quod nunc propter rationem grãmaticam faciei dicitur. Corruptos autem quosdã libros reperi in quibus faciei scriptum est, illo, quod ante scriptum erat, obliterato. Meminimus etiam in Tiburti bibliotheca inuenire nos in eodem Claudii libro scriptum vtrunque facies, & facii. sed facies in ordine scriptum, & contra per i geminum facii. neque id abesse à quadam consuetudine prisca existimauimus. Nam & ab eo quod est hic dies, tam huius dies quàm dii: & ab eo quod est hæc fames tã huius fames quàm famii dixerunt. Q. Ennius in sextodecimo Annali dies scribit, pro diei in hoc versu,

Postremæ longinqua dies cum fecerit ætas.

Facies in genitiuo.

Meminimus inuenire. Facij. Dij dies. Famij fames.

Ciceronem quoque adfirmat Cesellius in oratione, quam pro P. Sestio fecit, dies scripsisse, pro diei: quod ego impensa opera conquisitis veteribus libris plusculis, ita vt Cesellius ait, scriptũ inueni. Verba sunt hæc M. Tullii, Equites vero daturos illius dies pœnas. Quocirca factum hercle est, vt facile iis credam, qui scripserunt, idiographum librũ Virgilii sese inspexisse: in quo ita scriptum est,

Libra dies somnique pares vbi fecerit horas.

Id est libra diei somniq;. Sed sicut hoc in loco dies à Virgilio scriptum videtur: ita in illo versu non dubium est, quin dii scripserit, pro diei, Munera letitiamque dii. Quod imperitiores dei legunt, ab insolentia scilicet vocis istius abhorrentes. Sic autem dies dii

Dies.

Dij.

à veteribus declinatum est:vt fames famii,pernicies pernicii, progenies progenii, luxuries luxurii,acies acii. M.enim Cato in oratione, quam de bello Carthaginensi composuit,ita scripsit, Pueri atque mulieres extrudebantur famii causa. Lucilius in XII, Rugosum atque famii plenum. Sisenna in historiarum lib. VI, Romanos inferendæ pernicii causa venisse.

Famij. Pernicij.

Pacuuius in Paulo, * * * * * * * * * * * *

» Pater supreme nostræ progenii patris.

Cn. Matius in Iliadis XXI, * * * *

» Altera pars acii vitasset fluminis vndas.

Idem Matius in tertiodecimo, * * * *

» An maneat specii simulacrum, in morte silentum.

Specii. Luxurij. Luxuries. Pernicii.

C.Gracchus de legibus promulgatis, Ea luxurii causa aiunt institui. Et ibidem infra ita scriptum est, Non est ea luxuries quæ necessario parentur vitæ causa. Propter quod apparet,eum ab eo quod est luxuries luxurii patrio casu dixisse. Marcus quoque Tullius in oratione qua Sex. Roscium defendit,pernicii scriptum reliquit. Verba hæc sunt, Quorum nihil pernicii causa diuino consilio,sed vi ipsa & magnitudine rerum factum putamus. Aut facies ergo in casu patrio,aut facii Quadrigarium scripsisse existimandum est. facie autem in nullo veteri libro scriptum repperi. in casu autem dandi,qui purissime locuti sunt,non faciei,vti dicitur nunc,sed facie dixerunt. Lucilius in Satyris,

Et primum,inquit,facie honestas accedit.

Idem Lucilius in libro septimo, .·. .··

Qui te diligit, ætati facieque tuæ se (.·.) .·.

Fautorem ostendat,fore amicum polliceatur.

Die in genitiuo. Sallustij locus.

Sunt autem non pauci,qui vtrobique facii legant. Sed C.Cæsar in libro de analogia II huius die,& huius specie dicendum putat. Ego quoque in Iugurtha Sallustii summæ fidei, & reuerendæ vetustatis libro, die casu patrio scriptum inueni. Verba hæc ita erant,
» Vix decima parte die reliqua. Non enim puto argutiolam istam recipiendam, vt die di-
» ctum quasi ex die existimemus.

ASCEN. Per feriarũ,id est vacationũ ab operatiõe. Meditans &,pro id est exercẽs. AEtati decebat. sic Terentius locutus est,nos cum accusatiuo dicimus. Sine controuersia,id est nisi tam inepte eam cõtrouersiam declamasset disertus haberi posset.

De genere Controuersiæ,quod græce ἄπορον appellatur.

CAPVT XV.

Ant.Iulianus.

CVM Antonio Iuliano rhetore per feriarum tempus æstiuarum, decedere ex vrbis æstu volentes, Neapolim concesseramus. Atque ibi erat adolescens tũc quispiã ex ditioribus,cum vtriusq; linguæ magistris meditans, & exercens ad causas Romæ orandas eloquentiæ latinæ facultatẽ:atq; is rogat Iulianũ vti sese audiat declamantẽ. It auditum Iulianus.imus quoq; nos cum eo simul. introit adolescens,& præfatur arrogantius & elatius quàm ætati eius decebat:ac deinde iubet exponi controuersias. Aderat nobiscum ibi Iuliani sectator,iuuenis promptus,& proficiens,& offendens iã in eo,quòd ille apud Iuliani aureis in præcipiti stare,& subitaria dictione periculũ sui facere audebat. Exponit igitur tentamenti gratia controuersiam parum consistentem, quod genus Græci ἄπορον vocant: latine autem id, non nimis incommode inexplicabile dici potest. Ea controuersia fuit huiuscemodi, De reo septem iudices cognoscant, eaque sententia sit rata, quam plures ex eo numero dixerint. Cum septem iudices cognouissent, duo censuerunt reum exilio multandum,duo alii pecunia,tres reliqui capite puniendum. Petitur ad supplicium ex sententia trium iudicum,& contradicitur. Hac ille audita,nec considerata, neq; aliis vt proponerentur,expectatis,incipit statim mira celeritate in eandem hanc controuersiam principia nescio quæ dicere,& inuolucra sensuum,verborumque volumina, vocũq; turbas fundere:cæteris omnibus ex cohorte eius,qui audire eum soliti erãt, clamore magno exultantibus:Iuliano autem male ac misere rubente & sudante. Sed vbi deblatteratis versuum multis milibus,finem aliquando fecit,egressique inde sumus:amici familiaresq; eius Iulianum prosecuti,quidnã existimaret percũctati sunt.atq; ibi Iulianus festiuissime, Nolite quærere,inquit,quid sentiã: adolescens hic sine controuersia disertus est.

Decebat ætati. Aporon. Cõtrouersia rhetorica. Amara irrisio.

ASCEN. Argumenti reciproci seu per ἀντίστρεφον supra mentio facta est.

Quod Plinium secundum hominem non indoctum fugerit latueritque vitium argumenti, quod ἀντίστρεφον. CAPVT XVI.

PLinius Secundus existimatus est esse ætatis suæ doctissimus. Is libros reliquit, quos Studiosorum inscripsit, haud mediusfidius vsquequaque aspernandos. In iis libris multa varie ad oblectandas eruditorum hominum aureis ponit. Refert etiam plerasque sententias, quas in declamandis controuersiis lepide arguteque dictas putat. sicuti hanc quoque sententiam ponit ex huiuscemodi controuersia. Vir fortis præmio, quod optauerit, donetur. Qui fortiter fecerat, petiit alterius vxorem in matrimonium, & accepit. Is deinde, cuius ea vxor fuerat, fortiter fecit, repetit eandem. Contradicitur. Eleganter, inquit, & probabiliter ex parte posterioris viri fortis, vxorem sibi reddi postulantis hoc dictum est, Si placet lex, redde: si non placet, redde. Fugit autem Plinium, sententiolam istam, quam putauit esse argutissimam, vitio non carere, quod græce ἀντίστρεφον dicitur. & est vitium insidiosum, & sub falsa laudis specie latens. Nihil enim minus cõuerti ex contrario idipsum aduersus eundem potest: atque ita à priore illo viro forti dici, Si placet lex, non reddo: si non placet, non reddo. Plinius dormitat.

ASCEN. Omnes fere grammatici consentiunt in hoc, vt per um significetur tempus: per o, ordo & locus, vt tertium vocatus, sit tertio tempore, hoc est ter, cum bis prius vocatus fuerit: tertio scilicet loco & ordine, id est qui tertius sit in ordine vocatorum: licet non nisi semel fuerit vocatus. Et consimiliter longum notat tempus, vt in Buco. Et longum formose vale, vale (inquit) Iola. longe locum. Sane ex hoc capite conuincitur tertium & tertio, non tercium nec tercio scribendum. Sed dictio tamen ambigua verbi lateret. Sed dictio, id est pronũciatio verbi ambigua, id est anceps, tertium an tertio legendum esset, lateret: non quidem Cic. (vt putauit in Mustel. Plau. Pius) sed occultum esset, cum non aperiretur per scripturam illam, quam consulto Cicero suasit fieri obscuram, ne alterum opinantium offenderet: præsertim in re quæ sine detrimento morum latere poterat.

AVLI GELLII NOCTIVM ATTICARVM COMMENTARIORVM, LIBER X.

Tertiũ ne Consul, an tertio dici oporteat: & quonã modo Cn. Pompeius cum in theatro, quod erat dedicaturus, honores suos inscriberet, quæstionem ancipitem istius verbi de consilio Ciceronis vitauerit. CAPVT I.

FAmiliari meo cuipiam literas Athenis Romam misi. In iis scriptum fuit, me illi iam tertium scripsisse. Is ad me rescripsit, petiuitque vt rationem dicerem, cur tertium, ac non tertio scripsissem. Id etiam adscripsit, vt eadem, quid super illo quoque mihi videretur, facerem se certiorem: tertium ne COS. & quartum, an tertio & quarto dicendum esset: cum Romæ doctum virum dicere audisset tertio & quarto COS. non tertium quartumq;, idque in principio libri Cælium scripsisse: & Q. Claud. in libro vndeuicesimo, C. Marium creatum septimo COS. dixisse. Ad hæc ego rescripsi nihil amplius, quàm verba M. Varronis, hominis, opinor, quàm fuit Claudius cum Cælio, doctioris: quibus verbis vtrunque, de quo ad me scripserat, decideretur. nam & Varro satis aperte quid dici oporteret, edocuit: & ego aduersus eum, qui doctus esse dicebatur, litem meam facere absens nolui. Verba M. Varronis ex libro Disciplinarum quinto hæc sunt, Aliud est, quarto Prætorem fieri, & quartum: quòd quarto locum adsignificat, ac tres ante factos: quartum tempus adsignificat, & ter ante factum. Igitur Ennius recte conscripsit, Quintus pater quartum fit Consul. Tertium Consul. Tertio Consul. Quarto Prætor. Quartũ Prætor.

Et Pompeius timide, quod in theatro ne adscriberet Consul tertium, aut tertio, extremas literas non conscripsit. Quod de Pompeio Varro breuiter & subobscure dixit, Tiro Tullius Ciceronis libertus in epistola quadam enarratius scripsit ad hunc ferme modum. Cũ Pompeius (inquit) ædem Victoriæ dedicaturus foret, cuius gradus vice theatri essent, nomenque eius & honores inscriberentur: quæri cœptum est, vtrum Cõsul tertio inscribẽdũ esset, an tertiũ. Eã rẽ Pompeius exquisitissime retulit ad doctissimos ciuitatis. Timide sup. fecit.

cumque dissentiretur, & pars tertio, alii tertium scribendum contenderent: rogauit, inquit, Ciceronem, Pompeius, vt quod ei rectius videretur, scribi iuberet. tum Ciceronem iudicare de viris doctis veritum esse: ne quorum opinionem improbasset, ipsos videretur improbasse. Persuasit igitur Pompeio, vt neque tertium neque tertio scriberetur, sed ad secundum vsque t, fierent literæ tert. vt verbo non perscripto, res quidem demonstraretur: sed dictio tamen ambigua verbi lateret. Id autem quod & Varro & Tiro dixerunt, in eodem nunc theatro non est scriptum. Nam cum multis annis postea scæna quæ prociderat, refecta esset: numerus tertii Consulatus non vti initio prioribus literis tert. sed tribus tantum lineolis III incisis significatus est. In Mar. autem Catonis quarta Origine ita perscriptum est, Carthaginenses sextum de fœdere decessere. id verbum significat, quinquies ante eos fecisse contra fœdus, & tum sextum. Græci quoque in significandis huiusmodi rerum numeris τρίτον καὶ τέταρτον dicunt: quod congruit cum eo quod latine dicitur tertium quartumque.

Tertiũ nõ terciũ scribẽdum, ex hoc cõuincitur.

Sextum .i. sexies.

ASCEN. Partionis. à pario peperi partũ. Neque plures. immo septẽ aiũt. Et fabulã adijciũt: mẽdicã cũ ei vitio matrona daret quòd gemellos enixa esset: nõ enim ex vno viro vero simile duxit eã tot concepisse, orasse vt improperatrix tot pareret quot dies essent in anno: idque impetrasse. vnde quidã trecẽtos sexaginta quinque enixã dicũt, cũ tot sint dies in anno. alij. vij. cũ nõ sint plures dies specie distincti. Addit Maf. Solinus cap. ij. ait Faustã ex plebe mulierẽ vno partu quatrigeminos edidisse, duos mares & totidẽ fœminas. Et vt ait teste Trogo, in AEgypto vno vtero septeni simul geniti sunt. Et in Asia Cn. Põpeio exhibita est mulier tricies enixa. Legi & in Britonũ historia, mulierem peperisse septem liberos vno partu: ne quis putet fabulosum prorsus quod dicitur de Godefridi illius origine qui Solymis præsedit.

Quid Aristoteles de numero puerperii memoriæ mandauerit. CAP. II.

Puerorũ in partu numerus præfinitus

ARistoteles philosophus memoriæ tradidit, mulierẽ in AEgypto vno partu quinque pueros enixam: eumque esse finem dixit multiiugæ hominũ partionis: neque plures vnquam simul genitos compertum. hunc autem esse numerum ait rarissimum. Sed & diuo Augusto imperante, qui temporum eius historiam scripserunt, ancillam Cæsaris Augusti in Agro Laurẽte peperisse quinque pueros dicunt, eosque pauculos dies vixisse: matrem quoq; eorum non multo post quàm peperit, mortuam: monumentumque ei factum iussu Augusti in via Laurentina, inque eo scriptum esse numerum puerperii eius de quo diximus.

Teanum Sidicinũ.

Brutiani.

ASCEN. Gracchum quidam sine h, scribendum censuit: Cælius contra. ego cum latina sit vox, natura nõ aspiratam vsu aut potius abusu aspirari cœptam putem. Qui. i. quomodo, qua ratione potest? Est enim ablatiuus à nominatiuo quid. in quo peccant imperiti dicentes, quid scis, pro qui scis. Teanum Sidicinum. de quo Strabo lib. v. Teanum quod Sidicinum vocant, ordine deinde situm: ex imposito vocabulo Sidicinorum esse demonstratur: qui quidem ex Oscorum gente Campana restant: adeo vt & hæc Cãpaniæ ciuitas diceretur. maxima inter latinas vrbes. Hæc ille. Potest autem Sidicinum pro Sidicinorum dictum accipi, aut adiectiue vt sit epitheton Teani: sicut adiectiue capitur paulo post. Quæstori Sidicino &c. Caleni, qui proximi sunt. & est Calenum etiam insignis vrbs. Ferentini: genitiuus pro aduerbio in loco. Nam ordo est, Prætor noster iussit Ferentini: aut arripi Ferentini. Vnum exemplum. videretur aptius dicere potuisse, vno exemplo. Acerba improbatio. sic quidam reponunt: sed quia sequitur, & vox miserabilis: malim consueto more legere imploratio. s. auxilij po. Ro. quæ acerba, id est vehemens erat: eo quòd vnius po. Ro. mentio, multarum minarum instar haberetur. miserabilis tamen vox, quia non aliud sonabat. Sane cui imploratio non placet, placeat potius improbratio quàm improbatio. Nec aspirauit .i. ne aspirauit quidem. Brutiani, id est serui lorarij, hoc est qui accincti loris verbera & plagas incuterent. ita interpretatur Crinitus lib. ij. cap. vij. docens Brutios pro vilissimis seruis habitos: quòd cum ad Annibalem primi defecissent, eo fugato Senatus in eos sententiam tulit, vt nunquam deinde pro socijs po. Ro. haberentur: sed eis Romani vt seruis vterentur. Bilingues autem dicti sunt quòd Osce & Græce loquerentur. Multa profert Cælius cap. xxxiij. lib. xiij. ac præcedenti, de oratione concisa breuique: & comparatione Phocionis, Catonis, Demosthenis, Periclis, & M. Tullij & Lysandri. Addit præterea Maf. Post prælium ad Cannas commissum Atellani, Calatini, Samnites, Brutij præterea, atque Lucani, alijque permulti Italiæ populi fama ingentis victoriæ moti ad Annibalem defecerunt.

Locorum quorundam illustriũ collatio, contentioque facta, ex orationibus C. Gracchi & M. Ciceronis, ac M. Catonis. CAPVT III.

C. Gracchus orator fortis Gracchi oratio lenis.

FOrtis ac vehemens orator existimatur esse C. Gracchus. nemo id negat. sed quòd nõnullis videtur seuerior, acrior, ampliorq; esse M. Tullio, ferri id quî potest? Legebamus adeo nuper orationẽ Gracchi de legib. promulgatis, in qua M. Mariũ, & quosdã ex municipiis Italicis honestos viros virgis per iniuriã cæsos à magistratibus Po. Ro. quanta maxime inuidia

potest,conqueritur. Verba hæc sunt,quæ super ea re fecit, Nuper Teanum Sidicinum Cōsul venit. vxorem dixit in balneis virilibus lauari velle. Quæstori Sidicino à M. Mario datum est negotium,vti balneis exigerentur qui lauabantur. Vxor renunciat viro parum cito sibi balneas traditas esse, & parum lautas fuisse. Iccirco palus defixus est in foro, eoque adductus suæ ciuitatis nobilissimus homo M. Marius. vestimenta detracta sunt: virgis cæsus est. Caleni, vbi id audierunt, edixerunt, ne quis in balneis lauisse vellet, cum magistratus Romanus ibi esset. FERENTINI ob eādem causam Prætor noster Quæstores arripi iussit. Alter se de muro deiecit, alter prehensus, & virgis cæsus est. In tam atroci re, ac tam misera, atque mœsta iniuriæ publicæ contestatione, ecquid est quod aut ampliter insigniterque, aut lachrymose atq; miseranter, aut multa copiosaque inuidia, grauique & penetrabili querimonia dixerit? Breuitas sane & venustas, & mundities orationis est, qualis haberi ferme in Comœdiarum festiuitatibus solet. Item Gracchus alio in loco ita dicit, Quanta libido, quantaque intemperantia sit hominum adolescentium, vnum exemplum vobis ostendam. His annis paucis ex Asia missus est, qui per id tempus magistratum non ceperat, homo adolescens pro Legato. Is in lectica ferebatur. ei obuiam bubulcus de plebe Venusina aduenit: & per iocum cum ignoraret qui ferretur, rogauit num mortuum ferrent. Vbi id audiuit, lecticam iussit deponi: struppis, quibus lectica deligata erat, vsqueadeo verberari iussit, dum animam efflauit. Hæc quidem oratio super tam violento atque crudeli facinore, nihil profecto abest à quotidianis sermonibus. At cum in simili causa apud M. Tul. ciues Romani innocentes viri, contra ius contraq; leges virgis cæduntur, aut supplicio extremo necātur: quæ ibi tunc miseratio? quæ comploratio? quæ totius rei sub oculos subiectio? quod & quale inuidiæ atque acerbitatis fretum efferuescit? Animum hercle meum, cum illa M. Ciceronis lego, imago quædam & sonus verborum & vocum & eiulationum circumplectitur: velut sunt ista, quæ de C. Verre dicit, quæ nos, vt in præsens potuimus, quantum memoria suppeditabat, adscripsimus, Ipse inflammatus scelere & furore in forum venit. ardebant oculi, toto ex ore crudelitas emanabat. expectabant omnes, quo tandem progressurus, aut quidnam acturus esset: cū repente hominem proripi, atque in foro medio nudari ac deligari, & virgas expediri iubet. Iam hæc mediusfidius sola verba nudari ac deligari & virgas expediri iubet, tāti metus horrorisque sunt, vt non narrari quæ gesta sunt, sed rem geri prorsus videas. Gracchus autem noster, non querentis neque implorantis, sed nunciantis vice: Palus, inquit, in foro defixus est. vestimenta detracta sunt: virgis cæsus est. Sed enim Mar. Cicero præclare, cum diutina repræsentatione, non cæsus est, sed, Cædebatur, inquit, virgis in medio foro Messanæ ciuis Romanus. cum interea nullus gemitus, nulla vox alia istius miseri inter doloré crepitumque plagarum audiebatur, nisi hæc, Ciuis Romanus sum. hacce commemoratione ciuitatis, omnia verbera depulsurum, cruciatumque à corpore deiecturum arbitrabatur. Complorationem deinde tam acerbæ rei & odiū in Verrem, detestationemque apud ciues Ro. incense, atque acriter, atque imflammanter facit, cum hæc dicit. O nomen dulce libertatis. O ius eximium nostræ ciuitatis. O lex Porcia, legesque Semproniæ. O grauiter desiderata, & aliquando reddita plebi Romanæ Tribunitia potestas. huccine tandem hæc omnia reciderunt, vt ciuis Romanus in prouincia po. Ro. in oppido fœderatorum, ab eo qui beneficio po. Ro. fasces ac securis haberet, deligatus in foro virgis cæderetur? quid cum ignes, ardentesque laminæ, cæterique cruciatus admouebantur? Si te acerba illius imploratio, & vox miserabilis non leniebat: ne ciuium quidem Romanorum, qui tum aderant, fletu gemituq; maximo cōmouebare? Hæc M. Tul atrociter, grauiter, copiose, apteque miseratus est. Sed si quis tam agresti aure ac tam hispida, quem lux ista & amœnitas orationis, verborumque modificatio parum delectat: amat autem priora iccirco quòd incōpta & breuia, & nō operosa sed natiua quadam suauitate sunt, quódque in iis vmbra & color quasi opacæ vetustatis est: is si quid iudicii habet, consideret in causa pari M. Catonis hominis antiquioris orationé, ad cuius vim & copiā Gracchus nec aspirauit: intelliget (opinor) Catoné contentum eloquentia ætatis suæ non fuisse, & id iam tū facere voluisse, quod Cicero postea perfecit. In eo nāque libro qui de falsis pugnis inscriptus est, ita de Q. Thermo conquestus est, Dixit à Decéuiris parum sibi bene cibaria curata esse. iussit vestiméta detrahi atque flagro cædi. Decéuiros Brutiani verberauere. videre multi mortales. Quis hāc contumeliam, quis hoc imperium, quis hanc seruitutem ferre potest? nemo hoc Rex ausus est.

Ferentini.

M. Ciceronis vehementia.

M. Catonis excellēs oratio.

„ facere.ea ne fieri bonis bono genere natis boni consulitis? Vbi societas? vbi fides maio-
„ rum?insignitas iniurias,plagas,verbera,vibices,eos dolores atque carnificinas per dede-
„ cus atque maximam contumeliam,inspectantibus popularibus suis, atque multis mor-
„ talibus te facere ausum esse?Sed quantum luctum,quantumq; gemitum, quid lachryma-
„ rum,quatũq; fletuum factum audiui?Serui iniurias nimis ægre ferũt:quid illos bono ge-
„ nere natos,magna virtute præditos opinamini animi habuisse,atque habituros, dum vi
Brutiani. „ uent? Quod Cato dixit, Brutiani verberauere, nequis fortasse de BRVTIANIS requirat, id significat, Cũ annibal Pœnus cum exercitu in Italia esset, & aliquot pugnas populus Ro. aduersas pugnauisset, primi totius Italiæ Brutii ad Annibalem desciuerunt. Id romani ægre passi, postquã Annibal Italia decessit, superatique Pœni sunt, Brutios ignominiæ causa non milites scribebant, nec pro sociis habebãt, sed magistratibus in prouincias eũtibus parere & præministrare seruorum vicem iusserunt. Itaque ii sequebantur magistra- Loranj. tus, tanquam in scenicis fabulis qui dicebantur LORARII: & quos erant iussi, vinciebant aut verberabant. Quòd autem ex Brutiis erant, appellati sunt Brutiani.

ASCEN. Positu.i.ex impositione:arbitraria ab homine facta. Labias priores.i.anteriores labiorum partes. nos enim labia genere neutro dicimus vbi prisci labias fœminino. Sane quia primi parentes nostri (quod credimus) statim vt creati, locuti sunt, & nomina rebus imposuerunt, certum nobis est sermonem omnem & nominum impositionem dei esse donum: cum etiam in varietate linguarum à deo irato facta tanta sit adhuc concinnitas, vt humana ope fieri potuisse non credas. Deus autem & parens naturæ vt fragilitati nostræ opitularetur multa quæ ipse facit, ab natura facta videri voluit. In Græcis &c. σύ, tamen minus demonstrat quam tu: nisi dicas su.

Quod Nigidius argutissime docuit nomina non positiua esse, sed naturalia.

CAPVT IIII.

Nomina verbaque non positu fortuito, sed quadam vi & ratione naturæ facta esse P. Nigidius in grammaticis commentariis docet, rem sane in philosophiæ dissertationibus celebrẽ. quæri enim solitum apud philosophos, φύσει τὰ ὀνόματα ἢ θέσει. In eam rem multa argumenta dicit, cur videri possint verba esse naturalia magis quàm arbitraria: ex quibus hoc visum est lepidum & festiuũ. Vos, inquit, cum dicimus, motu quodam oris conueniente cum ipsius verbi demonstratione vtimur, & labias sensim primores emouemus, ac spiritum atque animam porro versum, & ad eos quibus sermocinamur, intendimus: at contra cum dicimus, nos, neque profuso intentoque flatu vocis, neque proie- Labias. ctis labiis pronunciamus: sed & spiritum, & labias, quasi intra nosmetipsos coercemus. Hoc idem fit & in eo quod dicimus, tu, ego, & tibi, & mihi. Nam sicuti cum adnuimus & abnuimus, motus quidem ille vel capitis, vel oculorum à natura rei, quam significat non abhorret: ita in his vocibus quasi gestus quidam oris & spiritus naturalis est. Eadẽ ratio est in Græcis quoque vocibus, quam esse in nostris animaduertimus.

Natura ne nomina sint an positu? (handwritten marginal note)

ASCEN. Auarus haud dubie nomen verbale est. Fictura: legitur & factura. sed parui refert.

Auarus simplex ne vocabulum sit, an compositum & duplex, sicut P. Nigidio videtur.

CAPVT V.

Auarus. AVARVS non simplex vocabulum, sed iunctum copulatumque esse Nigidius dicit in commentariorũ vndetricesimo. Auarus, inquit, appellatus, qui auidus æris est: sed in ea copula, e, inquit, litera detrita est. Item locupletem ait dictum, ex compositis vocibus, qui pleraque loca, hoc est qui multas possessiones tenet. Sed probabilius id firmiusque est Locuples. quod de locuplete dicit. nam de auaro ambigitur. cur enim non videri possit ab vno solum verbo inclinatum, quod est aueo? eademque esse fictura, qua est amarus? de quo nihil dici potest quin duplex non sit.

ASCEN. Appij Cæci filia. Ea Claudia nomine à Vale. Max. lib. viij. de iudiciis publicis dicitur: à Liuio etiam Quinta cognominatur. erat autem Vestalis, & miraculo ab incestus suspitione liberata: & tamen hominum iudicium ob superbiam & impium desiderium non aufugit. vnde dicit Vale. Quam insontem crimine quo accusabatur, votum impium subuertit.

Multam dictam esse ab AEdilibus plebis Appii Cæci filiæ mulieri nobili, quòd locuta esset petulantius. CAP. VI.

NOn in facta modo, sed in voces etiam petulantiores publice vindicatū est. ita enim debere esse visa est Romanæ disciplinæ dignitas inuiolabilis. Appii nanque illius Cæci filia, à ludis, quos spectauerat, exiens turba vndiq; confluentis, fluctuantisq; populi iactata est: atque inde egressa, cum se male habitam diceret, Quid enim in me tunc factum esset, inquit, quantóq; arctius pressiúsq; cōflictata essem, si P. Claudius frater meus nauali prælio classem nauiū cum ingenti ciuiū numero nō perdidisset? Certe quidē maiore nūc copia populi oppressa intercidissem. sed vtinã, inquit, reuiuiscat frater, aliãq; classem in Siciliã ducat, atq; istã multitudinē perditū eat, quæ me male nunc miserã cōuexauit. Ob hæc mulieris verba tã improba ac tam inciuilia, C. Fundanius, & Tib. Sempronius AEdil. Pleb. multam dixerunt ei æris grauis xxv milia. Id factum esse dicit Capito Atteius in commentario de iudiciis publicis, bello Punico primo, Fabio Licinio, & T. Acilio Crasso COSS.

Appij Cæci filiæ libertas punita.

ASCEN. Videtur titulus à contextu discrepare: nã titulus vltra imperiū Rom. fluere dicit: contextus innuit intra fluere: videlicet qua imperiū Romanū est: vnde & internū dicūt Græci mare. Sed caute inspicietibus locū vtrūque, nulla est discrepãtia: dicit enim flumina vltra imperiū fluere in maria qua imperiū Ro. est. Quæ intra impe. Ro. fluūt &c. Rhodanus aūt Lugduni Ararim recipiens Istro longe minor est.

Fluminū, quæ vltra imperiū Romanum fluunt, prima magnitudine esse Nilū, secunda Istrū, proxima Rhodanū, sicut M. Varronem memini scribere. CAP. VII.

OMnium fluminum quæ in maria qua imperiū Romanum est, fluunt, quã Græci τὴν ἔσω θάλασσαν appellant, maximum esse Nilum cōsentitur. proxima magnitudine esse Istrum scripsit Sallustius. Varro autem cum de parte orbis, quæ Europa dicitur, dissereret, in tribus primis eius terræ fluminibus Rhodanum esse ponit: per quod videtur eum facere Istro æmulum. Istrus enim quoque in Europa fluit.

Nilus. Istrus. Rhodanus.

ASCEN. Certū est noxiū sanguinē furiã ciere: verū in milite videtur ignominiæ ratio, aut quòd sanguinis sui fundēdi parcior fuerit, aut quòd integro sanguine indignus: nam tales fortes credebãtur. vnde AEn. ij. Vos quibus integer æui Sãguis &c. aut quòd in minori sanguine plus est cōsilij & minus audaciæ.

Inter ignominias militares quibus milites coercebãtur, fuisse sanguinis dimissionē: & quænam esse videatur causa huiuscemodi castigationis. CAP. VIII.

FVit hæc quoq; antiquitus militaris animaduersio, iubere ignominiæ causa, militi venam solui, & sanguinem dimitti. cuius rei ratio in literis veteribus, quas equidem inuenire potui, non extat: sed opinor factum hoc primitus in militibus stupentis animi, atque à naturali habitu declinantis, vt non tam pœna quàm medicina videretur. postea tamen ob pleraque alia delicta idem factitatum esse credo per consuetudinem, quasi minus sani viderentur omnes qui delinquerent.

Sanguinis missio ignominiosa.

ASCEN. Sui cuiusq;: in fœminino vtrūq; genere: quia præmisit, earūq; rerū, nisi iungatur cū vocabuli.

Quibus modis, quóque habitu acies Romana instrui solita sit, quæque eorū instructionum sint vocabula. CAP. IX.

VOcabula sunt militaria, quibus instructa certo modo acies appellari solet, frons, subsidia, cuneus, orbis, globus, forfices, serta, alæ, turres. hæc & quædam item alia inuenire est in libris eorum, qui de militari disciplina scripserunt. Tralata autē sunt ab ipsis rebus, quæ ita proprie nominantur, earūq; rerū in acie instruēda sui cuiusq; vocabuli imagines ostenduntur.

Vocabula aciei instruendæ.

ASCEN. Anatomas vulgo anatomias vocãt. De hac annulorum ratione vide Macrob. Satur. lib. vij.

Quæ eius rei causa sit, quòd & Græci veteres & Romani annulū in eo digito gestauerunt, qui est in manu sinistra minimo proximus. CAP. X.

VEteres Græcos annulum habuisse in digito accepimus sinistræ manus, qui minimo est proximus. Romanos quoq; homines aiūt sic plerunque annulis vsitatos. Causam esse huius rei Appion in libris AEgyptiacis hãc dicit, ꝙ insectis apertisq; humanis corporibus, vt mos in AEgypto fuit, quas Græci ἀνατομὰς appellant, repertum est neruum quendam tenuissi-

Annulus cur in digito auriculari proximo gestetur.

mum ab eo vno digito, de quo diximus, ad cor hominis pergere ac peruenire. propterea non inscitum visum esse eum potissimum digitum tali honore decorandum, qui continens, & quasi connexus esse cum principatu cordis videretur.

ASCEN. In primo quoque AEnei. Maturate fugã, proprie dixit. nõ enim vtilis fuisset ventorũ præcipitata fuga. Cui titulus Nomen. rectius legitur νόμος. i. lex & regula. Præcox præcocis secundã producit, præcoquis corripit: & ita pro quantitate varia, scribetur varie. Maserius tamen contẽdit secũdã in obliquis nominis præcocis etiam corripi, quia sic scriptũ comperit. quod mirũ nõ est cũ c & q sæpe confundãtur, vt coquus & cocus, loquutus & locutus, seruata eadẽ quãtitate: itaque præcocibus pro præcoquibus scriptũ secunda correpta legitur: nec admirandum cum deriuatiua ad primogenita reducãtur: vt aquilex ad verbum lego, exlex ad nomẽ lex: sic præcox vtcũque scribatur ad verbũ coquo respiciẽs co, corripiat. verba Maserij sunt. Calphurnius ait, Insita præcocibus subrepere persica prunis. ergo corripitur. & apud Afranium, quem Gellius citat, si recte inspicitur secunda corripitur. Nam clauditur iambicus versus hic iambo. post enim creticum & anapæstum sequuntur quatuor spondei, inde iambus. Item Bapt. Mantuanus in morte Alexandri Cortesij: Mors ingenijs est inuida semper Præcocibus, sic Lucanum, sic dura Tibullum, Sic alios tulit innumeros. Addit & hoc, Apud Ciceronem primo de officijs, Et animi magnitudo, quæ dicitur (Aldo) μεγαλοψυχία: quæ dictio illic desideratur, vt hic νόμος. De hac re lege Macrobium Saturn. vj. Et Erasmum in primo Prouerb. secundæ Chiliados.

Præcox. Locus Ciceronis.

Verbum mature quid significet, quæque vocis eius ratio sit: & quod eo verbo vulgus hominũ improprie vtitur. atq; inibi, quod præcox declinatũ præcocis facit nõ præcoquis.

CAPVT XI.

Mature. MAture nunc significat propere, & cito, contra ipsius verbi sentẽtiam. aliud enim est mature, quàm quod dicitur propere. P. Nigidius homo omniũ bonarum artium disciplinis egregius, Mature, inquit, est quod neque citius est, neque serius, sed medium quiddam & temperatum est. Bene atque proprie Nigidius. nam & in frugibus, & in pomis matura dicuntur, quæ neque cruda & immitia sunt, neque caduca & decocta, sed tempore suo adulta maturatáque. Quoniam autem id quod non segniter fiebat, mature fieri dicebatur, progressa plurimum verbi significatio est: & non iam, quod non segnius, sed quod festinantius fit, id fieri mature dicitur: quando ea quæ præter sui temporis modum properata sunt, immatura verius dicantur. Illud vero Nigidianum rei atque verbi temperamẽtum, diuus Augustus duobus Græcis verbis elegantissime exprimebat. nam & dicere in sermonibus, & scribere in epistolis solitum esse aiunt, σπεῦδε βραδέως. Per quod monebat, vt ad rem agendam simul adhiberetur & industriæ celeritas, & diligẽtiæ tarditas. ex quibus duobus cõtrariis fit maturitas. Virgilius quoque, si quis animum attendat, duo ista verba properare & maturare, tanquam plane contraria scitissime separauit in hisce versibus,

Matura. Immatura. Festina lẽte. Maturitas. Virg. loc.

Frigidus agricolam si quando continet imber,
Multa forent quæ mox cælo properanda sereno,
Maturare datur.

Elegãtissime ista duo verba diuisit. nãq; in præparatu rei rusticæ, per tẽpestates pluuiásq; cũ ocium est, maturari potest: per serenas cum tẽpus instat, properari necessum est. Cum significandum autem est coactius quid factum & festinantius, tum rectius Præmature factum id dicitur, quàm mature. sicut Afranius dixit in Togata, cui titulus Νόμος est,

Præmature.

Adpetis dominatum demens præmature præcocem.

In quo versu animaduertendum est quòd præcocem inquit, nõ præcoquem. est enim casus eius rectus, non præcoquis, sed præcox.

Præcox.

ASCEN. Derepẽte. i. subito. repens enim priore breui pro repẽtino legitur AEnei. xij. Quo ruitis? quæve ista repẽs discordia surgit? Adnotãtur ad hoc caput à Maserio hæc. Dædalus dicitur Veneris statuã fecisse mobilẽ infuso argẽto viuo: & Poeta diuinus ait Vulcanũ & Dædalũ tripodas fecisse qui in certamen descenderũt. De Chamæleontis natura Erasmus adfert nonnihil, & de Gygis annulo, & orci galea. Plutarchus in Alcibiade ait Chamæleonta ad omnes suscipiendos colores aptum, excepto albore: cui Alcibiadẽ cõfert. Nam inter Laconicos erat grauis, seuerus & egregius pugnator: inter Ionios mollis, iners, & voluptatibus deditus: in Thracia potãdo, equitando Barbaros mores incredibili arte imitabatur: inter Persas, magnificentia omnes superabat & delicijs. Video Chamæleon scribi secunda notata dihpthõgo, cũ tamen Archithrenius dixerit: Nitro pharos, India nardo, Chameleonte Phryges, basiliscis Aphrica, Nilus Hippotamis, Gãges hebenis, struthionibus Helle &c. Mirabilis sane est vis in quibusdam herbis lapillisque & animãtibus quibusdam. Pœonia collo appẽsa morbos comitiales pellit, Polypodiũ atram bilem purgat. Timor corallo pellitur. Laurus aduersus fulgur amuletũ est vel præstãtissimũ. Echeneis licet vẽti ruant, mũdi rabiem perdomat & infrenat impetum, nauigia sistẽdo ratione quadã mirabili. Lege

Venus mobilis. Chameleontis natura. Alcibiades. Herbarũ vis & lapillorum. Annulorũ vis.

Cæliũ ca.xxv.lib.iij.multa proferẽtem de Gygis annulo:& in sequẽti ca.de septẽ Iarchæ annulis senij vitium repellentibus:de Batti annulo gratitudinis argumentũ habẽte,& de annulis physicis. Idem Cælius ait,ca.xxxviij.lib.j.Quis nescit ex Plinio & alijs tũ Græcis tum Latinis, Zeuxin pictura nobilẽ tã artifici ingenio vuas repræsentasse pingendo,vt deceptæ aues ad eas tanquam plane veras aduolarint?Iam vero Apelles,quomodo sileri potest?cui tantũ superfuit excellẽtis peritiæ,vt equã sic ad verũ expresserit & canem,vt æqui prætereuntes adhinnirent,& adlatrarent canes.Proditum est memoriæ marmoream Venerem arte tam mira à Praxitele elaboratã,vt spectãtes subinde libidinis titillarentur incẽtiuis. Quis Archytam Tarentinũ nescit vltra hominis captũ adeo mathematicis rationibus progressum, vt è ligno colũbã sic adfabre compingeret,libraret,inflaret,vt verarum instar in volatum surrigi videretur?Alia superaddit miracula,quibus magnam probat hominis industriam:ita vt verũ sit illud Archithrenij, Ingenij furor instat,& inuia præceps Rumpit,& artifici cedit natura labori.Idque,Illud enim supráque potest, nulláque magistras Non habet arte manus,nec summa potentia certo Fine coarctatur.

Picturæ insignes.

Lignea Columba volatilis.

De portentis fabularũ,quæ Plinius Secundus indignissime in Democritum philosophum confert.Ibidem de simulacro volucri columbæ. CAP. XII.

LIbrum esse Democriti nobilissimi philosophorum de vi & natura Chameleontis,eũq; se legisse Plinius Secũdus in Naturalis historiæ XXVIII refert:multáque vana atq; intoleranda auribus, deinde quasi à Democrito scripta tradit.ex quibus pauca hæc inuiti meminimus,quia pertæsum est, Accipitrem auem rapidissimam à Chameleonte humi reptante si eũ forte superuolet,detrahi,& cadere vi quadam in terram,cæterisq; auibus laniandũ sese sponte sua obiicere & dedere. Item aliud vltra fidem,Caput & collum Chameleontis, si vratur ligno,quod appellatur robur,imbres & tonitrua derepente fieri:idque ipsum vsu venire,si iecur eiusdem animalis in summis tegulis vratur.Item aliud,quod hercle an ponerem dubitaui,ita est deridiculæ vanitatis:nisi idcirco plane posui q̃ oportuit nos dicere,quid de istiusmodi admirationum fallaci illecebra sentiremus,qua plerũq; capiuntur, & ad perniciem elabuntur ingenia maxime solertia:eáq; potissimum,quæ discendi cupidiora sunt.Sed redeo ad Plinium. Sinistrum pedem ait Chameleontis ferro ex igni calefacto torreri cum herba,quæ appellatur eodem nomine Chameleon, & vtrũq; macerari vnguento,colligique in modum pastilli,atq; in vas mitti ligneum:& eum qui id vas ferat,etiam si is in medio palam versetur,à nullo videri posse. His portentis atque præstigiis à Plinio Secundo scriptis,non dignũ esse cognomẽ Democriti puto. Vel illud quale est,quod idem Plinius in decimo libro,Democritũ scripsisse adseuerat,Aues quasdam esse certis vocabulis,& earum auium confuso sanguine gigni serpentem.eum si quis ederit, linguas auium & colloquia interpretaturum.Multa autem videntur ab hominibus male solertibus huiuscemodi commenta in Democriti nomen data,nobilitatis authoritatisque eius perfugio vtentibus.Sed id quod Archytam Pythagoricum commẽtum esse atq; fecisse traditur,neq; minus admirabile,neq; tamen vanũ æque videri debet.nam plerique nobiliũ Græcorũ,& Phauorinus philosophus memoriarũ veterũ exequẽtissimus, adfirmatissime scripserunt,Simulacrũ columbæ è ligno ab Archyta ratione quadã disciplináq; mechanica factũ volasse:ita erat scilicet libramẽtis suspensum,& aura spiritus inclusa atq; occulta concitũ. Libet hercle super re tã abhorrenti à fide,ipsius Phauorini verba ponere, Ἀρχύτας ταραντῖνος φιλόσοφος ἅμα καὶ μεχανικὸς ὢν ἐποίησε περιστερὰν ξυλίνην πετομένην, ἥτις εἴποτε καθήσειεν, οὐκ ἔτι ἀνίστατο, μέχρι γὰρ τούτου.

Pliniana fides eleuatur.

Chameleontis natura.

Inuisibilis qui fias.

Auiũ colloquia quomodo intelligãtur.

Columbæ ligneæ volatus.

ASCEN. Partim & similia in im aduerbia quandã quasi distributionẽ connotare videntur.Nã viritim est quasi per viros,videlicet singulos:generatim per genera:saltuatim per saltus:sic partim per partes,aut tim quasi tenus significat,vt partim sit parte tenus.Sane quãdo huiusmodi particulæ quæ aduerbia sunt præpositionẽ extra cõpositionẽ recipiũt,vidẽtur in multis nomina:& ideo dixerunt non vsqueadeo imperiti,si dico partim illorũ,significare parte tenus,aut pro parte:si cũ partim illorũ, iam partim videri solũ id quod est parte:per regulã quã dixi,AEquiualẽs geminis &c.& ita pro nomine poni.Præpositio autẽ licet durius,præpositionẽ admittit: vt depost fœtãtes &c.Id cubiculũ subrectitauit. sunt qui legãt subreptitauit.i.frequenter clam irrepsit ad coitum.loquitur enim de Flora meretricula dea habita.

Cum partim hominum,qua ratione dixerint. CAP. XIII.

PARTIM hominum venerunt plerũq; dicitur,quod significat pars hominum venit.i.quidã homines:nã partim hoc in loco aduerbiũ est, neq; in casus inclinatur:sicuti,cũ partim hominũ,dici potest.i.cũ quibusdã hominibus,& quasi cum quadam parte hominum. M.Cato in oratione de re Floria ita scripsit,Ibi pro scorto fuit,in cubiculũ subreptitauit ẽ conuiuio: cum partim illorum iam sæpe ad eundem modum erat. Imperitiores autem, cum par-

Partim hominum venerunt.

Cum partim hominum.

tim, legunt tanq̃ declinatum sit quasi vocabulum, non dictum quasi aduerbium. Sed Q. Claudius, XXI. Annali insolentius paulo hac figura est ita vsus, Eum enim cum partim copiis hominum adolescentium placentem sibi. Item Q. Claudii in XXIII Annali ver„ ba hæc sunt, Sed icciro me fecisse, quod vtrum negligentia partim magistratuũ, an aua„ ritia, an calamitate populi Rom. euenisse dicam, nescio.

ASCEN. Quæ mihi factũ itur. si dixisset quã, iam impersonali accusatiuum à tergo dederit: quod etiam insuetũ fuerit: nunc autem itur personale videtur quibusdã, & it factũ supinum: sed dici non potest, quia eo passiuũ non admittit: vnde malim dicere, dicendi figuram propter viri authoritatem potius q̃ ratione certã defendi: cum non omnium quæ permittuntur certa sit ratio, & viri summi subinde in minimis dormitent. De qua re mox latius dicam, vbi Maserij præmisero sententiam, quæ huiusmodi est. Remotius paulo dicitur, iniuria itur factum, cum personaliter sumatur itur. Et si dixisset Cato quã, iam fuisset vsus impersonali verbo. Et quod subiungitur quòd haberet accusatiuum post se, hoc negatur maxime: nã supinũ factũ regit accusatiuũ, & id ex natura. Præterea quis negat impersonale verbũ posse accusatiuũ habere? videatur Priscianus, Alexander, & interne otericos Despauterius. Hæc ille. Quibus & alijs plusculis nuper additis videtur constituisse refellere dicta interpretis, cuius tamen non vsquequaque mẽtem capit: non enim vult accusatiuũ tũc verbo itur cõstruẽdũ, sed supino factũ: quod itidẽ impersonale censuerit, si impersonali addatur, vt cœpit puerũ facti pœnitere, cœpit impersonale est: cœpit puer amare, personale. Itaque si itur est impersonale, factum etiam videtur impersonale. Quod autẽ quærit, quis negat impersonale &c. quæro vicissim, quis idoneorũ accusatiuũ illi dederit? & vt bonis viris idẽ mecum sentientibus os obstruat, adferat vnũ Ciceronis aut Quintiliani, aut alterius classici locũ syncerũ & cauillatione vacuũ: & fatebor, quod semper fassus sum, verbi naturam non repugnare, sed bonorum cõsuetudinẽ: licet forte semel atque iterum vt næuos candido orationis corpori aspergant, secius fecerint: in vniuersis autẽ præceptis meis id ago vt quid pueri inculpate factitent admoneamus, non quam ex næuo decenter apposito gloriolam venentur: eam enim proprio iudicio vbi multa legerint mature sectabuntur.

Iniuria mihi factum itur, quali verborum ordine Cato dixerit. CAP. XIIII.

Iniuriã factum iri. Iniuria factum itur.

A Vdio illi iniuriam factum iri, audio contumeliam dictum iri, vulgo quoque ita dici, & istam esse verborum figuram iam in medio loquendi vsu: idcirco exemplis supersedeo. Sed contumelia illi vel iniuria factum itur, paulo est remotius. Exemplum igitur ponemus. M. Cato pro se cõtra C. „ Cassium, Atque euenit ita Quirites, vti in hac contumelia, quæ mihi per „ huiusce petulantiam factum itur, rei quoque pub. medius fidius miserear Quirites. Sicut „ autem contumeliam factum iri, significat iri ad contumeliam faciendã, id est operã dari quo fiat contumelia: ita contumelia factum itur, casu tantum immutato idem dicit.

ASCEN. Flaminẽ Dialem. i. sacerdotẽ Iouis. Religio est. i. vt res religiose prohibita anxie cauẽdũ est. I. significat primum. II. i. deinde. III, id est tertium, aut tum &c. Classem &c. videre: repete religio est. Fulcrum, id est sustentaculum, à fulciendo. Subter arborem felicem. sunt qui siliquam legant, sed felicem admitto. Festatus. dubito an textatus scribendum sit. Sub Dio. i. Ioue. i. aperto aere aut cælo. Super Flaminẽ. legam supra. i. in superiore parte. Flaminio. i. sacerdotio aut Flaminis officio. Bustum. i. cadaueris humani combusti cinerum repositorium. Cum it ad Argeos. i. simulacra scirpea de ponte sublicio loco Argeorũ in Tyberim demittenda. Vt enim Philip. Beroaldus in Adnotationibus scriptum reliquit: Prisci eius loci vbi nunc Roma est incolæ, quotquot Græcorum ceperant, de ponte sublicio. i. ex licijs sine clauis facto, in Tyberim deijciebant: quam rem vt impiam Hercules ex Hispania illac iter faciens, detestatus, monuit vt simulacra scirpea illorum loco deijcerent, maneret tamen Argeorũ nomen: eo quòd Græcos fere Argiuos tunc vocabant. Eos autem vt religiosa res credatur, Flaminicæ deiectabant & Pontificum vxores. Pontifices autem dicti sunt quòd pontis sublicij reficiendi munus haberent. Hermolaus autem in. lx. cap. lib. vij. Plin. de na. histo. nõ pauca de Argeis. Ouidius autem Vestalium id munus fuisse innuit in Fastis canens. Tunc quoque priscorum virgo simulacra virorum Mittere roboreo scirpea ponte solet. Et quòd virica surculum &c. Viriculum est missilis genus, vt docet Cælius lib. xiiij. quod Græci cestron vocãt. id autem à virico deductum videtur. Surculum virgulam quæ de radice pullulat dicimus. De arbore felici. & hic prius siliqua legebatur: sed malim felici legere. Sane Cælius libro sexto cap. septimo describit eam sic. Felices arbores Cato dixit, quæ fructum ferũt, Infelices quæ non ferunt. Plinius author est infelices existimari, damnatásque religione, quæ neque seruntur, vnum neque fructum ferunt. At Veranius de verbis Põtificalibus, Felices, inquit, arbores putantur, Quercus, AEsculus, Ilex, Sapinus, Fagus, Corylus, Sorbus, Ficus alba, Pyrus, Malus, Vitis, Prunus, Cornus, Lotus. Tarquinius vero Priscus in Ostentario arborario sic ait, Arborum, quæ inferûm deorum auertentiumque in tutela sunt, eas infelices nominant, vt quæ baccam nigram nigrósque fructus ferunt. Hæc ille. Additur & ficus nigra. Catull. infelicem notat arborem infelicibus vstulandam lignis. vide Macrobium in fine tertij. Sane præter hæc adnotauit etiam sequentia Maserius. Festus Pompeius addit quòd vel soleas vel calceos fieri ex pecudis mortuæ corio nefas sit, quoniam sua morte extincta funesta sunt omnia. Item fabam tangi, quòd ad mortuos pertineat. Nam & lemuralibus iacitur laruis, & parentalibus adhibetur sacris: & in flore luctus literæ apparent. Quare autem dicatur Dialis, subiungit idem. Ad illud. Ignem è Flaminia &c. adnota-

Argei.

Felices arbores. Infelices quæ.

Funesta morticina & faba.

uit hæc Mas.Ignis seruabatur perpetuus, etiam in templo Vestæ à virginibus: ad cuius similitudinem ait D.Aug.interpres apud Iudæos sacer ignis & perpetuus dicitur adseruatus. Huius meminit sanctus Hieronymus.vj.ca.Leuit. & alijs locis in eodem lib. Narrat & Petrus Comestor, vt idem interpres prosequitur, quòd Hieremias propheta ignem in locis subterraneis longo tempore captiuitatis Iudaicæ custoditũ sacrificium obtulit: nam opus erat sacro igni perpetuo, qui credebatur extinctus. De hoc nonnihil ego in Vale.Flac.Hæc ille.

De Flaminis Dialis, deque Flaminicæ cerimoniis: verbaq; ex edicto Prætoris apposita, quibus dicit, non coacturum se ad iurandum, neq; virgines Vestæ, neque Diales.

CAPVT XV.

Cerimoniæ impositæ Flamini Diali multæ, itẽ casus multiplices, quos in libris qui de sacerdotalibus publicis cõpositi sunt, item in Fabii Pictoris librorum primo scriptos legimus. vnde hæc ferme sunt, quæ cõmeminimus. I, Equo Dialem Flaminẽ vehi religio est. II, Classem procinctam extra pomœriũ, id est extra * exercitum armatum videre: idcirco rarenter Flamen Dialis creatus COS. est, cum bella Consulibus mandabantur. III, Item iurare Dialem fas nunquam est. IIII, tem annulo vti, nisi peruio cassoque fas non est. V, Ignem è Flaminia. i. Flaminis Dialis domo, nisi sacrum efferri ius nõ est. VI, Vinctum, si ædes eius introierit, solui necessum est, & vincula per impluuium in tegulas subduci, atque inde foras in viã dimitti. VII, Nodũ neq; in apice, neq; in cinctu, neq; alia in parte vllum habet. VIII, Siquis ad verberandum ducatur, si ad pedes eius supplex procubuerit, eo die verberari piaculum est. IX, Capillum Dialis, nisi qui liber homo est, nõ detonset. X, Capram & carnem incoctam & hederam & fabam, neque tangere Diali mos est, neque nominare. XI, Propagines è vitibus altius prætentis nõ succedet. XII, Pedes lecti in quo cubat, luto tenui circũlitos esse oportet: & de eo lecto trinoctium continuũ non decubat: neq; in eo lecto cubare aliũ fas est: neque apud eius lecti fulcrum capsulam esse cum strue atque ferro oportet. XIII, Vnguium Dialis & capilli segmina subter arborem felicem terra operiũtur. XIIII, Dialis quotidie festatus est. XV, Ac sine apice sub dio esse licitum non est, sub tecto vti libet. & non pridem à Pontificibus constitutum, Massurius Sabinus scripsit, & alia quædam remissa, gratiamque aliquot cerimoniarum factã dicit. XVI, Farinam fermento imbutam attingere ei fas non est. XVII, Tunicam intimam, nisi in locis tectis nõ exuit, ne sub cælo tanquã sub oculis Iouis nudus sit. XVIII, Supra Flaminem Dialem in conuiuio, nisi Rex sacrificulus, haud quisquam alius accumbit. XIX, Vxorem si amisit, Flaminio decedit. XX, Matrimonium Flaminis, nisi morte dirimi non est ius. XXI, Locum in quo bustum est, nunquam ingreditur. XXII, Mortuum nunquam attingit, funus tamen exequi non est religio. Eædem ferme cerimoniæ sunt, quas Flaminicas sacerdotissas Dialis, seorsum aiunt obseruitare, veluti est. I, Quòd bene nato operitur. II, Et quòd virica surculum de arbore felici habet. III, Et quòd scalas, quæ græce κλίμακας appellantur, eas ascendere ei plus tribus gradibus religiosum est. IIII, Atque etiam cum it ad Argeos, quòd neque comit caput, neque capillum depectit. Verba Prætoris ex edicto perpetuo de Flamine Diali, & de sacerdote Vestæ adscripsi, Sacerdotem Vestalem & Flaminem Dialem in omni mea iurisdictione iurare non cogam. Verba M. Varronis ex secundo rerũ diuinarũ super Flamine Diali hæc sunt, Is solus albũ habet galerum, vel quòd maximus est, vel ꝙ Ioui immolata hostia albato fieri oporteat.

Flaminis Dialis cerimoniæ.

Flaminicarum Dialiũ cerimoniæ.

Verba Prætoris & Varronis.

ASCEN. Locus de Velinis portubus non est purgatu facilis, nisi Veliam dicas non ædificatã postea sed instauratã: aut portus aliunde Velinos dictos, & ab illis postea vrbẽ Veliam. De Theseo facile soluitur: nã semel quidẽ liberatus est cũ viuus illuc descẽderat: ac defunctus sedet æternumque sedebit &c. & mox cur semper sedeat argutius dicetur. De argiuis autem & Pyrrho facilius: quia ille diuersos demõstrat, vt vult Seruius, in versu Ipsumque AEaciden &c. subauditur ille: ac nescio an sic scriptum Maro reliquerit, Ille ipsum AEaciden &c. Sicut repetenda videtur particula aut, in Buco. Quid loquar, aut Scyllã Nisi, aut quã fama secuta est &c. De qua re supra disputatũ est. & per Maseriũ ostẽsum Scyllã Nisi non Phorci in monstrũ marinum versam. Sunt qui vt historiã & tẽpora seruent, non de Pyrrho. sed de Persa Macedoniæ rege intelligãt. Nã Perses erat de genere Achillis. Propert. Et Persen proaui simulantem pectus Achilli, Quique tuas proauus fregit Achille domos. non igitur de Mumio sed Paulo victore Persæ Virg. exponetur. Quæ res manifestior fuisset illi qui cũ AEnea Anchisen duces Romanos futuros apud inferos demõstrantẽ vidisset & audisset. De his nuper sic Mas. Aut tu mihi terrã inijce. Hanc Virgilij opinionẽ Horatius in Carmi. sectatus dixit, Iniecto ter puluere curras. Quæ duo loca interpretes quoniã pulchre explicant, prætereo: ex D.Aug.xij.cap.lib.j.de Ciu. dei, id adferens quòd sepulturæ negatio Christianorum nihil obest animæ: cum vt est apud Senecam, nihil refert humi ne putrescam an sublimi, in terra an in aere. & vt hæresim aliam sectatus alibi poeta cecinit: facilis iactura sepulcri est. Et cũ id Augusti-

no obijceretur quod regius Propheta Psal.lxxviij.vaticinatur:Deus venerūt gentes &c.effuderunt sanguinē ipsorū,& nō erat qui sepeliret &c.sancte & vere respondet,id expressius arguere tyrannorū ferociam quàm patientiū infelicitatē & miseriā.Ea enim etsi prima specie sunt aspera & toleratu difficilia hominibus non sapientibus:tamen in domini conspectu mors sanctorū preciosa est:qui animā tantū curat recipere concessam & quasi precario diutule possessam:cadaueris sepulcrū, pomparū luxus & honores vmbraticos despiciens.Plura Augustinus,variā diuitis infelicis pauperculique lepra vlceribusque percussi sepulturā ostendens.Et in sequenti capite concludit,non esse iustorū negligendā eiusmodi sepulturā : quibus vt mundis vasculis,instrumētisque honestis spiritus sanctus vsus est circa bonas & studiosas actiones: quod probat & exēplo & præcepto euāgelico.Hæc illi.Quod autē superius paulo ex Virgilio citauit, facilis iactura sepulcri:bifariam exponitur.prius vt sit iactura.i.amissio:posterius vt sit per iniectionē pulueris cōstitutio sepulcri.Sed pergamus.quæ ad purgationē poetæ faciunt addit dicens.Pontanus in dialogo quodā,Si,inquit,poetis permissum nō sit quædā etiā ad sua tēpora in carmine referre,vt locorū, vt fluminū nomina,vt armorū genera:dicat mihi velim Higinus cur nō etiam accusat Virgiliū quòd AEneā cum troianus esset,latine loquentē inducat?Facessat igitur illa diligentia tā arcessita, & huiusmodi multa permittantur poetis,in quæ etiā volētes incidūt non rerū ignorantia decepti.Addit inde dictū à Virgilio, Infelicē Thesea prius Herculis auxilio liberatū,postquā mortuus est descendisse ad inferos: & propter filiū iniuste cæsum cruciari:vnde dictū asserit,Infelix Theseus.Respiciens postea ad tertiū locū, Eruet ille Argos,ait,Nō possum nō admirari ad risum vsque tū Higinū,tū Gelliū, qui studio quodā reprehēdēdi præcipites in maximos errores inciderunt.Primū quòd de Pyrrho dictū nō de Persa rege putēt. Neque enim Pyrrhus à po.Ro.victus est:neque regnū Epirotarū Pyrrho viuēte captū est, atque in prouinciā redactū: sed Perses qui à Paulo ductus est in triumphū:quo capto & Macedonia spoliata, AEacidarū imperium finijt:de quo Propertius, Et Persen proaui referentem pectus Achilli &c. Hoc igitur superato regnoque AEacidarū deleto populus Ro.videri potuit Troiæ ruinas vltus fuisse.Addit post paulo, probans ordinē non seruari historiæ,dictū esse à Virgilio: Ille triūphata capitolia ad alta Corintho Victor aget currus cæsis insig nis Achiuis.& iure Mumiū signari qui cognominatus est Achaicus.Postea vero cū dicitur,Eruet ille Argos, signari ait aliū.& hic quidē est Paulus qui Persen vicit,regnūque AEacidarū: & licet nō euertit Argos neque Mycenas, hoc tamē dictum est ab Anchise,vt AEneam soletur.Hæc & plura Pontanus, nimis quàm acerbe in Gellium inuectus:quem animaduersioni nunquam subiecisset, si vltimum caput vltimi libri Pontanus attente legisset.quin hoc in cap. dicitur à Gellio:quem Virgilius proculdubio exempturus fuit.in quo nequeas authorem Gellium suspicari voluisse poetam vellicare.Non est contemptibilis Landini opinio dicentis in expositione versus:Ipsumque AEaciden: intelligendū esse, & subaudiēdum ille alter:quod si verum,patentior esset sensus.Nec omittendum quòd Cælius adfert de Theseo primum ab Hercule liberato,& Atheniensibus.Athenienses ait comicis salibus asperguntur quòd nautici pars magna cum essent,ob sedendi assiduitatem depyges dicebantur.additque fabellā,Thesea apud inferos coactum à Proserpina in petra quadam sedere:à qua cum surgere inualidus ab Hercule auelleretur, adfixas natium partes reliquisse:quare honoris eius ergo nomen posteris hæsisse. ad quod allusisse videtur Virg. sedet æternumque sedebit.Pius quoque plura de Theseo adfert in adnotationibus.

Theseus æternum sedebit.

Quos errores Iulius Higinus in sexto Virgilii animaduertit, in historia Romana erratos. CAPVT XVI.

Virg.loc.

Reprehendit Higinus Virgilium, correcturumque eum fuisse existimat, quod in libro sexto scriptum est. Palinurus est apud inferos, petens ab AEnea,vt suum corpus requirendum,& sepeliēdum curet. Is hæc dicit,

Eripe me his inuicte malis,aut tu mihi terram
Iniice(nanque potes)portusque require Velinos.

Velinus portus mala prolepsi dictus. Velia.

Quo,inquit,modo aut Palinurus nouisse, aut nominare potuit portus Velinos: & AEneas ex eo nomine locum inuenit,cum Velia oppidum,à quo portum, qui in eo loco est, Velinum dixit, Seruio Tullio regnante Romæ post annum amplius sexcentesimum quàm AEneas in Italiam venit,conditum in agro Lucano,& eo nomine appellatum sit?Nam qui ab Harpalo, inquit, regis Cyri præfecto ex terra Phocide fugati sunt, alii Veliam, partim Massiliam condiderūt.Inscitissime igitur petit,vt AEneas portū Velinum requirat,cum id nomen eo tempore fuerit nusquam gentiū. Neque simile,inquit, illud videri debet,quod est in primo,

" Italiam,fato profugus, Lauinia venit Littora. Aut quod æque est in sexto libro,
" Chalcidicaque leuis tandem superastitit arce.

Quoniam poetæ ipsi quædam κατὰ πρόληψιν historiæ dicere ex sua persona concedi solet, quæ facta ipse postea scire potuit. sicut Virg. sciuit de Lauino oppido, & de Colonia Chalcidensi.sed Palinurus qui potuit,inquit, scire ea, quæ post annos DC facta sunt: nisi quis eum diuinasse apud inferos putat,perinde vt animæ defunctorum solent?Sed & si ita accipias,quāquam non ita dicitur, AEneas tamen,qui non diuinabat,

quo pacto potuit requirere portum Velinum, cui nomen tunc, sicuti diximus, nullum vsquam fuit? Idem hoc quoque in eodem libro reprehendit, & correcturum fuisse Virgilium putat, nisi mors occupasset. Nam cum Thesea, inquit, inter eos nominasset, qui ad inferos adissent ac redissent, dixissetque,

Quid Thesea? magnum ››
Quid memorem Alciden? & mi genus ab Ioue summo est. Postea tamen infert, ››
Sedet æternumque sedebit Infelix Theseus. ››

Qui autem, inquit, fieri potest, vt æternum apud inferos sedeat, quem supra cum iis nominat, qui descenderint illuc, atque inde rursum euaserint? præsertim cum ita sit fabula de Theseo, atque sic Hercules eum euellerit è petra, & in lucem ad superos eduxerit? Idem his versibus errasse Virgilium dicit,

Eruet ille Argos, Agamemnoniasque Mycenas, ››
Ipsumque AEaciden genus armipotentis Achilli, ››
Vltus auos Troiæ, templa & temerata Mineruæ. ››

Confudit, inquit, & personas diuersas, & tempora: nam neque eodem tempore, neque per eosdem homines, cum Achæis & cum Pyrrho bellatum est. Pyrrhus enim, quē dicit AEaciden, de Epiro in Italiam trangressus, cum Romanis depugnauit aduersus Maniū Curium in eo bello ducem: Argiuū autem bellum, id est Achaicum, multis post annis à L. Mūmio Imperatore gestum est. Potest, inquit, igitur medius eximi versus qui de Pyrrho importune immissus est, quem Virgilius proculdubio excmpturus, inquit, fuit. Virg. loc.

ASCEN. Rectiorem. non placet id vocabuli, forte Rectorem rectius scripseris, sed neque diuinare verum possim, neque vero simile substituere audeo. Consciuit cum ex con & cio non scio componatur, miror quare conciuit non scribatur. Splendore æreo. peluis enim ærea splendicans si radijs solis obiecta firmo obtutu inspiciatur excæcat facillime. Clypeum. s. æreum & splendicantem: constituit, statuit, locauit: contra exortum hyperionis. i. solis. Lucificare. Nonius legit longe aliter hunc locum: sic enim eum citat, Sic ego fulgentis splendore pecuniæ volo elucificare exitum ætatis meæ. quæ lectio mihi placet. verū quod dicit, elucificare lucidare dictum à luce, non placet. Nam mihi elucidare cōtrarium significat, vt sit: sic ego volo elucidare, id est expertem lucis facere exitum, id est finem ætatis meæ: splēdore pecuniæ fulgentis scilicet ex assiduo vsu dum expenditur: quia vt dicit Horatius, Nullus argento color est auaris Abdito terris nisi temperato Splendeat vsu. Ne videam filium nequam esse in re bona. Ex hoc autem capite patet facile quod diuus Hierony. cxxvij. cap. contra Iouinianum tract. ij. dixit. Quosdam legimus effodisse sibi oculos ne per eorum visum seu vsum à contemplatione philosophiæ auocarētur. Propinatio fit antebibendo dum alium inuitas.

Quam ob causam, & quali modo Democritus philosophus luminibus oculorum sese priuauerit: & super ea re versus Laberii pure admodū & venustè facti. CAP. XVII.

Democritum philosophum in monimentis historiæ Græcæ scriptum est, virum præter alios venerandum, authoritateque antiqua præditum, luminibus oculorum sua sponte se priuasse: quia existimaret cogitationes commentationesque animi sui in contemplandis naturæ rationibus, vegetiores & exactiores fore, si eas videndi illecebris, & oculorum impedimentis liberasset. Id factum eius, modumque ipsum quo cæcitatem facile solertia subtilissima conciuit, Laberius poeta in mimo, quem inscripsit Rectorem, versibus quidem satis munde atque graphice factis descripsit: sed causam voluntariæ cæcitatis finxit aliā, vertitque in eam rem, quam tum agebat, non inconcinniter. est enim persona, quæ hoc apud Laberium dicit, diuitis auari & parci, sumptum plurimum ἀσωτίαν τε & propinationem adolescentis filii deplorantis. Democriti excæcatio.

Versus Laberiani hi sunt,

Democritus Abderites physicus philosophus, clypeum
Constituit contra exortum Hyperionis, oculos ››
Effodere ut posset splendore æreo: ita radiis ››
Solis aciem effodit luminis, malis bene ››
Esse ne videret ciuibus. sic ego ››
Fulgentis splendore pecuniæ volo ››
Elucificare exitum ætatis meæ, ››
Ne in re bona videam esse nequam filium. ››

ASCEN. Cum Dijs M.i.dijs Manibus.Mausoli &c.ab Mausoli sepulcri magnificẽtia omne sepulcrum magnifice extructum Mausoleum dici cœptum.D.Hierony.in epistola.lxxix.de non ducenda vxore ait:Ego autem in domino sperans adijcio quòd Vlyssis imitator eris non Empedoclis:qui per suã philosophiam, ne dicam melancholiam.i.atrã bilẽ,victus AEtnam sibi Mausoleum elegit: & parabolam quã audis ad veteres attulit.Artemisiæ quoque meminit idem Hierony.xxvij.cap.tract.ij.contra Iouin. & ait Mausolea dici solita preciosa sepulcra.Hæc Mas.qui & Archithrenij carmẽ & Ioãnæ puellæ francæ præconia adnexit.sed vereor prolixior fieri,cum vtraque res nota sit.

Historia de Artemisia:deque eo certamine quod apud Mausoli sepulcrum à scriptoribus inclytis decertatum est. CAPVT XVIII.

Artemisia Mausolus Satrapes.

ARTEMISIA Mausolum virum amasse fertur supra omneis amorũ fabulas,vltraque affectionis humanæ fidem.Mausolus autẽ fuit,vt M.Tullius ait,rex terræ Cariæ, vt quidam Græcarum historiarum scriptores dicunt,prouinciæ græcæ Præfectus,quem σατράπην Græci vocant.Is Mausolus vbi fato perfunctus est,& inter lamenta & manus vxoris funere magnifico sepultus est,Artemisia luctu atque desiderio mariti flagrans,ossa cineremque eius mista odoribus,contusaque in pulueris faciem,aquæ indidit,ebibitque:multaq; alia violenti amoris fecisse dicitur. Molita quoque est ingenti impetu operis conseruandæ mariti memoriæ causa sepulcrum illud memoratissimum , dignatumque numerari inter septem omnium terrarum spectacula. Id monumentum Artemisia cũ Diis M.sacris Mausoli dicaret,agona, id est certamen laudibus eius dicundis facit: ponitque præmia pecuniæ,aliarumque rerum bonarum amplissima. Ad eas laudes decertandas venisse dicuntur viri nobiles,ingenio atque lingua præstabili, Theopompus , Theodectes , Eucrates. Sunt etiam qui Isocratem ipsum cum iis certauisse memoriæ mandauerint.sed eo certamine vicisse Theopompum iudicatum est. Is fuit Isocratis discipulus. Extat nunc quoque Theodecti tragœdia,quæ inscribitur Mausolus. in qua eũ magis quàm in prosa placuisse Higinus in exemplis refert.

Mausoleũ

Quintil. lib.ij.c.iiij

ASCEN. Incessebat &c. Ergo præsens est incesso,præteritum incessi:sicut facesso facessi facit.Deprecabatur.i.expurgabat,aut ne vera turpitudo existimetur verbis contendebat. Demosthenis vestri , id est professionis vestræ,hoc est oratoriæ.Diuus Aug.cap.xxv.&.xxvj.lib.i.de ciui.dei ostendit peccatũ nõ esse peccato vitandum,sed nec non pauca facienda quæ viri sanctimonia insignes fecerũt.vbi probat mortem nõ esse sibi violenter inferendã,quo caueatur adulteriũ:pecasse ergo Lucretiã, Catonẽ & plerosque alios.respondetque pulcherrime obiectis quæ in medium adferri possint de illis virginibus quas sanctorũ catalogo ecclesia modo adscribit,voluntarie tamen submersis aut suis manibus occisis,quo peccatum declinarent.Interpres ait Semproniam Romanam inter omnes christianissimam, per Maxentij internũcios solicitatã sibi mortem consciuisse:& eodem teste Hypo quædam græca natione se in mare dedit præcipitem,ne corporis pateretur pollutionem. Diuus autem Hierony. in quadam epistola ad Ruffinũ inquit: Aut bona sunt quæ appetimus,aut mala:si bona,non indigent alterius auxilio:si mala , peccantium multitudo non parit errori patrocinium.Et in epistola continuo sequenti.O impudentiam (inquit) singularẽ, accusant medicum quòd venena proderint seu profuerint, vt scilicet letale venenum suum non innocentiæ merito,sed criminis communione tueantur:quasi culpam peccantium numerus minuat.

Nõ purgari neq; leuari peccatũ,cũ prætenditur peccatorum, quæ alii quoque peccauerunt,similitudo.atq; inibi verba ex oratione super ea re Demosthenis. CAP.XIX.

INcessebat quempiam Taurus philosophus seuera atque vehemẽti obiurgatione adolescentem, à rhetoribus & facundiæ studio ad disciplinas philosophiæ trãsgressum: quòd factum quiddam esse ab eo diceret inhoneste & improbe. At ille nõ ibat inficias fecisse, sed id solitum esse fieri defendebat,turpitudinemque delicti, exemplorum vsu & consuetudinis venia deprecabatur.atque ibi Taurus ipso isto defensionis genere irritatior : Homo, inquit, stulte & nihili , si te à malis exemplis authoritates & rationes philosophiæ non abducunt,ne illius quidem Demosthenis vestri sententia tibi in mẽtem venit? quæ quia lepidis & venustis vocum modis vincta est,quasi quædam cantilena rhetorica facilius adhærere memoriæ tuæ potuit. Nam si me,inquit,non fallit,quod quidẽ in priore pueritia legerim,verba hæc sunt Demosthenis aduersus eum,qui(vt tu nunc facis) peccatum suum,peccatis alienis exemptum purgatumque ibat,σὺ δὲ μὴ λέγε ὡς γέγονεν οὕτω πολλάκις,ἀλλ' οὐχ ὡς προσήκει γίγνεσθαι. οὐ γὰρ εἴ τι πώποτε μὴ κατὰ τοὺς νόμους ἐπράχθη , σὺ δὲ τοῦτο ἐμιμήσω,διὰ τοῦτο ἀποφύγοις ἂν δικαίως.ἀλλὰ πολλῷ μᾶλλον ἁλίσκοιο. ὥσπερ γὰρ εἴ τις ἑάλω,σὺ ταῦτα οὐκ ἂν ἔγραψας,οὕτως ἂν σὺ νῦν ἁλῷς,ἄλλος οὐ γράψει.Sic Taurus omniũ suasionũ admonitionumq; genere vtens,sectatores suos ad rationes bonæ inculpatæq; indolis ducebat.

Peccata nõ minora si à multis fiant.

Demosthenis verba.

ASCEN. Generale iussum. Ergo in singulari hoc iussum iussi dicitur: vnde plurale hæc iussa: licet hic iussus, & in ablatiuo iussu frequentius dicatur præsertim pro iussione: licet pro re iussa iussum recte dicas. Abdomina thynnia &c. Maserius noster in quartum Argonauticon Flacci sic explicat. i. singula abdomina, pinguiorémque thynni piscis sacri partem, quem piscatores capturam sperantes Neptuno sacrificant. Illum forsan (inquit) signat Gel. dicens. cap. iij. lib. ij. ἰχθὺν ἱερὸν. sic nanque Cælio capite. xij. lib. vij. legere non displicet. i. piscem sacrũ. Et carnem cephaleam. Cephali piscis: caro enim & de piscibus & de pomis dicitur. Hunc quidam vocant capitonem & mugilem, qui capite occulto sibi optime latere videtur, inquit Plin lib. ix. quem cap. xv. eiusdem legat qui de thynno plura expetit: ait enim thynnos membratim cæsos capite & abdomine commendari. Abdomen autem ventrem & intestina significat. Sullam. sic enim prisci Romani vocauerunt quem nos Syllam: vt etiam Volater. adnotauit. Adnotauit idem Mas. rursum & hæc. Cephalos interpretatur caput: inde κυνοκέφαλος apud diuum August. cap. xiiij. lib. ij. de ciuit. dei, dei nomen: interpres vocat Hermẽ seu Mercurium: ego Anubin puto, de quo dicitur latrator Anubis: nisi vnum deum voces varijs nominibus, vt vult Macrobius. August. autem de Platone ait: quòd est Priapo & Cynocephalo præferendus: in quem locum interpres ait priorem deum fuisse Moabitarum numen, alia nomenclatura Baal: & hunc à Iudæis idololatriæ vanitati deditis cultum ostendi (si recte memini) in Valerium Flacc. Nec omittendum duco id quod expositor adfert de Cynocephalo Ludouico regi Christianissimo quondam oblato: qui canino capite, cætera corporis parte humana, vt homo surgebat, comedebat honeste, ad os cibum adferebat: carnes comedens coctas & vinum perquam libenter bibens. Hoc additum volui, nequis putet falsum omnino quod in quarto capite præcedentis libri de cynocephalis est dictum. Addidit & hoc. Macrob. Saturn. j. ait, hi ludi bello punico ex libris sibyllinis sunt instituti, hortante Cornelio Ruffo, qui ex eo dictus est Sibylla, postea corrupto vocabulo Sylla.

Iussum. Iussus. Cephalea caro. Sulla. Cynocephalos mirandus.

Quid sit rogatio, quid lex, quid plebiscitum, quid priuilegium, & quantum omnia ista differant. CAPVT XX.

Quæri audio quid lex sit, quid plebiscitum, quid rogatio, quid priuilegium. Atteius Capito publici priuatique iuris peritissimus, quid lex esset, hisce verbis definiuit: Lex, inquit, est generale iussum populi aut plebis, rogante magistratu. Ea definitio, si probe facta est, neque de imperio Cn. Pompeii, neque de reditu M. Ciceronis, neque de cæde P. Clodii quæstio, neq; alia id genus populi plebisve iussa, leges vocari possunt. non sunt enim generalia iussa, neque de vniuersis ciuibus, sed de singulis concepta: quocirca priuilegia potius vocari debent, quia veteres priua dixerunt, quæ nos singula dicimus. quo verbo Lucilius in primo Satyrarum lib. vsus est,

Abdomina thynnia venientibus priua Dabo, cephaleamque carnem.

Plebem autem Capito in eadẽ definitione seorsum à populo diuisit. quoniam in populo omnis pars ciuitatis, omnésque eius ordines contineantur. Plebs vero ea dicitur, in qua gentes ciuium patriciæ non insunt. Plebiscitum igitur est, secundum eundem Capitonem, lex, quam plebes non populus accipit. sed totius huius rei iurisque, siue cũ populus, sique cum plebs rogatur, siue quod ad vniuersos pertinet, caput ipsum & origo, & quasi fons, rogatio est. Ista enim omnia vocabula censentur, continenturque rogationis principali genere, & nomine. nam nisi populus aut plebs rogetur, nullum plebis aut populi iussum fieri potest. Sed quanquam hæc ita sunt, in veteribus tamen scriptis non magnam vocabulorum istorum differentiam esse animaduertimus. nam & plebiscita & priuilegia translato nomine leges appellauerunt: eademque omnia confuso & indistincto vocabulo rogationes dixere. Sallust. quoque proprietatum in verbis retinentissimus, consuetudini concessit, & priuilegium quod de Cn. Pompeii reditu ferebatur, legem appellauit. Verba ex secunda eius historia hæc sunt, Nam Sullam COS. de reditu eius legẽ ferẽtem, ex composito Trib. pl. C. Herennius prohibuerat.

Lex. Iussum. Priua. Populus. Plebs. Plebiscitũ. Plebes. Rogatio. Iussum. Sallustius. Sulla, qui & Sylla. Herenius.

ASCEN. Obseruantissime, id est accuratissime. & tamen nõ omnino abstinuit: nam in lib. de Orat. dixit, Nec in hac re quæ ad vulgi sensum spectet, & aurium voluptatem: quæ duo sunt ad iudicandum nouissima. Codrus etiam Vrceus non semel tantum vsum fuisse contendit. Petrus quoque Crinitus dicit in epistola ad Alex. Sartium id verbum à se sæpius in M. Tullio obseruatum. Reperies enim, inquit, non in libro tantum de Oratore ad Brutum, quod omnes sciunt: sed vel in epistola ad Octauium: & in oratione pro Rosc. Comœdo. Hæc illic. quæ est in illustrium virorũ seu Angeli Polit. epistolarum lib. xij. in qua dicit, proprium esse hominis hallucinari interdum & incurrere: quod tunc maxime accidit, quãdo nusquã legi vocabulum aliquod asseritur. Maserius quod à Varrone hic dicitur, ait lib. ij. de lingua latina à Varrone notatum.

Nouissimus.

Quam ob causam M. Cicero his omnino verbis nouissime, & nouissimus vti obseruatissime vitarit. CAP. XXI.

Nouissimus. Nouissime AElius, quãquam sunt qui Lælius legant. A vetere vetustius qui fiat.

NOn paucis verbis, quorum frequens vsus est nunc, & fuit, M. Ciceronem noluisse vti manifestum est, ꝙ ea non probaret. velut est NOVISSIMVS, & NOVISSIME. Nam cum & Marcus Cato, & Sallustius, & alii quoque ætatis eiusdem verbo isto promiscue vsitati sint, multi etiam non indocti viri in libris id suis scripserint, abstinuisse eo tanquam non latino videtur. Quoniam qui doctissimus eorum temporum fuerat AElius, illo vt nouo & improbo verbo vti vitauerat, propterea que id M. quoque Varronis ex libro de Lingua Latina ad Cic. V demonstrandum putaui, A quo etiam, inquit, extremum quoque dici nouissimum cœptum vulgo: quod mea memoria, vt AElius Gallus, sic senes aliquot, nimium nouum verbum quòd esset, vitabant: cuius origo, vt à vetere vetustius ac veterrimum, sic à nouo declinatum nouius & nouissimus.

ASCEN. Incessuit. noue ab incesso deflectitur. vnde alij incessit, legunt. Ex persona quidem nõ graui. Ex hoc monemur adnotare ex cuius persona dicantur quæ in authoribus legimus. Nam si vir prudẽs stultum fatue loquentem induxerit, immerito fatui verba prudenti vitio verterimus. Non itaque adscribemus Virgilio dictũ illud, Dolus an virtus quis in hoste requirat? sed Chorebo iuueni & amatori. Nec Terentio, Eunuchum ego illum, vel sobrius. sed militi stulto & glorioso. atque alijs alia: quæ pro decoro dicta sunt: vsqueadeo vt latinissimi, milites & seruos interdum minus latine loquẽtes inducant. Aduertemus etiam quòd Gellius hæc se vertisse negat: quocirca cum non sint Gellij verba, non recepi ea exponenda. Sane quod in fine dicitur de duplici philosophia: morali videlicet & futili, non contemnendum est ijs qui in sophismatis & dialecticis griphis atque argutijs felicitatem reponunt, & in eis senescunt. In quos Archithrenius & sæpe & apposite inuehitur.

Incessuit.

Locus exceptus ex Platonis libro, qui inscribitur Gorgias, de falsæ philosophiæ probris, quibus philosophos temere incessuit, qui emolumenta veræ philosophiæ ignorant. CAPVT XXII.

PLato, veritatis homo amicissimus, eiúsque omnibus exhibendæ prõptissimus, quæ omnino dici possint in desides istos ignauósque, qui obtẽtu philosophiæ nominis, inutile ocium, & linguæ, vitæque tenebras sequuntur: ex persona quidem non graui neque idonea, vere tamẽ ingenueque dixit. Nam etsi Callicles, quem dicere hæc facit, veræ philosophiæ ignarus, inhonesta indignáque in philosophos confert: perinde tamen accipienda sunt quæ dicuntur, vt nos sensim moneri intelligamus, ne ipsi quoque culpationes huiuscemodi mereamur, neve inerti inanique desidia cultum, & studium philosophiæ mentiamur. Verba ipsa super hac re Platonis ex libro, qui appellatur Gorgias, scripsi: quoniam vertere ea cõsilium non fuit, cum ad proprietates eorum nequaquam possit latina oratio aspirare, ac multo minus etiam mea.

Vertisse se negat Gellius Platonis verba.

φιλοσοφία γάρ τοί ἐστιν ὦ Σώκρατες, χαρίεν, ἄν τις αὐτοῦ μετρίως ἅψηται ἐν τῇ ἡλικίᾳ. ἐὰν δὲ περαιτέρω τοῦ δέοντος ἐνδιατρίψῃ, διαφθορὰ τῶν ἀνθρώπων. ἐὰν γὰρ καὶ πάνυ εὐφυὴς ᾖ, καὶ πόρρω τῆς ἡλικίας φιλοσοφῇ, ἀνάγκη πάντων ἄπειρον γεγονέναι ἐστίν, ὧν χρὴ ἔμπειρον εἶναι, τὸν μέλλοντα καλὸν κἀγαθὸν, καὶ εὐδόκιμον ἔσεσθαι ἄνδρα. καὶ γὰρ τῶν νόμων ἄπειροι γίγνονται τῶν κατὰ τὴν πόλιν, καὶ τῶν λόγων, οἷς δεῖ χρώμενον ὁμιλεῖν ἐν τοῖς συμβολαίοις τοῖς ἀνθρώποις, καὶ ἰδίᾳ, καὶ δημοσίᾳ, καὶ τῶν ἡδονῶν τε καὶ ἐπιθυμιῶν τῶν ἀνθρωπείων, καὶ συλλήβδην τῶν ἠθῶν παντάπασιν ἄπειροι γίγνονται. ἐπειδὰν οὖν ἔλθωσιν εἴς τινα ἰδίαν ἢ πολιτικὴν πρᾶξιν, καταγέλαστοι γίγνονται, ὥσπερ γε οἶμαι οἱ πολιτικοί, ἐπειδὰν αὖ εἰς τὰς ὑμετέρας διατριβὰς ἔλθωσι καὶ τοὺς λόγους, καταγέλαστοί εἰσι. συμβαίνει γὰρ τὸ τοῦ Εὐριπίδου, λαμπρός τ' ἐστὶν ἕκαστος ἐν τούτῳ, κἀπὶ τοῦτ' ἐπείγεται, νέμων τὸ πλεῖστον ἡμέρας τούτῳ μέρος, ἵν' αὐτὸς αὑτοῦ τυγχάνῃ βέλτιστος ὤν. ὅπου δ' ἂν φαῦλος ᾖ, ἐντεῦθεν φεύγει, καὶ λοιδορεῖ τοῦτο. τὸ δ' ἕτερον ἐπαινεῖ εὐνοίᾳ τῇ ἑαυτοῦ, ἡγούμενος οὕτως αὐτὸς ἑαυτὸν ἐπαινεῖν, ἀλλ' οἶμαι τὸ ὀρθότατόν ἐστιν, ἀμφοτέρων μετασχεῖν, φιλοσοφίας μὲν, ὅσον παιδείας χάριν, καλὸν μετέχειν. καὶ οὐκ αἰσχρὸν μειρακίῳ ὄντι φιλοσοφεῖν. ἐπειδὰν δὲ ἤδη πρεσβύτερος ὢν ἄνθρωπος, ἔτι φιλοσοφεῖ, καταγέλαστον ὦ Σώκρατες τὸ χρῆμα γίγνεται. καὶ ἔγωγε ὁμοιότατον πάσχω πρὸς τοὺς φιλοσοφοῦντας, ὥσπερ πρὸς τοὺς ψελλιζομένους καὶ παίζοντας. ὅταν μὲν γὰρ παιδίον ἴδω ᾧ ἔτι προσήκει διαλέγεσθαι, οὕτω ψελλιζόμενον καὶ παῖζον, χαίρω τε, καὶ χαρίεν μοι φαίνεται καὶ ἐλευθέριον, καὶ πρέπον τῇ τοῦ παιδίου ἡλικίᾳ. ὅταν δὲ σαφῶς διαλεγομένου παιδαρίου ἀκούσω, πικρόν τι μοι δοκεῖ χρῆμα εἶναι, καὶ ἀνιᾷ μου τὰ ὦτα, καί μοι δοκεῖ δουλοπρεπές τι εἶναι. ὅταν δὲ ἀνδρὸς ἀκούσῃ τις ψελλιζομένου, ἢ παίζοντα ὁρᾷ, καταγέλαστον φαίνεται καὶ ἄνανδρον, καὶ πληγῶν ἄξιον. ταυτὸν οὖν ἔγωγε τοῦτο πάσχω καὶ πρὸς τοὺς φιλοσοφοῦντας. παρὰ νέω

μὲν γὰρ μειρακίῳ ὁρῶν φιλοσοφίαν, ἄγαμαι, καὶ πρέπειν μοι δοκεῖ, καὶ ἡγοῦμαι ἐλεύθερόν τινα τοῦτον τὸν ἄνθρωπον. τὸν δὲ μὴ φιλοσοφοῦντα, ἀνελεύθερον, καὶ οὐδέποτε οὐδενὸς ἀξιώσοντα ἑαυτὸν, οὔτε καλοῦ οὔτε γενναίου πράγματος. ὅταν δὲ δὴ πρεσβύτερον ἴδω ἔτι φιλοσοφοῦντα, καὶ μὴ ἀπαλλαττόμενον, πληγῶν μοι δοκεῖ ἤδη δεῖσθαι ὦ Σώκρατες οὗτος ὁ ἀνήρ. ὃ γὰρ νῦν δὴ ἔλεγον ὑπάρχει τούτῳ τῷ ἀνθρώπῳ κἂν πάνυ εὐφυὴς ᾖ, ἀνάνδρῳ γενέσθαι φεύγοντι τὰ μέσα τῆς πόλεως, καὶ τὰς ἀγοράς, ἐν αἷς ἔφη ὁ ποιητὴς τοὺς ἄνδρας ἀριπρεπεῖς γίγνεσθαι. καταδεδυκότι δὲ, τὸν λοιπὸν βίον βιῶναι μετὰ μειρακίων ἐν γωνίᾳ τριῶν ἢ τεττάρων, ψιθυρίζοντα. ἐλεύθερον δὲ καὶ μέγα καὶ ἱκανὸν μηδέποτε φθέγξασθαι. ἐγὼ δὲ ὦ Σώκρατες πρὸς σὲ ἐπιεικῶς ἔχω καὶ φιλικῶς. κινδυνεύω οὖν πεπονθέναι νῦν ὅπερ ὁ Ζῆθος πρὸς τὸν Ἀμφίονα Εὐριπίδου, ὅπερ ἐμνήσθην. καὶ γὰρ ἐμοὶ τοιαῦτ᾽ ἄττα ἐπέρχεται πρὸς σὲ λέγειν, οἷάπερ ἐκεῖνος πρὸς τὸν ἀδελφόν, ὅτι ἀμελεῖς ὦ Σώκρατες ὧν δεῖ σε ἐπιμελεῖσθαι. καὶ φύσιν ψυχῆς ὧδε γενναίαν μειρακιώδει τινὶ διαπρέπεις μορφώματι. καὶ οὔτ᾽ ἂν δίκης βουλαῖσι προσθεῖς ἂν ὀρθῶς λόγον, οὔτ᾽ εἰκὸς καὶ πιθανὸν ἂν λάβοις, οὔθ᾽ ὑπὲρ ἄλλων νεανικὸν βούλευμα βουλεύσαιο. καίτοι ὦ φίλε Σώκρατες, καί μοι μηδὲν ἀχθεσθῇς, εὐνοίᾳ γὰρ ἐρῶ τῇ σῇ. οὐκ αἰσχρὸν δοκεῖ σοι εἶναι οὕτως ἔχειν, ὡς ἐγώ σε οἶμαι ἔχειν, καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς πόρρω ἀεὶ φιλοσοφίας ἐλαύνοντας. νῦν γὰρ εἴ τις σοῦ λαβόμενος ἢ ἄλλου ὁτουοῦν εἰς τὸ δεσμωτήριον ἀπάγοι, φάσκων ἀδικεῖν μηδὲν ἀδικοῦντα, οἶσθ᾽ ὅτι οὐκ ἂν ἔχοις ὅτι χρήσαιο σαυτῷ. ἀλλ᾽ ἰλιγγιῴης ἂν καὶ χασμῷο, οὐκ ἔχων ὅ, τι εἴποις. καὶ εἰς τὸ δικαστήριον ἀναβὰς κατηγόρου τυχὼν πάνυ φαύλου καὶ μοχθηροῦ, ἀποθάνοις ἂν εἰ βούλοιτο θανάτου σοι τιμᾶσθαι. καίτοι πῶς σοφὸν τοῦτό ἐστιν ὦ Σώκρατες, εἴ τις εὐφυῆ λαβοῦσα τέχνη φῶτα, ἔθηκε χείρονα, μήτε αὐτὸν αὑτῷ δυνάμενον βοηθεῖν, μηδὲ ἐκσῶσαι ἐκ τῶν μεγίστων κινδύνων, μήτε ἑαυτὸν μήτε ἄλλον μηδένα, ὑπὸ δὲ τῶν ἐχθρῶν περισυλᾶσθαι πᾶσαν τὴν οὐσίαν. ἀτεχνῶς δὲ ἄτιμον ζῆν ἐν τῇ πόλει, τὸν τοιοῦτον εἴ τι καὶ ἀγροικότερον εἰρῆσθαι, ἔξεστιν ἐπὶ κόρρης τύπτοντα, μὴ διδόναι δίκην, ἀλλ᾽ ὠγαθὲ ἐμοὶ πείθου, παῦσαι δ᾽ ἐλέγχων, πραγμάτων δ᾽ εὐμουσίαν ἄσκει. καὶ ὁπόθεν δόξεις φρονεῖν, ἄλλοις τὰ κομψὰ ταῦτ᾽ ἀφείς, εἴτε ληρήματα χρὴ φάναι εἶναι εἴτε φλυαρίας, ἐξ ὧν κενοῖσιν ἐγκατοικήσεις δόμοις, ζηλῶν, οὐκ ἐλέγχοντας ἄνδρας τὰ μικρὰ ταῦτα, ἀλλ᾽ οἷς ἐστὶ καὶ βίος καὶ δόξα, καὶ ἄλλα πολλὰ ἀγαθά.

Hæc Plato sub persona quidem, sicuti dixi, non proba, sed cum sensu tamen intelligẽtiæque cõmunis fide, & cum quadam indissimulabili veritate disseruit. Nõ de illa scilicet philosophia, quæ virtutũ omniũ disciplinã est, quæq; in publicis simul & priuatis officiis excellit, ciuitatésq; & Remp. si nihil prohibeat, constanter, & fortiter, & perite administrat: sed de ista futili atq; puerili meditatione argutiarũ, nihil ad vitam neq; tuẽdã neq; ordinandam promouente. qua id genus homines consenescunt male feriati, quos philosophos esse & vulgus putat, & is putabat, ex cuius persona hæc dicta sunt. Philosophia duplex.

ASCEN. Odor indicium &c. Maro in Gæor. At sapor indicium faciet. Loreã. Alij laureã legũt: sed res est eadem, quia au, in o mutatur: videtur autem laurea esse potio lauri folijs temperata. Passum. mulsi species ex vuis passis, aut ex vino & melle, quæ & mellina dicitur: imperiti medonem vocant. Murina seu myrina: potio odorifera: Græci enim Myron odorem vocant. vide Calepinum: qui Plautinũ illud in Persa citat, Ecquid habet? Tum Charius, rogas? Murinam, passum, defrutũ, mellinam &c. Ad hæc Maserius. Plau. in Pseud. Ecquid habet is homo aceti in pectore? Chari. Atque acidissimi. Pseud. Quid si opus sit vt dulce promat indidẽ: ecquid habet? Char. Rogas? Murrhinam, passum, defrutum, mellinã, mel: quoiusmodi, Quin in corde instruere quondam cœpit thermopolium. Hæc in Pseudo. non in Persa sunt. vbi tamen comperies hæc, commisce mulsum, struthea, coluthráque appara. Item in Persa alio in loco, Age circũfer mulsum bibere vsque plenis cantharis. Legendum est murrinam aut myrrhinã, tollitur enim h. D. Hieronymus contra Iouinian. epist. vj. lib. vj. tract. ij. part. j. cap. xxxiiij. format pyratium à pyris: Timotheo (inquiens) dolenti stomachum, apostolus suadet vinum bibere non pyratium: quod & Calep. adnotauit, qui locum Plauti male vt vidimus, citat. Sane à myro deducatur myrinũ, à myrrha myrrhinum: sed quia subauditur potio, efferũtur etiam genere fœminino: & quia y in u mutamus, dicimus murinum & murinam. Cæterum quia Calep. dicit huiusmodi vina apud priscos laudatissima erant, vtpote aromatibus condita, iunco scilicet, myrrha, calamo & huiusmodi: non videtur mulieribus, quibus vino interdictum erat, cõgruere: nisi potionem intelligas quouis dulci aut odorifero temperatam. vbi autem nos legimus optãt, Aldus impressit epotant: id genus epotant potu dulcia. Adde ad id quod in fine huius dicitur: in adulterio vxorẽ tuam &c. quòd prima lex in adulteros lata est ab Hyetto argiuo: quam imitatus est Draco Atheniensis: neuter tamen ante Mosem scripsit: ergo illa prima apud Græcos. Pyratium.

Verba ex oratione M. Catonis de mulierum veterum victu, & moribus, atq; ibi ꝙ fuerit ius marito in adulterio vxorem deprehensam necare. CAP. XXIII.

QVI de victu atque cultu Pop. Rom. scripserunt, mulieres Romæ atq; in Latio ætatem abstemias egisse, hoc est vino semper, quod temetum prisca lingua appellabatur, abstinuisse dicunt: institutúmque vt cognatis osculum ferrent, reprehendendi causa: vt odor indicium faceret, si bibissent. Bibere autem solitas ferunt, loream, passum, murinam, & quæ id genus Mulieres Ro. abstemiæ. Temetũ. Osculandi ratio.

optant,potu dulcia.Atq; hæc quidẽ in iis,quibus dixi libris peruulgata sunt.Sed M.Cato non solum existimatas,sed multatas quoq; à iudice mulieres refert non minus, si vinum bibissent,q̃ si probrum & adulterium admisissent.Verba M. Catonis adscripsi ex oratione,quæ inscribitur de dote:in qua id quoq; inscriptũ est,in adulterio vxores deprehensas ius fuisse maritis necare.Vir,inquit,cũ diuortiũ fecit, mulieri iudex pro CENS. est:imperium quod videtur habet,siquid peruerse tetreq; factum est à muliere, multatur. si vinum bibit,si cum alieno viro probri quid fecit condemnatur. De iure autem occidẽdi ita scriptum est,In adulterio vxorem tuam si deprehẽdisses, sine iudicio impune necares.Illa te(si adulterares)digito non auderet contingere:neque ius est.

Adulterij lex iniqua.

ASCEN. Die quarto &c.de hac re lege Macrobium in primo Satur.Tortel.in E,litera:& Quintil.lib.j.cap.de orthographia.Compitalia festa fiebant in compitis,vt inquit Festus Pomp. Compita autẽ sunt loca quæ plures petunt:quasi conuenticula.Signanda est differentia:vt per i,futurum tempus, per o præteritum significetur,quod etiam significatur cum dicitur nudiustertius & nudiusquartus, quia idẽ est acsi dicatur,nunc dies est tertius,aut dies quartus,ex quo.s.quod dicitur actum est.

Diepristini,& diecrastini.& diequarti,& diequinti,qui elegantius locuti sunt,dixisse,non vt ea vulgo dicuntur nunc. CAP. XXIIII.

Die quarto. Diequinte Diequinti Diuus Augustus.

DIe quarto,& die quinto,quod Græci εἰς τετάρτην καὶ πέμπτην dicũt, ab eruditis nunc quoq; dici audio:& qui aliter dicit pro rudi atq; indocto despicitur.Sed M.Tullii ætate,ac supra eam non,opinor,ita dixerunt.diequinte enim & diequinti pro aduerbio copulate dictum est, & secunda in ea syllaba correpta.Diuus etiam Augustus memoriarum veterum exequentissimus,linguæ latinæ non nescius,munditiarum patris sui in sermonibus sectator, in epistolis plurifariam significatione ista dierum non aliter vsus est. Ius autem erit perpetuæ veterum consuetudinis demonstrandæ gratia,verba solennia PRAET.ponere,quibus more maiorum ferias cõcipere solet,quæ appellantur Cõpitalia. Ea verba hæc sunt, Dienoni Pop.Rom.Quiritibus compitalia erunt:quando concepta fuerint,nefas. Dienoni Prætor dicit:non die nono.neque Prætor solum,sed pleraque omnis vetustas sic locuta est.Venit ecce illius versus Pomponiani in mentem,qui est ex Attellana quæ*Metui ascribitur,

Dienoni. * Mæuia Macrob. Sat.j.c.iiij.

Dies hic sextus,cum nihil egi,die Quarte moriar fame.

Suppetit etiam Cælianum illud ex libro historiarum secundo,Si vis mihi equitatum dare,& ipse cum cætero exercitu me sequi, diequinti Romæ in Capitolium curabo tibi cœna sit cocta. Et historiam autem & verbum hoc sumpsit Cælius ex origine M.Catonis,in quo ita scriptum est,Igitur dictatorem Carthaginensium magister equitum monuit:Mitte mecum Romam equitatũ,diequinti in Capitolio tibi cœna cocta erit. Extremam istius vocis syllabam,tum per e,tum per i,scriptam legi. nam sanequam consuetum veteribus fuerat,literis iis plerũque vti indifferenter.sicuti pristini & pristine,procliui & procliue,atq; alia item multa hoc genus varie dixerunt.Diepristini quoque eodem modo dicebatur:quod significabat die pristino.i.priore:quod vulgo pridie dicitur,conuerso compositionis ordine,quasi pristino die.atq; item simili figura diecrastini dicebatur.i.crastino die.Sacerdotes quoque Pop.Rom.cum dicunt in diem tertium,dieperendini dicunt.Sed vt plerique diepristini,ita M.Cato in oratione contra Furiũ dieproximi dixit. Diequarto autem Cn.Matius homo impense doctus,in Mimiambis pro eo dicit, quod nudiusquartus nos dicimus,in his versibus,

I,& E,cõfusio. Diepristini. Diecrastini. Dieperendni. Dieproximi.

Nuper diequarto vt recordor, certe Aquarium vrceũ vnicum domi fregit. Hoc igitur intererit,vt diequarto quidẽ de præterito dicamus,diequarti aut quarte de futuro.

Nota differentiam.

ASCEN. Inter tela putem cũ Maserio rectius falces quàm faces legi.Nã Vegetius lib.iiij.Admouentur(inquit)testudines,arietes,falces,vineæ,plutei,musculi,turres &c.Falx incuruata est, & ea lapides ê muris nonnunquam extrahebantur.Vtebantur etiam olim Persæ falcatis curribus. neque sola tela quibus emimus inuadebant cõmemorat:sed & gladios & alia quibus comminus.Solent autẽ & faces immitti,vnde alterutrum legi potest.Adde per Mas.Cicero in oratione pro P.Sylla ait,Ille arma misit,cornua, tubas,falces,signa,legiones.Idem infra dicit faces habito respectu ad incendium vrbis:quas qui ferũt dicuntur lampadophori,quia lampada ferentes:vt mulio coprophoros.i.fimum ferens.Addit quòd Cælius vocat partem vectis,quæ onus subit & hypomochlio incumbit,lingulam: est autem μοχλὸς vectis. Romphea etiam(inquit) ponitur in.vj.lib.Val.Flacc.in quem locum nos nonnulla.

Telorum, & iaculorum, gladiorumque vocabula: atque inibi nauium quoque genera, quæ scripta in veterum libris reperiuntur. CAPVT XXV.

TElorum, iaculorum, gladiorumque vocabula, quæ in historiis veteribus scripta sunt, item nauigiorum quoque genera & nomina, libitum forte nobis est sedentibus in rheda conquirere, neque itidem aliarum ineptiarum vacantem stupentemque animum occupare. Quæ tum igitur suppetierant, hæc sunt: hasta, pilum, phalarica, semiphalarica, soliferrea, gesa, lancea, spari, rumigestri, falces, tragulæ, frameæ, mesanculæ, cateiæ, rompheæ, scorpius, scibones, sicilices, veruta, enses, sicæ, machæræ, spathæ, lingulæ, pugiones, climaculæ. De lingula, quoniam est minus freques, admonendũ existimo LINGVLAM veteres dixisse gladiolum oblongum, in speciem linguæ factum: cuius meminit Næuius in tragœdia Hesiona. versum Næuii apposui, Telorum nomina. Lingulæ.

Sine mihi gerere mortem videar lingua, verum lingula.

Itẽ ROMPHEA genus teli est Thracæ nationis, positũq; hoc vocabulum in Q. Ennii Annalium XIIII. Nauium autẽ, quas reminisci tunc potuimus, appellationes hæ sunt, gauli, coruitæ, caudicæ, lõgæ, hippagines, cercuri, celoces, vel vt græci dicũt κέλητες, lembus, oxiæ, remunculi, actuariæ, quas græci ἰσοκώπους vocant, vel ἐπακτρίδας, prosumiæ, vel gesoretæ, vel orioles, cattæ, scaphæ, pontones, nuctuciæ, mediæ, phaselli, parones, myoparones, lintres, capulica, marplacidæ, cidarum, ratariæ, catascopium. Romphea. Nauiũ nomina. Celetes. Marcellus

ASCEN. Per arterias. atqui Lucretius ipse dicit genere neutro: Facitque asperiora foras gradiens arteria clamor. Vnde vtrunque dicitur: sed in fœminino vsitatius.

Inscite ab Asinio Pollione reprehensum Sallustium, quòd transfretationẽ transgressum dixerit, & transgressos qui transfretassent. CAPVT XXVI.

ASinio Pollioni in quadam epistola, quam ad Plancum scripsit, & quibusdam aliis, C. Sallustius inique dignus nota visus est, quòd in primo historiarum maris transitum transmissumque nauibus factum, transgressum appellauit: eosque, qui fretum transmiserant, quos transfretasse dici solitum est, transgressos dixit. Verba ipsa Sallustii posuit, Itaque Sertorius leui præsidio relicto in Mauritania, nactus obscuram noctem, æstu secundo, furtim aut celeritate vitare prælium in transgressu conatus est. Ac deinde infra ita scripsit, Transgressos omnis recipit mons receptus à Lusitanis. Hoc igitur & minus proprie, & à nullo graui authore dictum aiunt. nam transgressus, inquit, & ingressus, à transgrediẽdo dicuntur: idque ipsum ab ingressu, & à pedum gradu appellatum est. Idcirco verbum transgredi conuenire non putauit, neque volantibus, neque serpentibus, neque nauigãtibus: sed iis solis, qui gradiuntur, & pedibus iter emetiuntur. propterea negant apud scriptorem idoneum, aut nauium transgressum reperiri posse, aut pro transfretatione transgressum. Sed quæro ego, cur non sicuti cursus nauium recte dici solent, ita transgressus etiam nauibus factus dici possit? præsertim cum breuitas tam angusti freti, quod terram Africam Hispaniamque interfluit, elegantissime transgressionis vocabulo, quasi paucorum graduum spatium, definita sit. Qui authoritatem autem requirunt, & negant dictum ingredi transgredi ve in nauigantibus: volo vti respondeant quantum existiment interesse, ingredi atque ambulare. Atqui M. Cato in libro de re rustica: Fundus, inquit, eo in loco habendus est, vt & oppidum prope amplum sit: & mare, aut amnis, qua naues ambulant. Appetitas porro huiuscemodi translationes, habitasque esse pro honestamẽtis orationis, Lucretius quoque testimonium in hac eadem voce dicit. in IIII enim lib. clamorem per arterias, & per fauces gradientem dicit: quod est nimio confidẽtius, quàm illud de nauibus Sallustianum. Versus Lucretii hi sunt, Asinius Pollio. Transgressus maris. Trãsgredi Cursus nauium. Arterias.

Corpoream quoque enim vocem constare fatendum est.
Et sonitum, quantum possint impellere sensus.
Præterradit enim vox fauces sæpe, facitque
Asperiora foras gradiens arteria clamor.

Propterea Sallustius in eodem libro, non eos solum, qui nauibus veherentur, sed & Arteria.

Progressus. ſcaphas quoq; nantes progreſſas dicit. Verba ipſa de ſcaphis poſui, Earũ aliæ paululũ progreſſæ, nimio ſimul & incerto onere, cũ pauor corpora agitauerat, deprimebantur.

Haſta. Caduceator. ASCEN. Haſta belli teſſera eſt: vnde & à fœcialibus bellum indicentibus in terram hoſtilem iaculabatur: Caduceus ſeu Caduceum (vtrũque enim dicitur) pacis: ſicut & Oliua. Vnde caduceatores ſunt pacis conciliandæ aut reconciliandæ nuncij: eo quod caduceum ſecum ferrent pacis indicium. Ideoque vt dicit Cato: Caduceatori nemo nocet. Eſt autem virga Mercurij, ab apolline tamen inuenta: quòd ille oratorum, hic ingeniorum & muſarum præſes & author haberetur.

Hiſtoria de Po. Ro. deque populo Punico, quòd pari propemodum vigore fuerint æmuli. CAPVT XXVII.

Po. Ro. & Pœni paritas. Haſtã & Caduceũ miſſa Carthaginẽ. IN libris veteribus memoria extat, quòd par fuit quõdam vigor & acritudo amplitudoque Po. Ro. atque Pœni. Neque immerito exiſtimatũ. nam cum aliis quidem populis, de vniuſcuiuſque reip. cum Pœnis autem de omnium terrarum imperio decertatum eſt. Eius rei ſpecimen eſt in illo vtriusque populi verbo factum, cũ Q. Fabius imperator Romanus dedit ad Carthaginenſes epiſtolam. ibi ſcriptum fuit, Po. Ro. miſiſſe ad eos haſtam & caduceum, ſigna duo belli aut pacis: exque iis vtrum vellent, eligerent: quod elegiſſent, id vnum vt eſſe miſſum exiſtimarent. Carthaginenſes reſponderunt, neutrum ſeſe eligere, ſed poſſe qui attuliſſent, vtrũ mallent, relinquere: quod reliquiſſent, id ſibi pro electo futurum. M. Varro autem non haſtam ipſam, neq; ipſum caduceum miſſa dicit, ſed duas teſſerulas: in quarum altera caduceum, in altera ſimulacra haſtæ fuerunt inciſa.

ASCEN. Seruium Tulliũ. ſic credo ſcribendum: Tullium inquam triſyllabum, cũ Tullus qui Hoſtilius, duabus ſyllabis ſcribatur. Memini olim in exponendo Horatio aliter me ſentire, deceptũ nominũ vicinitate: cum Maro dicat de Hoſtilio, Reſideſque mouebit Tullus in arma viros. Quod autem in fine huius capitis dicitur: ex iſta cẽſione Serui Tulli, neſcio an recte ſcribatur: licet receptum ſit ij duplex pro vno pronunciari: quod & poetæ fere faciunt. Maſe. Varro quinque gradus ætatis, Hippocrates ſeptem ponit: teſtis Cenſorinus de die natali. Galenus ponit quatuor ætates. Lege etiam Cælium cap. lxj. lib. x.

De ætatum finibus, pueritiæ, iuuentæ, ſenectæ, ex Tuberonis hiſtoria ſumptum. CAPVT XXVIII.

Pueri. TVbero in hiſtoriarum primo ſcripſit Seruium Tullium regem pop. Ro. cum illas quinque claſſes iuniorum cenſus faciendi gratia inſtrueret, pueros eſſe exiſtimaſſe, qui minores eſſent annis ſeptemdecim. Atque inde ab anno XVII quos idoneos iam eſſe Reip. arbitraretur, milites ſcripſiſſe: eosque ad annum quadrageſimum ſextum iuniores, ſupraque eum Iuniores. Seniores. annum ſeniores appellaſſe. Eam rem propterea notaui, vt diſcrimina, quæ fuerunt iudicio moribusque maiorum, pueritiæ, iuuẽtæ, ſenectæ, ex iſta cenſione Seruii Tullii prudentiſſimi regis noſcerentur.

Atque. Deque. ASCEN. Ac & atque accipiuntur eleganter pro quàm, vt Haud ſecus ac iuſſi faciunt. Atque accipitur pro ſtatim: vnde atque atque, præterquã quòd auget, poſſet exponi vt poſterius notet ſtatim, & ſit, Atque ſtatim. In Marone autem videtur accipi pro Et ſtatim: aut pro Et ecce. Deque adhuc in vſu eſt in hoc dicto, Susque deque fero. i. pro indifferenti ſiue ſurſum ſiue deorſum eat, habeo: aut nihil curo.

Quod particula, atque, non complexiua tantum ſit, ſed vim habeat pluſculam variamque. CAPVT XXIX.

Atque. ATQVE particula à grammaticis quidem coniunctio eſſe dicitur connexiua, & plerunque ſane coniungit verba & connectit. Sed interdum alias quaſdam poteſtates habet non ſatis notas, niſi in veterum literarum tractatione atque cura exercitis. Nam & pro aduerbio valet, cum dicimus, aliter ego feci atque tu. ſignificat enim aliter quàm tu. Et gemina ſi fiat, auget intenditque rem de qua agitur, vt animaduertimus in Q. Ennii Annalibus, niſi memoria in hoc verſu labor,

Atque atque. Deque. Virg. loc. Atque atque accedit muros Romana iuuentus. Cui ſignificationi contrarium eſt, quod itidem à veteribus dictum eſt, DEQVE. Et præterea pro alio quoque aduerbio dicitur, id eſt ſtatim. quòd in his Virgili verſibus exiſtimatur obſcure & inſequenter particula iſta poſita eſſe, Sic omnia fatis

In peius ruere, ac retro sublapsa referri:
Non aliter, quàm qui aduerso vix flumine lembum
Remigiis subigit, si brachia forte remisit,
Atque illum in præceps prono rapit alueus amni.

ASCEN. Multa si à multitudine vt Varro sentit deducitur, sine c, scribitur, sicut & multo verbum & multor tam deponens quàm passiuum, vt Calepinus diligenter adnotauit, docens etiam quid multa à pœna differat: qui quia in omnium manibus est, ad eum remitto. Bucetaque &c. lego bucera. i. cornutos boues: quia dicit gigni & pasci. in etum enim loca natiua terræ nascentium notant, vt oliuetum, quercetũ &c. Lego etiam compluria non complurima. Notandum quòd ouis etiam masculum sui generis significare potest quãuis mas aries dicatur, & castratus veruex. Gallis autem præcipue id nouum videtur, quibus communiter significantium magna est pœnuria. Nam in hominem quidem pro vtroque sexu vno vocabulo nórunt dicere. Consulta elegantia: dubito an legendum sit, consulto elegantiæ vitasse verbum: aut elegans verbum. Plutarch. in Val. Public. ait multam fuisse quinque boum & duarum pecudum: preciũque pecudis obolos decem: bouis autem centum. Multa.

AVLI GELLII NOCTIVM ATTICARVM COMMENTARIORVM, LIBER XI.

De origine vocabuli terræ Italiæ, deque ea multa quæ suprema appellatur, deque eius nominis ratione, ac de lege Aterina. Et quibus verbis antiquitus multa minimo dicĩ solita sit. CAPVT I.

TIMAEVS IN HISTORIIS, quas oratione græca de rebus Po. Ro. composuit, & M. Varro in antiquitatibus rerum humanarum, terram ITALIAM de græco vocabulo appellatam scripserunt: cum boues græca veteri lingua ἰταλοὶ vocitati sunt: quorum in Italia magna copia fuerit: buceraque in ea terra gigni, pascique solita sint compluria. Coniectare ob eandem causam possumus, quòd Italia tunc esset armentosissima: multamque, quæ appellatur suprema, institutam in singulos dies, duarum ouium, triginta boũ: pro copia scilicet boum, proque ouium pœnuria. Sed cum eiusmodi multa pecoris armentique à magistratibus dicta erat, adigebantur boues, ouesque, alias precii parui, alias maioris: eaque res faciebat inæqualem multæ punitionem. Iccirco postea lege Aterina constituti sunt in oues singulas æris deni, in boues æris centeni. Minima autem multa est ouis vnius. Suprema multa est eius numeri, cuius diximus, vltra quem multam dicere in dies singulos ius non est: & propterea suprema appellatur, id est summa & maxima. Quando igitur nunc quoque à magistratibus Pop. Ro. more maiorum multa dicitur vel minima, vel suprema, obseruari solet vt oues genere virili appellentur: atque ita M. Varro verba hæc legitima, quibus minima multa diceretur, concepit: Mar. Terentio, quando citatus neque respondit, neque excusatus est: ego ei vnum ouem multam dico. Ac nisi eo genere diceretur, negauerunt iustam videri multam. Vocabulum autem ipsum multæ, idem M. Varro in vndeuicesimo rerum Humanarum, non latinum sed sabinum esse dicit: idq; ad suam memoriam mansisse ait in lingua Samnitium, qui sunt à Sabinis orti. Sed turba grammaticorum nouitia, κατ᾽ ἀντίφρασιν vt quædam alia, ita hoc quoque dici tradiderunt. Cum autem vsus & mos sermonum is sit, vt ita & nunc loquamur vt plerique veterum locuti sunt, multam dixit, & multa dicta est: non esse ab re putaui notare quod M. Cato aliter dixit. nam in quarto Originum verba hæc sunt, Imperator noster, si quis extra ordinem depugnatum iuit, ei multam facit. Potest autem videri consulto elegantiæ vitasse verbum: cum in castris & in exercitu multa fieret: nó in comitio, nec ad populum diceretur.

Italia. Multa prisca. Lex Aterina. Multa suprema & minima. Ouis vnus genere mascul. Multa. Multam dicit. Multam facit.

ASCEN. Qui inscriptus est carmen de moribus. Ex huiusmodi inscriptione credã emanasse errorẽ opinantiũ carmina de moribus esse Catonis: nam illi vulgo addicuntur: cum Lucani, & quorũdã aliorũ mentio illic fiat, qui post mortem Catonis primum scripserint. potuerit tamen fieri vt opus illud à gram-

maticis auctum sit. Verum cum opus Catonis soluta aut saltem nō metrica lege sit scriptum, vt patet ex ijs quæ ex eo citantur, & opusculum quod Catonis nomine circunfertur præter procemium distichis con stet, notum est non esse illius Catonis, cuius hic mentio fit. Parcissimus elegantium, & parcorum elegantissimus. si elegans & parcus pertineant ad contraria & superlatiua comparētur inter plura duobus eiusdem generis, quæras quomodo hæc dicantur: sed noris ita dici vt parcissimus elegantium sit qui inter ele gantes minimum sit elegans & proxime ad parcos accedens: & contra elegantissimus parcorum, qui minimum parcus, proxime ad elegantes accedat. Ferrum si exerceas conteritur. quia vt dicit Ouidius, Ferreus assiduo consumitur annulus vsu.

Quod elegantia apud antiquiores, non de amœniore ingenio, sed de nitidiore cultu atque victu dicebatur, eaque in vitio ponebatur. CAPVT II.

Elegantia vitio data. Carmen Catonis de moribus.

ELEGANS homo non dicebatur cum laude: sed id fere verbū ad ætatem M. Catonis vitii non laudis fuit. Est nanque hoc animaduertere, cum in quibusdam aliis, tū in libro Catonis, qui inscriptus est Carmen de moribus. ex quo libro verba hæc sunt, Auaritiam omnia vitia habere putabant: sumptuosus, cupidus, elegans, vitiosus, irritus qui habebatur, is laudabatur. Ex quibus verbis apparet elegantem dictum antiquis, non ab ingenii elegantia: sed qui nimis læto amœnoque cultu victuque esset. Postea elegans reprehendi quidem desiit: sed laude nulla dignabatur, nisi cuius elegātia erat moderatissima. Sic M. Tullius L. Crasso, & Q. Scæuolæ, non meram elegantiam, sed multa parsimonia mistam laudi dedit. Crassus, inquit, erat parcissimus elegantium, Scæuola parcorum elegantissimus. Præterea ex eodē libro Catonis, hæc etiam sparsim & intercise cōmeminimus, Vestiri, inquit, in foro honeste mos erat: domi, quod satis erat. Equos carius quàm coquos emebant. Poeticæ artis honos non erat. Siquis in ea re studebat, aut sese ad conuiuia applicabat, grassator vocabatur. Illa quoque ex eodem libro præclaræ veritatis sententia est, Nam vita, inquit, humana prope vti ferrum est Ferrum si exerceas, cōteritur: si nō exerceas, tamen rubigo interficit. Item homines exercendo videmus cōteri: si nihil exerceas, inertia atque torpedo plus detrimenti facit, quàm exercitatio.

Ferro cōparatur homo.

Pro.

ASCEN. Ab arbitrijs. i. arbitrationibus, & ex arbitrio discernēdis causis. vulgo legitur arbitris, sed quia sequitur negotijs & non negotiatoribus, malim arbitrijs legere. Cōprimis necessarias. malim legere cum primis, vt duæ sint particulæ, positæ tamen pro vna. Pro multifariam accipitur. interdum est quasi loco alterius: vt falsa pro veris, loco verorū. Interdum ex officio, vt pro re pauca loquar. interdū pro defensione, vt pro aris & penatibus certādū est. Interdū ex vtilitate, vt pro te orabo. Interdum ante, vt pro foribus. Interdum quasi in propatulo & cōspectu, vt pro rostris. Interdum notat anteriorem partē, idque fere in compositione tā græca quàm latina, vt propontis, proboscis, procemium &c. Interdum oblongum & extensum notat, vt procerus, protensus, productus. Interdum procul, vt prolapsus, & alia multa: quæ tamen quasi ex vno fonte nata videntur, vt Gellius sentit. Pro castris itaque ante castra, & pro defensione castrorum. Pro agro, ante agrum, & in conspectu agri. Pro æde, ante ædem. Pro rostris, quasi sub rostris, & in conspectu rostrorum. Pro tribunali, in tribunali, vt fungatur officio quod ad tribunal spectat. Pro cōcione, in conspectu concionis. Pro potestate, iuxta potestatem, aut ex officio eius.

Qualis quantaque sit, pro particulæ varietas, deque exemplis eius varietatis. CAPVT III.

QVando ab arbitriis negotiisque ocium est, & motandi corporis gratia aut spatiamur aut vectamur, quærere nonnunquam apud memetipsum soleo res eiusmodi, paruas quidem minutasque, & hominibus non bene eruditis aspernabiles: sed ad veterum scripta penitus noscenda, & ad scientiam linguæ latinæ cum primis necessarias: velut, quod forte nuper in Prænestino recessu vespertina ambulatione solus ambulans considerabam, qualis, quantaque esset particularum quarundam in oratione latina varietas, quod genus est præpositio, PRO. Aliter enim dici videbam, Pontifices pro collegio decreuisse: aliter quempiam testem introductum pro testimonio dixisse: aliter M. Catonem in Originum IIII, Prælium factum depugnatumque pro castris, scripsisse. Et item in quinto, Vrbes, insulasque omnes pro agro Illyrico esse: aliter etiam dici pro æde Castroris, aliter pro rostris, aliter pro tribunali, aliter pro concione, atque aliter Tribunum plebis pro potestate intercessisse. Sed has omnes dictiones qui aut omnino si-

Pro præpositionis varietas.

miles & pares, aut vſquequaque diuerſas exiſtimaret, errare arbitrabar. nam varietatem iſtam eiuſdem quidem fontis & capitis, non eiuſdem tamen eſſe finis putabã. quod profecto facile intelliget, ſiquis adhibeat ad meditationem ſuam intentionem: & habeat veteris orationis vſum atque notitiam celebriorem.

ASCEN. Reuera nõ omnes diuites & opulenti bene ſunt exiſtimati, aut pro viris bonis habẽdi: ferè tamẽ ſic habiti, quia vt in epiſtolis dicit Horatius: Hos ſolos aiũt ſapere & bene viuere, quorũ Cõſpicitur nitidis fũdata pecunia villis. quod forte ſatis videbatur Ennio. eſt tamẽ græcus ſermo & verior & aptior.

Quem in modum Q. Ennius, verſus Euripidis æmulatus ſit. CAP. IIII.

Euripidis verba.

EVripidis verſus ſunt in Hecuba, verbis, ſententia, breuitate inſignes illuſtresque. Hecuba eſt ad Vlyſſem dicens,

τὸ δ᾽ ἀξίωμα, κἂν κακῶς λέγῃ, τὸ σὸν
πείσει. λόγος γὰρ ἔκ τ᾽ ἀδοξούντων ἰὼν
κἀκ τῶν δοκούντων, αὑτὸς οὐ ταυτὸν σθένει.

Hos verſus Q. Ennius, cum eam tragœdiam verteret, nõ ſane incõmode æmulatus eſt. Verſus totidem Enniani hi ſunt,

Ennij verſus.

Hæc tu, etſi peruerſe dices, facile Achiuos flexeris.
Nam cum opulenti loquuntur pariter atque ignobiles,
Eadem dicta, eademque oratio, æqua non æque valet.

Bene, ſicuti dixi, Ennius. Sed tamẽ ignobiles αὐτὶ ἀδοξούντων, & opulenti, αὐτὶ δοκούντων ſatis facere ſententiæ non videntur. Nam neque omnes ignobiles ἀδοξοῦσι, neq; omnes opulenti εὐδοξοῦσι.

ASCEN. Pyrrhonij à Pyrrhone dicti ſunt: de quo apud Baptiſtam Pium in annot. poſter. Cicero in Hortenſio ſic reponitur. Pyrrho autem ne ſentire quidem ſapientem quæ ἀπαθῆ nominantur. i. vt Pius interpretatur, Pyrrho nec illa quoq; ſentire ſapientẽ quæ indifferentia dicebat Zeno &c. Vt quiſque. lego quiſquis, pro quicũque homo eſt non præceps. Inconſideratiores autem videntur Pyrrhoni qui aſſerere audent quod ſe capere negant: vnde & vulgatum eſt argumentum in eos qui ſe & alios nihil ſcire dicũt: aut enim id ſciunt aut neſciunt: ſi ſciunt, ergo aliquid ſciunt: ſi neſciunt, audiendi non ſunt. ad quã caullationem excludendã dixit ille: hoc tantnm ſcio quòd nihil ſcio. Quot modis dicatur phantaſia exponit Cælius lib. ix. cap. xxvij. de qua meminit & cap. xvij. lib. xj.

De Pyrrhonibus philoſophis quædam, déque Academicis ſtrictim notata, déq; inter eos differentia. CAPVT V.

Pyrrhonij philoſophi

QVOS PYRRHONIOS philoſophos vocamus, ii græco cognomento σκεπτικοὶ appellantur. Id ferme ſignificat, quaſi quæſitores & conſideratores. nihil enim decernunt, nihil conſtituunt, ſed in quærendo ſemper cõſiderandoque ſunt, quidnam ſit omnium rerũ, de quo decerni conſtituiq; poſſit: ac ne videre quoque plane quicquam, neque audire ſeſe putant: ſed ita pati afficique, quaſi videant vel audiant: eaque ipſa, quæ adfectiones iſtas in ſeſe efficiant, qualia & cuiuſmodi ſint, cunctantur atque inſiſtunt. Omniumque rerum fidem, veritatem miſtis confuſiſque ſignis veri atque falſi ita incomprehẽſibilem videri aiunt: vt quiſquis homo eſt non præceps, neque iudicii ſui prodigus, his vti verbis debeat, quibus authorem philoſophiæ iſtius Pyrrhonem vſum eſſe tradunt, οὐ μᾶλλον οὕτως ἔχει τόδε, ἢ ἐκείνως, ἢ οὐδετέρως. Iudicia enim rei cuiuſque & ſynceras proprietates negant poſſe noſci & percipi. idque ipſum docere atque oſtendere multis modis conantur. Super qua re Phauorinus quoq; ſubtiliſſime argutiſſimeque decem libros cõpoſuit, quos πυῤῥωνίων τρόπων inſcribit. Vetus autem quæſtio, & à multis ſcriptoribus græcis tractata, an quid, & quantũ inter Pyrrhonios & Academicos philoſophos interſit. Vtriq; enim σκεπτικοὶ, ἐφεκτικοὶ, ἀπορητικοὶ dicuntur: quoniam vtrique nihil affirmant, nihilque comprehendi putant. Sed ex omnibus rebus perinde viſa fieri dicunt, quas φαντασίας appellant: non vt rerum ipſarum natura eſt, ſed affectio animi corporisve eſt eorũ ad quos ea viſa perueniunt. Itaque omnes omnino res, quæ ſenſus hominũ mouent, τῶν πρός τι eſſe dicũt. Id verbum ſignificat, nihil eſſe quicquam, quod ex ſeſe cõſtet, nec quod habeat vim propriam & naturã: ſed omnia prorſum ad aliquid referri: taliáq; videri eſſe, qualis ſit eorum ſpecies dum videntur: qualiaque apud ſenſus noſtros, quò peruenerunt, creantur: non

Phantaſia.

apud sese, vnde profecta sunt. Cum hæc autem consimiliter, tam Pyrrhonii dicant, quàm Academici, differre tamen inter sese, & propter alia quædam, & vel maxime propterea existimati sunt, quòd Academici quidem ipsum illud nihil posse comprehédi, quasi cóprehendunt: & nihil posse decerni, quasi decernunt: Pyrrhonii, ne id quidem vllo pacto videri verum dicunt, quòd nihil esse verum videtur.

Academici in quo à Pyrrhonijs differant.

ASCEN. Deierant.i.sancte & decenter iurant. Aedepol: videtur per ædem Pollucis dici: sed ædes pro deo accipitur: sicut nomé pro re. Posset causa fingi quòd fœminea fraude Hercules perierit: virili alter geminorum, & ita vterque, cum se alterna morte redimant. Apuleius in.iiij.de asino aureo introducit mulierem sic loquentem, Bono animo esto me hercules. Et in.v. Soror Psiches ita loquitur: Deamq; illam deus maritus efficiet: hic est me hercules. Idem fecit in secundo. Sed Apuleij sermonem multi non sic recipiunt vt syncere latinum.

Quòd mulieres Romæ per Herculem non iurauerint, neque viri per Castorem. CAPVT VI.

Hercules. Pollux, Castor.

IN veteribus scriptis, neque mulieres Romanæ per HERCVLEM deierant, neque viri per CASTOREM. Sed cur illæ non iurauerũt Herculem, obscurum non est. Nam Herculaneo sacrificio abstinent. Cur autem viri Castorem iurantes non appellarunt, non facile dictu est. Nusquam igitur scriptum inuenire est apud idoneos quidem scriptores, aut mehercle fœminam dicere, aut mecastor virum. AEDEPOL autem quod iusiurandum per Pollucem est, & viro, & fœminæ commune est. Sed M. Varro adseuerat antiquissimos viros, neque per Castorem, neque per Pollucem deierare solitos: sed id iusinuandum fuisse tantum fœminarum, ex initiis Eleusinis acceptum, paulatim tamen inscitia antiquitatis viros dicere ædepol cœpisse, factumque esse ita dicendi moré. sed mecastor à viro dici in nullo vetere scripto inueniri.

Aedepol à quibus iurãtibus aduocetur.

ASCEN. De verbis antiquis & desitis vide Qnintilianum lib. primo de vetustate sermonis. Apludam edit. Apud Plinium lib. xviij. cap. x. circa finem scribitur, Milij & panici & Sisamæ, apludam vocant purgamenta: alij alijs nominibus &c. quibus verbis cum dicat vocant: innuit familiare, sed indoctis vocabulum. Apluda (inquit Mase.) est genus minutissimæ paleæ, frumenti siue panici, de qua Næuius, Ne ordea apludea est hodie quàm tu nequior. Sunt qui apludam sorbitionis genus liquidissimum putant: quod flatu deijciatur, & quasi aplodatur. Hæc F. Pompeius. Pityrias autem dicunt panes furfureos & viliores: triticeos vero pyrinos. Fraces oliuarum, Floces vuarũ sunt purgamina. Quintilianus in.viij. ait. At obscuritas fit in verbis ab vsu remotis: vt si quis commentarios pontificum & vetustissima fœdera, & exoletos scrutatus authores idipsum petat, ex hisque contraxerit, quæ non intelliguntur. Hinc enim aliqui famam eruditionis affectant vt quædam soli scire videantur. Fallunt enim verba vel religionibus (aut melius regionibus) quibusdam magis familiaria, vel artium propria, vt Atabulus ventus, Nauis sacraria, in malacho fanum: quæ vel vitanda apud iudicem ignarum significationum earum, vel vituperanda sunt. Bouinari, inquit F. Pompeius conuiciari est. In versu Luciliano Strigiosus & improbus vltima breui ponuntur, sic enim veteribus liquscebat s vt sylla ba præcedens maneret breuis sequente consonante, licet in u nullam corripuerint. vnde ad productionem minus interdum faciebat quàm nihil: ad correptionem autem plus quàm si penitus perijsset.

Pityriæ. Fraces. Floces.

Bouinari.

Verbis antiquissimis relictisque, & desitis minime vtendum. CAP. VII.

Verba noua fugienda.

VErbis vti aut nimis obsoletis exculcatisque aut insolétibus, nouitatisque duræ & illepidæ, par esse delictum videtur. Sed molestius equidem culpatiusque esse arbitror, verba noua, incognita, inaudita dicere, quàm inuulgata & sordentia. Noua autem videri dico etiam ea, quæ sunt inusitata & desita, tametsi sint vetusta. Est adeò id vitium plerunque seræ eruditionis, quam Græci ὀψιμαθίαν appellant, vt quod nunquam didiceris, diu ignoraueris, cum id scire aliquando cœperis, magni facias, quo in loco cunque, & quacunque in re dicere. Veluti Romæ nobis præsentibus, vetus celebratusque homo in causis, sed repentina & quasi tumulturia doctrina præditus, cum apud Præfectum vrbis verbum faceret, & dicere vellet, inopi quendam miseroque victu viuere, & furfureum panem esitare, vinumque eructum & fœtidum potare: Hic, inquit, eques Romanus apludam edit, & floces bibit. Aspexerunt omnes qui aderant, alius alium, primo tristiores, turbato & requirente vultu quidnam illud vtriusque verbi foret: post deinde, quasi nescio quid tusce aut gallice dixisset, vniuersi riserunt. Legerat autem ille apludam veteres rusticos frumenti furfurem dixisse. idque à Pacuuio in comœdia (si ea Pacuuii est) quæ Astraba

Apluda. Vide Nonium.

nscripta est, positum esse. Item floces audierat prisca voce significare vini fæcem è vinaceis expressam, sicuti fraces ex oleis. idque apud Cæcilium ἐν πωλευμένοις legerat, eaque sibi duo verba ad orationum ornamēta seruauerat. Alter quoque à lectionibus, id genus, paucis ἀπειρόκαλος cum aduersarius causam differri postularet, Rogo Prætor, inquit, subueni, succurre: quonamusque nos bouinator hic demoratur? atque id voce magna ter quaterve inclamauit, bouinator. Commurmuratio fieri cœpta est à plerisque qui aderāt, quasi monstrum verbi admirantibus: At ille iactans & gestiens: Non enim Lucilium, inquit, legistis, qui tergiuersatorem bouinatorē dicit? Est autē in Lucilii XI versus hic, Hic strigosus, bouinatorque ore improbus duro. Floces. Fraces. Bouinator

ASCEN. Macrobius in primo Satur. fere eadem repetit. Culpam deprecari, aptissime. i. precari ne culpæ detur. Signanda autem est locutio. Tibi quis perpulit. noue enim construitur perpulit cum dandi casu, nisi construas cum ignosceretur. Perpulit tibi.

Quid senserit dixeritque M. Cato de Albino, qui homo Romanus græca oratione res Romanas, venia sibi ante eius linguæ imperitiæ petita, composuit. De excusat.ᵉ et venia.

CAPVT VIII.

Iuste venusteque admodum reprehendisse dicitur A. ALBINVM M. Cato. Albinus, qui cum L. Lucullo Consul fuit, res Romanas oratione græca scriptitauit. In eius historiæ principio scriptum est ad hanc sententiam, Neminem succensere sibi conuenire, siquid in his libris parum cōposite, aut minus eleganter scriptum foret. Nam sum, inquit, homo Romanus, natus in Latio: græca oratio à nobis alienissima est. Ideoque veniam gratiamque malæ existimationis, siquid esset erratū postulauit. Ea cū legisset M. Cato: Ne tu, inquit, Aule nimiū nugator es, cum maluisti culpam deprecari, q̃ culpa vacare. Nam petere veniam solemus, aut cum imprudētes errauimus, aut cū cōpulsi peccauimus. Tibi, inquit, oro te, quis perpulit, vt id cōmitteres, quod prius quàm faceres, peteres vt ignosceretur? Scriptum est hoc in libro Cornelii Nepotis de illustribus viris. Aul. Albinus. M. Cato. Deprecari

ASCEN. Siquis hoc Demosthenis vt vaframentū laudet, ipse vir bonus videbitur minime: sin vituperet, Demosthenem bonū virū negauerit, & ita Oratorem nō fuisse Quintilianus definierit. Sed videatur Demosthenis vita apud Plutarchum. Videatur & Cælius cap. xxxij. lib. ij. de Synanche &c. disserens. Bos autem Deliorum numus fuit & Atheniensis secundum aliquos: inde factum creditur, vt cū oratores vel iudices pecunia corrupti, silentio causam prodūt, dicatur bos eorum linguā inscendisse: vt modo Demosthenis. Item dicitur oratorum os stipe obstructum. Item dicūtur parthenon amare, rabulæ, poscinumij, vt scrotilla: nō autem Spartanum numum qui magni foret ponderis, parui autem vt nullius emolumenti. Plutarch. Demosthenis & Demadis meminit in vita Demosthenis. Bos numus.

Historia de Legatis Mileti & Demosthene rhetore, in libris Critolai reperta.

CAPVT IX.

Critolaus scripsit Legatos Mileto publicæ rei causa venisse Athenas: fortasse, an dixerit auxilii petendi gratia. Tum qui pro sese verba facerent, quos visum erat, aduocasse: aduocatos, vti erat mandatum, verba pro Milesiis ad populum fecisse. Demosthenem Milesiorum postulatis acriter respondisse, neque Milesios auxilio dignos, neque ex R.P. id esse contendisse. Rem in posterum diem prolatam: Legatos ad Demosthenem venisse, magnoque opere orasse vti contra ne diceret. Eum pecuniam petiuisse, & quantam petiuerat, abstulisse. Postridie cum res agi denuo cœpta esset, Demosthenem lana multa collum ceruicesque circunuolutum, ad populum prodisse, & dixisse se συνάγχην pati: eo contra Milesios loqui non quire. Tum è populo vnum exclamasse, Non συνάγχην quod Demosthenes pateretur, sed ἀργυράγχην esse. Ipse etiam Demosthenes, vt idē Critolaus refert, non id postea concelauit: quin gloriæ quoque hoc sibi assignauit. nam cum interrogasset Aristodemum actorem fabularum quantum mercedis, vti ageret, accepisset, & Aristodemus talentum respondisset: At ego plus, inquit, accepi, vt tacerem. Demosthenes. Anginam Argentanginam Aristodemus. Demosth. tacendo lucratus.

ASCEN. Sine precio. sine mercede. Idem nūc isti, subaudi faciūt: hoc est precia maxima ob tacendū accipiūt, nec scribetur ijdem, vt sit: isti ijdem nūc accipiunt precia magna: quia non erant ijdem: sed idem, id est eandē aut similem rem faciebant. Est autē tota oratio ingeniose excogitata, & elegans vsus præpositionis ob cū gerundio: ob tacendū. i. propterea quòd taceant. Tacite etiam docet cur oratores dicantur, quia exorare quéppiam volunt omnes.

Quod C.Gracchus in oratione sua historiam suprà scriptam Demadi rhetori, nō Demostheni attribuit: verbaque ipsius C.Gracchi relata. CAPVT X.

Oratores oēs petere

QVOD in capite superiore à Critolao scriptū esse diximus super Demosthene, id C.Gracchus in oratione, qua legem Aufeiam dissuasit, in Demadem contulit verbis hisce. Nam vos Quirites, si velitis sapientia atq; virtute vti, & si quæritis, neminem nostrum inuenietis sine precio huc prodire. omnes nos qui verba facimus, aliquid petimus. neque vllius rei causa quisquam ad vos prodit, nisi vt aliquid auferat. Ego ipse, qui apud vos verba facio, vti vectigalia vestra augeatis, quo facilius vestra commoda & Rempublicam administrare possitis, non gratis prodeo. verum peto à vobis, non pecuniam, sed bonam existimationem atque honorem. Qui prodeunt dissuasuri ne hanc legem accipiatis, petunt non honorem à vobis, verum à Nicomede pecuniam. Qui suadent vt accipiatis, ii quoque petūt non à vobis bonam existimationem, verum à Mithridate rei familiaris suæ precium & præmium. Qui autem ex eodem loco atque ordine tacent, ii vel acerrimi sunt. nam ab omnibus precium accipiunt, & omnes fallunt. Vos cum putatis eos ab his rebus remotos esse, impertitis bonam existimationem. Legationes autem à regibus, cum putāt eos sua causa reticere, sumptus atque pecunias maximas præbent. vti in terra Græcia, quo in tempore tragœdus gloriæ sibi ducebat, talentum magnum ob vnam fabulam datum esse: homo eloquentissimus ciuitatis suæ Demades ei respondisse dicitur, Mirum tibi videtur, si tu loquendo talentum quæsisti? Ego vt tacerem, decem talenta à rege accepi. Itidem nunc isti precia maxima ob tacendum accipiunt.

Demades tacēdo lucratus talēta decē.

ASCEN. Quod de ijs quæ sunt mentiri & mendaciū dicere, disseruit multo ante Nigidius, approbauit postea sanctus Augustinus. Possent in plura distingui membra. Nam interdum quis mentitur, & nō dicit mendacium, vt qui verū dicit credens se mentiri. interdum quis simul mentitur & mendacium dicit, vt quiisciens falsum asserit. interdum tantum mendaciū dicit, vt qui quod dicit verum putat cū sit mendacium: & hoc vltimum solum cadit in virum bonum. Est autē mētiri contra mentē suā dicere tam negando, quàm affirmando, vnde potest fieri vt mentiēs & fallat & fallatur: sed alterum in opere: alterū in voluntate. potest etiam fieri vt mentiens reuera non fallat: sed fallatur, vt dū mentiri se putat, & audiens scit ipsum verum dicere. Quod ergo dicit, alterum incidit in hominem, videlicet bonum: intelligo mendaciū dicere. Quod ergo dicit, alterum incidit in hominem, videlicet bonum: intelligo mendacium dicere nude, & non mentiri: quod tamen non est hominis prudentis, nisi error sit inuincibilis.

Verba P.Nigidii, quibus differre dicit, mentiri, & mendacium dicere. CAPVT XI.

Mentiri. Mendaciū dicere.

VErba sunt hæc ipsa P.Nigidii, hominis in studiis bonarum artium præcellentis, quem M.Cicero ingenii doctrinarūmque nomine summe reueritus est: Inter mendaciū dicere, & mentiri distat. Qui mentitur, ipse non fallitur, sed alterum fallere conatur: qui mendacium dicit, ipse fallitur. Itē hoc addidit, Qui mentitur, inquit, fallit, quantum in se est: at qui mendacium dicit, ipse non fallit quantum in se est. Item hoc quoque super eadem re dicit, Vir bonus, inquit, præstare debet ne mentiatur: prudens ne mēdacium dicat. Alterū incidit in hominem bonum, alterum non. Varie mehercle & lepide Nigidius tot sententias in eandem rem, quasi aliud atque aliud diceret, disparauit.

ASCEN. Certum est, omne nomen significans rem quæ pingi potest, æquiuocū esse ad rē verā & pictam: Præterea de mentali aut vocali termino posse loquentē intelligere se loqui. Vnde Chrysippi roboretur sententia. Certum etiam est omnē qui fallere non vult, & mētis conceptū clare exprimere vult, vt ambigue nō cōcepit, ita velle sine ambiguitate eloqui. Vnde Diodori stabilitur dictum. possem tamen data opera ambigue loqui: vt dicens leonem video, dato quòd simul pictum & viuum videam, & de vtroque intelligam: & audiens tantum alterum me videre putet.

Quòd Chrysippus philosophus omne verbum ambiguum dubiūq; esse dicit: Diodorus contra, nullum verbum ambiguum esse putat. CAP. XII.

Chrysippus omne verbū dicit dubiū. Diodorus Cronus nullum ambiguū. Obscurū.

CHRYSIPPVS ait, omne verbum ambiguum natura esse: quoniam ex eodem duo vel plura accipi possunt. Diodorus autem, cui Crono cognomentum fuit, Nullum, inquit, verbum est ambiguū: nec quisquam ambiguum dicit, aut sentit: nec aliud dici videri debet, quàm quod se dicere sentit is qui dicit. At cum ego, inquit, aliud sensi, tu aliud accepisti: obscure magis dictum, quàm ambigue videri potest. ambigui enim verbi natura illa debuit, vt qui diceret, duo vel plura diceret. nemo autē duo vel plura dicit, qui sentit vnum dicere,

ASCEN. Ego cum Castritio in hoc sentio, quòd si dixerit Gracchus, Quæ vos cupide & temere &c. frustra & inepte dixerit: abesse nõ potest, quin aut olim cupide &c. quin idem intulerit ex eodem, & disiunctim quod copulatim faciendũ erat. Verum si ea aduerbia cupide & temere auferãtur principio: non video quomodo ponantur in conclusione. Nam fieri potuit vt neque cupide. i. inconsiderate prius cõcupiuerint & voluerint: neque postea temere repudiarint: mutatis scilicet rebus cum voluntatibus. Stantibus autem causis iisdem: bene inferatur disiunctim, aut eos prius stulte petijsse, aut nunc temere repudiare: atque insuper inconstantiæ vitio irretiri. Dij mentem meliorem mihi. sup. dent. elegans eclipsis. In verba includerentur: aut in pro intra ponit aut in loci mutationem denotat.

Quid T. Castritius de verbis, deq; sententia quadã C. Gracchi existimauerit, quódq; esse eam sine vllo sensus emolumento docuerit. CAP. XIII.

A Pud T. Castritium disciplinæ rhetoricæ doctorem, graui atque firmo iudicio virum, legebatur oratio C. Gracchi in P. Popilium. In eius orationis principio collocata verba sunt accuratius modulatiúsque, quàm veterum oratorum consuetudo fert. Ea verba, sicuti dixi, composita hæc sunt, Quæ vos cupide per hosce annos adpetistis atque voluistis, ea si temere repudiaritis, abesse non potest, quin aut olim cupide adpetisse, aut nunc temere repudiasse dicamini. Cursus igitur hic & sonus rotundæ volubilisque sentẽtiæ, eximie nos & vnice delectabat, tanto id magis, quòd iam tunc C. Graccho viro illustri & seuero, eiusmodi compositionem fuisse cordi videbamus. Sed enim cum eadẽ ipsa verba sæpius petentibus nobis lectitarentur, admoniti à Castritio sumus, vt consideraremus, quæ vis quodve emolumentum eius sententiæ foret: neque pateremur vt aures nostræ cadentis apte orationis modis eblanditæ, animum quoque nobis voluptate inani perfunderent. cúmq; nos admonitione ista attentiores fecisset, Inspicite, inquit, penitus quid efficiant verba hæc: dicátque mihi quæso aliquis vestrum, an sit vlla huiusce sentẽtiæ aut grauitas aut gratia. Quæ vos cupide per hosce annos adpetistis atque voluistis, ea temere si repudiaritis, abesse non potest quin aut olim cupide adpetisse, aut nũc temere repudiasse dicamini. Cui enim omnium hominum in mentem non venit, id profecto vsu venire, vt quod cupide adpetieris, cupide adpetisse: & quod temere repudiaueris, temere repudiasse dicaris? At si opinor, inquit, ita scriptum esset, Quæ vos per hosce annos adpetistis atque voluistis, ea nunc si repudiaritis, abesse non potest quin aut olim cupide adpetisse, aut nunc temere repudiasse dicamini: si, inquit, ita diceretur, grauior scilicet solidiórque fieret sententia, & acciperet aliquid iustæ in audiendo expectationis. Nunc autem verba hæc cupide, & temere, in quibus verbis omne momentum rei est, non in concludẽda sententia tantum dicuntur: sed supra quoque nondum desiderata ponuntur. & quæ nasci oririque ex ipsa rei conceptione debebant, ante omnino, quàm res postulat, dicũtur. Nam qui ita dicit, si hoc feceris, cupide fecisse diceris: rem dicit sensus alicuius ratione collectam & cõfectã. Qui vero ita dicit, si cupide feceris, cupide fecisse diceris: non longe secus dicit atq; si diceret, si cupide feceris, cupide feceris. Hæc ego, inquit, admonui, non vt C. Graccho vitio darem, (Dii enim mentem meliorem mihi. nam si quicquam in tam fortis facundiæ viro vitii vel erroris esse dici potest, id omne & authoritas eius exhausit, & vetustas cõsumpsit.) sed vti caueretis, ne vos facile præstringeret modulatus aliquis currentis facundiæ sonitus, atque vt vim ipsam rerum, virtutémque verborum prius pensitaretis. & si quidem grauis atque integra, & syncera sententia diceretur, tũ si ita videretur, gressibus quoque ipsis orationis, & gestibus plauderetis. Si vero frigidi, & leues, & futiles sensus in verba apte numeroseq; posita includerentur: non esse id secus crederetis, quàm cũ homines insigni deformitate, ad facienda ridicula imitantur histriones, & gestiunt.

Gracchi verba.

Futilia ostenduntur.

Gracchi laus.

ASCEN. Piso Frugi. id illi agnomen erat. Responsum Romuli celebratur & lepidũ habetur quia Romuli: non tamen euacuat vim obiecti: si enim omnes fecissent quod ille: non enim solum quantum voluit bibit, sed & parum bibere voluit: vilius nimirum fuisset.

Sobria & pulcherrima Romuli regis responsio circa vini vsum. CAP. XIIII.

S Implicissima suauitate & rei & orationis L. Piso Frugi vsus est in primo Annali, cum de Romuli regis vita atque victu scriberet. Ea verba quæ scripsit, hæc sunt, Eundem Romulum dicunt ad cœnam vocatũ ibi nõ multum bibisse, quia postridie negocium haberet. Ei dicunt, Romule si istuc omnes homines faciant, vinum vilius sit. Is respondit, Immo vero carum si quantum quisqe volet bibat: nam ego bibi quantum volui.

Romuli sobrietas & lepidũ respõsum.

ASCEN. In bundus authore Valla per hæc admonito, licet dissimulet, significant idem quod participia verborum frequentatiuorum: eaque sunt potissimum in vsu quorum frequentatiua in vsu nõ sunt. Columella per comparatiuum dixit, Effoetæ tremebundior vbere porcæ. Pius Seruiano errore exponit apud Plautum, ridibũdam, hilarulam & ridenti similem: tu Vallam sequeris. qui tamen id solum quod ex hoc capite collegit, præcepisse videtur. De Laberio vide Macrob. in secundo.

De ludibundo & errabundo, atq; id genus verborum productionibus: & quòd Laberius sic amorabundã dixit, vt dicitur ludibunda, & errabũda. Atq; inibi ꝙ Sisenna per huiuscemodi verbum noua figura vsus est. CAP. XV.

Laberius. Amorabũdus. Bundus finita. Terentius Scaurus.

LAberius in lacu Auerno, mulierem amantẽ verbo inusitatius ficto amorabundam dixit. id verbum Cesellius Vindex in commentario Lectionũ Antiquarum ex figura scriptum dixit, qua ludibunda, ridibunda, & errabunda dicitur, ludens, & ridens, & errans. Terentius autem Scaurus diui Hadriani temporibus grammaticus vel nobilissimus, inter illa, quæ de Cesellii erroribus composuit, in hoc quoque verbo errasse eum scripsit, quòd idem esse putauerit, ludens & ludibunda, errans & errabunda, ridens & ridibunda. Nam ludibunda, inquit, & ridibunda & errabunda ea dicitur, quæ ludentem, vel ridentem, vel errantẽ agit, aut simulat. Sed qua ratione Scaurus adductus sit, vt Cesellium in eo reprehẽderet, non hercle reperiebamus. Non est enim dubium, quin hæc genere ipso dũtaxat idem significent, quod ea demonstrant à quibus producuntur. Quid esset autem ludentem agere vel imitari, non intelligere videri maluimus, quàm insimulare eum tanquam ipsum minus intelligentem. Quin magis Scaurum oportuit commentaria Cesellii criminantem, hoc ab eo præteritum requirere, quòd non dixerit, an quid & quantulum differret à ludibundo ludens, & ridibundo ridens, & errabundo errans, cæteraque horum similia. An à principalibus verbis paululum aliquid distarent: & quam omnino vim haberet particula hæc extrema eiusmodi vocabulis addita. Hoc enim fuit potius requirendum in istiusmodi figuræ tractatu. sicuti requiri solet in vinolento, & lutulento, & turbulento, vacua ne & inanis sit isthæc productio: cuiusmodi sunt, quæ παραγωγὰς Græci dicũt: An extrema illa particula habeat aliquid suæ propriæ significationis. Cum reprehensionem autem illam Scauri notaremus, in memoriam nobis rediit, quòd Sisenna in quarto historiarum, eiusdem figuræ verbo ita vsus est. Populabundus, inquit, agros ad oppidum peruenit. Quod scilicet significat, cum agros popularetur: non, vt Scaurus in consimilibus verbis ait, cum populantem ageret, vel cum imitaretur. Sed inquirẽtibus nobis, quænam ratio & origo esset huiuscemodi figuræ populabundus, & errabundus, & lætabundus, & ludibundus, multorúmque aliorum id genus verborũ: ἐπιβόλως hercle, Apollinaris noster sibi videri ait particulam istam postremã, in quam verba talia exeũt, vim & copiam, & quasi abundantiam rei cuius id verbum esset, demonstrare. vt lætabundus is dicatur, qui abunde lætus sit: & errabundus, qui longo atque abundanti errore sit. cæteraque omnia ex ea figura ita dici ostendit, vt productio hæc & extremitas largam & fluentem vim & copiam declaret.

Alij videntur nõ male à participalibus distarent legere.

Sisenna. Populabũdus.

ASCEN. Hoc vocabulũ polypragmosyne, licet difficile sit, verti solet curiositas, satactio, negociositas. sonat autem multinegociũ si dici posset. De hoc capite late disputat Philelphus in prima epistola secundi voluminis acriter in Gelliũ inuectus: quẽ tamen tuetur Politianus in Miscellaneis. Priuis. i. singulis & proprijs. Meminissem legere. anxie obseruat præceptum Agrætij, vt memini præsens tẽpus apponat. Ciceronis interpres in tertiũ epist. fa. librũ ait, Memini cũ præsenti solitũ iũgi elegãter, interdũ tamen, sed rarissime cũ præterito: vt apud Virg. Nãq; sub œbaliæ memini me turribus altis Coryciũ vidisse senẽ. Lege Lãcil. xxiiij. ca. lib. iiij. Notũ est cũ Gellius neget ea vocabula latine cõmode dici, ab eo nõ esse latina dicta, nec vt nũc videmus exposita. sed ne diu qualiscũque explicatio eorũ quæratur, eã ex more subiunximus, Opicus: barbarus & rudis, vt opici mures apud Iuuenalẽ. Virtutẽ quidẽ esse, subaudi dixit, aut sensit.

Quòd Græcorum quorundam verborum difficillima est in linguam latinam mutatio, veluti quod græce dicitur πολυπραγμοσύνη. CAP. XVI.

Græca quædã verti vix posse. Priuis.

ADIECIMVS animum ad vocabula rerum non paucissima, quæ neque sin[illegible] verbis, vt à Græcis, neque si maxime pluribus eas res verbis dicamus, tam dilucide tamque apte demonstrari latina oratione possunt, quàm Græci ea dicunt priuis vocibus. Nuper etiam cum allatus esset ad nos Plutarchi liber, & eius libri indicem legissemus, qui erat περὶ πολυπραγμοσύνης, percõtanti cuipiam, qui & literarum & vocũ Græ-

carum expers fuit,cuiusnam liber, & qua de re scriptus esset: nomen quidem scriptoris statim diximus:rem,de qua scriptum fuit,dicturi hæsimus. Ac tum quidē primo,quia non satis commode opinabar interpretaturum esse, si dicerem librum scriptum esse de negociositate: aliud instituì apud me exquirere, quod,vt dicitur, verbū de verbo expressum esset. Nihil erat prorsus,quod aut meminissem legere me,aut si etiam vellem fingere,quod nō insigniter asperum,absurdum,durumque esset, si ex multitudine & negocio verbum vnū compingerem,sicuti multiiuga dicimus, & multicoloria, & multiformia. Sed non minus illepide ita diceretur,quàm si interpretari voce vna velis πολυφιλίαν,aut πολυτροπίαν,aut πολυσαρκίαν. Quamobrem cum diutule tacitus in cogitando fuissem,respondi tandem non videri mihi,significari eā rem posse vno nomine. Et idcirco iuncta oratione,quid vellet græcum id verbum pararam dicere. Ad multas igitur res aggressio, earumque omnium rerum actio, πολυπραγμοσύνη, inquam,græce dicitur: de qua hunc librum compositum esse,inscriptio ista indicat. Tum ille opicus verbis meis inchoatis & incōditis adductus virtutē quidē esse πολυπραγμοσύνην,Hortatur,inquit,nos profecto nescio quis hic Plutarchus ad negocia capessenda, & ad res obeundas plurimas cū industria & celeritate:nomēque ipsius virtutis,de qua locuturus esset,libro ipsi sicuti dicis nō incōmode præscripsit. Minime,inquam, vero, neque enim ista omnino virtus est, cuius græco nomine argumentum hoc libri demonstratur, neque id quod tu opinare,aut ego me dicere sentio,aut Plutarchus facit:deterret enim nos hoc quidē in libro quàm potest maxime,à varia promiscuaque & non necessaria rerum eiuscemodi plurimarū & cogitatione & petitione. Sed huius inquā tui erroris culpam esse intelligo in mea scilicet infacundia,qui ne pluribus quidē verbis potuerim non obscurissime dicere,quod à Græcis perfectissime vno verbo, & planissime dicitur.

Meminissem legere.

Multiiugus.

Polygragmosyne Plutarcho esse videtur perdiscēdi aliorum vitia amor,sua vero despiciendi,hoc libro si quis diligēter introspiciat.

ASCEN. Publice redempta habent.i.qui locauerunt operas suas publice ad retāda.i.purganda flumina arboribus & herbis nauigationem impedientibus. Redimere enim est accepto precio operā aut rē præstare.Flandri vicinum habent verbum,quod est retare,& retam riet vocant.

Quid significat in veteribus Prætorum edictis,quòd flumina retanda publice redempta habent. CAPVT XVII.

E

Dicta veterum Prætorum sedentibus forte nobis in bibliotheca templi Traiani,& aliud quid requirētibus, cum in manus incidissent,legere atq; cognoscere libitum est. Tum in quodam edicto antiquiore ita scriptum inuenimus. Qui flumina retanda publice redempta habēt,si quis eorum ad me eductus fuerit, qui dicatur,quod eū ex lege locationis facere oportuerit,non fecisse. Retāda igitur quid esset,quærebatur. Dixit ibi quispiam nobiscū sedēs amicus meus, in libro se Caii de Origine vocabulorum septimo legisse, RETAS vocari arbores,quæ aut ex ripis fluminum eminerent,aut in alueis eorum extarēt:appellatasq; esse à retibus,quòd prætereuntes naues impedirent,& quasi irretirent. Idcirco sese arbitrari retanda flumina locari solita esse,id est,purgāda,nequ id aut moræ,aut periculi nauibus in ea virgulta incidentibus fieret.

Retare.

Retæ.

ASCEN. Illiterato.i.non scripto.De furtis multa legere est in digestis de furtis.Vlpianus in.l.furē nocturnum.ff.de sicarijs.ad.l. Cornel.promittit impunitatē si furi parcere non potuerit sine sui periculo.De pueris impuberibus vide Paulum in.l.impuberem.ff.de furtis.Manifestum autē furem &c.hoc habetur in.l.fur est,secundum Vlpianū.& in.l.siue.Furta autē apud AEgyptios & Lacedæmonios permissa fuisse scribit Crinitus lib.iij.cap.xiij. Qui alienā rem.hoc Paulus scripsit.l.j.de furtis paragrapho furtū est.Qui in.l.si quid.definit:Eū qui lancē raserit totius furē esse.Mente & animo.Paulus tamen.l.j.de furtis ait,sola cogitatio furti faciendi non facit furē.Quod in foro exteriori locum habet: dum quidem sola est.i.sine imperio & conatu.in foro conscientiæ diuina lege cautum est,ne rem proximi concupiscamus. Legatur Cælius.cap.j.lib.x.&.cap.vj.lib.vj.& cap.v.eiusdem lib.vbi non pauca inuenies de furto, & quibus probatū est:legitque hoc loco dupli pœna. Et è saxo præcipitari:Horat.in serm.Tu ne syri,damæ, aut Dionysi filius,audes deijcere è saxo ciues,aut tradere Cadmo? id est carnifici notæ atrocitatis. Licet aliqui legāt chamo pro quodā genere vinculi:vt apud regium prophetā,In chamo & freno maxillas eorum constringe. Per lancem liciūmque.Cælius ait,puto quia qui in alienam domum epulādi gratia ingrederetur,sicut qui magistratibus præministrabant lictores,licio præcingebatur,lancemque ante oculos obtēdebat propter matrūfamilias aut virginū præsentiā. Licijs autem vti in veneficijs fuit veteris moris, vt Maro probat,gratia obturbādæ mētis,sicut implicatur licijs stamen. In quod genus fures vindicatum est perinde ac reosmanifesti furti.Qui publica inuertunt dicuntur depeculatores:qui aris oblata, bomolochi:qui intercidunt marsupia balantiotomi & saccularij.comici vocant laron furacissimum,cui vox ver-

Furum genera.

nacula satis est confinis. Apud Indos furtum est fœdissimum, apud AEthiopas in aureas cōpedes conijciū tur in furto deprehensi & nocentes. Hæc Maserius. Vide an per lancem liquidorum, per licium rerum lō garum mensuram falsam intelligas.

Qua pœna Draco Atheniensis in legibus, quas populo Atheniensi scripsit, fures affecerit: & qua postea Solon, & qua item Decemuiri nostri, qui XII Tab. scripserunt. Atq; inibi adscriptū, quòd apud AEgyptios furta licita & permissa sunt: apud Lacedæmonios autem cū studio quoq; affectata, & pro exercitio vtili celebrata. Ac præterea M. Catonis de puniendis furtis digna memoria sententia. CAP. XVIII.

Draco legislator. Furtū punitio.

DRaco Atheniēsis vir bonus, multáque esse prudentia existimatus est, iurisque diuini & humani peritus fuit. Is Draco leges, quibus Athenienses vterentur, primus omnium tulit. In illis legibus furem cuiuscunque modi furti supplicio capitis puniendum esse, & alia pleraque nimis seuere censuit, sanxitque. Eius igitur leges, quoniam videbantur impendio acerbiores, non decreto iussóque, sed tacito illiteratóque Atheniensium cōsensu, obliteratæ sunt. Postea legibus aliis mitioribus à Solone cōpositis vsi sunt. Is Solon ex septem illis inclytis sapientibus fuit. is sua lege in fures, nō vt Draco antea mortis, sed dupli pœna vindicandum existimauit. Decemuiri autem nostri, qui post reges exactos leges, quibus Populus Romanus vteretur, in XII tab. scripserunt, neque pari seueritate in puniendis omnium generum furibus, neque remissa nimis lenitate vsi sunt. nam furē, qui manifesto furto prehensus esset, tum demum occidi permiserunt, si aut cum faceret furtum nox esset, aut interdiu se telo cum prehenderetur defenderet. Ex cæteris autem manifestis furibus, liberos verberari, addicique iusserunt ei cui factum furtum esset, si modo id luci fecissent, neque se telo defendissent. Seruos item furti manifesti prehēsos verberibus affici, & è saxo præcipitari: sed pueros impuberes Prætoris arbitratu verberari voluerunt, noxámque ab his factam sarciri. Ea quoque furta, quæ per lancem liciúmque concepta essent, perinde ac si manifesta forent vindicauerunt. Sed nunc à lege illa decemuirali discessum est. nam si quis super manifesto furto iure & ordine experiri velit, actio in quadruplum datur. Manifestum autem furtum est, vt ait Massurius, quod deprehenditur, dum fit. faciendi finis est, cum perlatum est quo ferri cœperat. Furti concepti, item oblati, tripli pœna est. Sed quod sit oblatum, quod conceptum, & pleraque alia ad eam rem, ex egregiis veterum moribus accepta, neque inutilia cognitu neque iniucūda, qui legere volet, inueniet Sabini librum cui titulus est de furtis. in quo id quoque scriptum est, quod vulgo inopinatum, Non hominum tantum, neque rerum mouentium, quæ auferri occulte & subripi possunt, sed fundi quoque & ædium fieri furtum. Condemnatum quoque furti colonum, qui fundo, quem conduxerat, vendito, possessione eius dominum interuertisset. Atque id etiam, quod magis inopinabile est, Sabinus dicit, Furem esse hominis iudicatum, qui cum fugitiuus præter oculos domini forte iret, obtentu togæ tanquam se amiciens, ne videretur à domino, obstitisset. Aliis deinde furtis omnibus, quæ nec manifesta appellantur, pœnam imposuerunt dupli. Id etiam memini legere me in libro Aristonis iureconsulti, haudquaquam indocti viri, apud veteres AEgyptios, quod genus homines constat & in artibus reperiendis solertes extitisse, & cognitione rerum indaganda sagaces: furta omnia fuisse licita & impunita. Apud Lacedæmonios quoque sobrios illos & acres viros, cuius rei non adeo vt AEgyptiis fides lōginqua est, non pauci neque ignobiles scriptores, qui de moribus legibúsque eorum memorias cōdiderunt, ius atque vsum fuisse furandi dicunt: idque à iuuentute eorum, non ob turpia lucra, neque ad sumptum libidini præbendum, comparandamve opulentiam, sed pro exercitio disciplinaque rei bellicæ factitatum. quòd & furandi solertia, & adsuetudo acueret firmarétque animos adolescentium, & ad insidiarum astus, & ad vigilandi tolerantiam, & obrependi celeritatem. Sed enim M. Cato in oratione, quam de præda militibus diuidunda scripsit, vehementibus & illustribus verbis de impunitate peculatus atque licentia conqueritur. Ea verba quoniam nobis impense placuerunt, adscripsimus. Fures, inquit, priuatorum furtorum in neruo atque in compedibus ætatem agunt: fures publici in auro atque in purpura. Quàm caste autem & quàm religiose à prudentissimis viris quid esset furtum definitū sit, prætereundū non puto: ne quis eum solū esse furē putet, qui occulte tollit, aut clā surripit. Verba sunt Sabini ex libro iuris ciuilis

Solon. Decemuiri. Furtū manifestum. Furtū immobilium. Furtum celans furti reus. Ariston iurecōsultus Aegyptijs furtum licitum, Lacedæmonijs laudatum. Catonis verba in peculatū.

secundo, Qui alienam rem adtrectauit, cum id se inuito domino facere iudicare deberet, furti tenetur. Item alio capite, Qui alienum tacens lucri faciundi causa sustulit, furti obstringitur, siue scit cuius sit, siue nescit. Hæc quidem sic in eo quo nunc dixi libro Sabinus scripsit, de rebus furti faciendi causa adtrectatis. Sed meminisse debemus secundū ea quæ supra scripsi, furtum sine vlla quoque adtrectatione fieri posse, sola mente atque animo, vt furtum fiat, annitente. Quocirca ne id quidem Sabinus dubitare se ait, quin dominus furti sit condemnandus, qui seruo suo vti furtum faceret, imperauit. Furti qui teneantur Sabino authore.

ASCEN. Prosecutique eum sumus ad domum. Non inepte præponitur hoc loco ad: & quo relatiui loco ponitur pro ad quam. Puellam. mulierculam adhuc iuuenculam: vnde Galli non recte puellam pro intacta ponunt. Accederet, id est adderetur. Sine eam totam integram. legam, totam ac integram: aut totam integramque. non enim ordo est, sine eam totam esse matrem integram: sed sic posuit vt alterum alterius esset expositiuum. Quod videat. lego quem videat, quia sequitur, iam viuentem &c. legi autem posset, quod, si hominem præposueris, sic quod videat iam hominem, iam viuentem, iam &c. Mammarum vbera. noue dictum quasi vbera mammarum partes sint, cum mammæ mulierum, vbera proprie bestiarum sint. vnde Flaccus in car. Sed incitat me pectus & mammæ putres, equina quales vbera. sed vbera etiam virgini dantur! & in euangelio, Et vbera quæ suxisti. Mamilla vnico m scribitur, quia primā corripit. Aboriantur, id est ante maturum partum eijciantur. Contra quas leges seuerissimæ latæ sunt. vt in l. Cicero. ff. de pœnis. l. si mulierem. ff. ad. l. Cornel. de sicarijs. l. diuus Seuerus. de extra ordinarijs crimini. &. l. si quis. C. ad legem Cornel. de sicariis. Recens natis, aduerbium est, pro recenter. In pecudibus quoque. immo in hominibus suillo lacte nutritris compertum est quod suillam induerint se immergēdi cœno affectionem. Quæ (malum) interiectio indignantis: comico familiaris. Contagio, dicitur enim hoc contagium, & hæc Contages, & hæc contagio. Versus Virg. sunt in. iiij. AEneid. vbi Dido in AEneam, Nec tibi diua parens: generis nec Dardanus author Perfide: sed duris genuit te cautibus horrens Caucasus, hircanæque admorunt vbera tigres. Diluunt, extenuant temperamento quodam. vnde addit, deteruntque. i. deterius efficiunt. In fine adpostitia vox tenuitas, superuacanea plane videtur: neque ad modestiam authoris, sed ad vecordiā faceret. Nam stulte diceret tenuitatē suā non posse, quod toti latinæ facundiæ negaret, dic igitur mea videlicet facundia, quam per hoc tenuem innuit quod nequaquam dicit, nequaquā sup. possit. Adnotauit Maserius recentius ad principium huius capitis Architrenium cōcinne dixisse, Dulcique puerpera gleba Absoluit phrygijs adfusa Britānia græcos. Et ad versus Homeri dicit sic. Macrob. hunc Homeri locum in. v. Saturna. citat, adiungens primo versui ηλεές. Apud Catullum autem dicit cō simili sententia Ariadne ad Thesea. Quænam te genuit, sola sub rupe leæna? Quod mare conceptū spumantibus expuit vndis? Que syrtis, quæ scylla vorax, quæ vasta charybdis? Et Ouidius. Te lapis & montes, innataque rupibus altis Robora, te sæuæ progenuere feræ. Puella.

AVLI GELLII NOCTIVM ATTICARVM COMMENTARIORVM, LIBER XII.

Dissertatio Phauorini philosophi, qua suasit nobili fœminæ, vt liberos, quos peperisset, non nutricum adhibitarum, sed suo sibi lacte aleret. CAPVT I.

N

VNciatum quondam est Phauorino philosopho nobis præsentibus vxorem auditoris sectatorisque sui paulolum ante enixam, auctumque eum esse nato filio. Eamus, inquit, & puerperam visum, & patri gratulatum. Is enim erat loci Senatorii ex familia nobiliori. Imus vnà & qui tum aderamus. prosecutique eum sumus ad domum, quo pergebat: & cum eo simul introgressi sumus. Tum in primis ædibus complexus hominem congratulatusque adsedit: atque ibi percunctatus est quàm diutinum puerperium, & q̄ laboriosi nixus fuissent. puellamq; vbi defessam labore ac vigilia somnum capere cognouit, fabulari instituit prolixius. Et nihil, inquit, dubito, quin filiū lacte suo nutritura sit. Sed cū mater puellæ parcendum esse ei diceret, adhibendasque puero nutrices, ne ad dolores, quos in enitendo tulisset, munus quoq; nutricationis graue ac difficile accederet: Oro te, inquit, mulier sine eā totam ac integram esse matrem filii sui. Quod est enim hoc contra naturam imperfectum atque dimidiatum matris genus, peperisse, ac statim ab sese abiecisse? aluisse in vtero sanguine suo nescio quid quod nō videret: non alere nunc suo lacte, quem videat iam viuentem, iam hominem, iam matris officia implorantem? An tu quoque, inquit, putas naturam fœminis mammarum

Ad domū.

Puella, Puerpera.

Phauorini sentētia de filijs à matre nutriēdis.

vbera, quasi quosdam næuulos venustiores, non liberorum alendorum, sed ornandi pectoris causa dedisse? Sic enim, quod à vobis scilicet abest, pleræque istæ prodigiosæ mulieres, fontem illum sanctissimum corporis, generis humani educatorem arefacere & extinguere, cum periculo quoque auersi corruptique lactis laborant, tanquam pulchritudinis sibi insignia deuenustet. Quod quidem faciunt eadem vecordia, qua quibusdam cōmentitiis fraudibus nituntur, vt foetus quoque ipsi in corpore suo concepti aboriantur, ne æquor illud ventris irrugetur, ac de grauitate oneris & labore partus fathiscat. quod cum sit publica detestatione, communiq; odio dignum, in ipsis hominem primordiis, dum fingitur, dum animatur, inter ipsas artificis naturæ manus interfectum iri: quantulum hinc abest, iam perfectum, iam genitum, iam filium, proprii atque consueti atq; cogniti sanguinis alimonia priuare? Sed nihil interest (hoc enim dicitur) dum alatur, & viuat, cuius id lacte fiat. Cur igitur iste, qui hoc dicit, si in capessendis naturæ sensibus tam obsurduit, non id quoque nihil interesse putat, cuius in corpore, cuiusque ex sanguine concretus homo & coalitus sit? An qui à spiritu multo, & calore exalbuit, non idem sanguis est nunc in vberibus, qui in vtero fuit? Nonne hac quoque in re solertia naturæ euidens est, quòd postea quàm sanguis ille opifex in penetralibus suis omne corpus hominis finxit, aduentante iam partus tempore in supernas se parteis profert, & ad fouēda vitæ atque lucis rudimenta præsto est, & recens natis notum & familiarem victum

Lactis virtus & efficacia.

offert? Quāobrem non frustra creditum est, sicuti valeat ad fingendas corporis atque animi similitudines, vis & natura similis: non secus ad eādem rem, lactis quoque ingenia & proprietates valere. Neque in hominibus id solum, sed in pecudibus quoque animaduersum. nam si ouium lacte hœdi, aut caprarum agni alantur, constat ferme in his lanā duriorem, in illis capillum gigni teneriorem. In arboribus etiam, & frugibus maior plerūq; vis & potestas est, ad earum indolem vel detrectandam vel augendam, aquarum atq; ter-

Terræ nutricis virtus.

rarum quæ alunt, quàm ipsius, quod iacitur, seminis. Ac sæpe videas arborem lætā & nitentem in locum alium transpositam deterioris terræ succo deperisse. Quæ (malum) igitur ratio est nobilitatem istam nati modo hominis, corpusque & animum benigne ingenitis primordiis inchoatum, insitiuo degenerique alimento lactis alieni corrumpere? præsertim si ista, quam ad præbendum lac tunc adhibebitis, aut serua, aut seruilis, & vt plerunque solet, externæ & barbaræ nationis: si improba, si informis, si impudica, si temulenta est. nam plerunque sine discrimine, quæcunque id temporis lactans est, adhiberi solet. Patiemur ne igitur infantem hunc nostrum pernicioso contagio infici, & spiritum ducere in animum atque in corpus suum, ex corpore & animo deterrimo? Id hercle ipsum est, quod sæpenumero miramur, quosdā pudicarū mulierum liberos, parētum suorum neque corporibus neque animis similes existere. Scite igitur & perite noster Maro, quòd cum versus illos Homeri consectaretur,

Virgilius de alimonia.

οὐκ ἄρα σοί γε πατὴρ ἦν ἱππότα Πηλεύς,
οὐδὲ Θέτις μήτηρ· γλαυκὴ δέ σε τίκτε θάλασσα,
πέτραι τ᾽ ἠλίβατοι, ὅτι τοι νόος ἐστὶν ἀπηνής.

non partionem solam, tanquam illam quam ille sequebatur, sed alituram quoque feram & sæuam criminatus est. Addidit enim hoc de suo,

Hircanæque admorunt vbera tigres.

Quoniam videlicet in moribus inolescendis, magnam fere partem ingenium altricis & natura lactis tenet. quæ iam à principio imbuta paterni seminis concretione, ex matris etiam corpore & animo recentem indolem configurat. Et præter hæc autem quis illud etiam negligere aspernarique possit? quòd quæ partus suos deserūt ablegantq; à sese, & aliis nutriendos dedunt, vinculum illud coagulūque animi atque amoris, quo parētes cum filiis natura consociat, interscindunt: aut certe quidem diluunt deteruntque. Nam vbi infantis aliorsum dati facta ex oculis amolitio est, vigor ille maternæ flagrantiæ sensim atque paulatim restinguitur, omnisque impatientissimæ solicitudinis strepitus cōsi-

Amandati ablegati.

lescit. Neq; multo minor amandati ad nutricem aliam filii, quàm morte amissi obliuio est. Ipsius quoque infantis affectio animi, amoris, consuetudinis, in ea sola, vnde alitur, occupatur: & proinde, vt in expositis vsu venit, matris quæ genuit, neque sensum vllum, neque desiderium capit. Ac propterea obliteratis & abolitis natiuæ pietatis elementis, quicquid ita educati liberi amare patrem atque matrem videntur, magnam fere partem non naturalis ille amor est, sed ciuilis & opinabilis. Hæc Phauorinum dicentem audiui

græca oratione, cuius sententias communis vtilitatis gratia, quantum meminisse potui, retuli: amœnitates vero & copias, vbertatesque verborum, latina omnis facundia vix quidem indipisci potuerit: mea nequaquam tenuitas.

ASCEN. Senecam hunc non minus acriter suggillat Quintilianus lib.x. vbi de copia disputat. cũ tamen ob castissima de moribus præcepta sic receperunt nostri, vt ethnicorũ neminem. Itaque iudicium penes arbitros relinquo. Partim. subaudit homines. Nullum precium operæ sit. non semper igitur per cõpositionem dicitur operæpreciũ. Necessum. sic frequenter apud hunc authorem, & interdũ apud Donatum leges. Suada Medulla. fœcundæ laudis compellatio. Suada enim quæ à nostris interdum suadela dicitur: vt apud Horatium, Sed bene nummatum decorat suadela venusque: à Cicerone interdum lepos dicitur, cum tamen idem Cicero in Bruto hunc locum Ennij verbaque (vt Angeli politiani Miscel. cap. xcj. verbis vtar) sic ampliter exponat. Suadæ medulla inquit, Pitho quam vocant Græci, cuius effector est orator: hãc appellauit Ennius. Eius autem Cethegum medullam fuisse vult, vt quam deam in Pericli labris scripsit Eupolis sessitauisse, huius ille medullam nostrum oratorem fuisse dixerit. Hactenus in Bruto Cicero. Ex quibus videtur in gignendi casu legendum Suadæ medulla: quod quia metrum non patitur, dicam appositionem esse: & emphaticos appellatum medullam non qualemcunque, sed suadam. fingitur enim Suada persuadendi dea siue potentia. medulla autem cum sit intimum corporis, & in penitissimis ossibus conditum, pro optima quaque re accipitur. Medulla ergo suada, vel quæ optima vel quæ altissima insideat, & ad medullam vsque penetret. non igitur futile vocabulum, nec taxatione dignum. Neque vero displicere debuit Senecæ iucundissima, licet rara, compositio in vocabulis suauiloquens & breuiloquentia. Virgilij verba quæ affectata putauit Seneca, cum Gellius non ponat, diuinare non lubet: ne vel Seneca ipso vanior euadam: & in Virgilio quæ minime taxãda sint, vt taxanda recitẽ. Sotherici lecti, molles sunt eius poetæ versiculi sic ab eo inscripti: nescio an sotadici dici possint. Præter hæc adnotauit Maserius quòd Senecæ oratio arena sine calce dicta sit, qui Maxillum præceptorem suum in prologo declamationum vocauit rhetorem: hominem satis aridum, paucissima belle sed non vulgato genere dicentem. Est autem inquit persuadendi dea πειθὼ, suada, suadela, lepos. Hinc Plautus in Cistel. Perducebam illam ad me suadela mea. i. mea persuasione & illectamẽto. Hora. Et bene nũmatum decorat suadela venusque. Et Baptista Pius, Quòd labris sedit amœnis Mellifluẽs nectar dulci & suadela nitore Suada dedit Pitho, quam quondam Græcia fatur Ore Pericleo cunctos fudisse lepores. Cicero in Catone maiore, Atqui eos omnes quos commemoraui his studijs flagrantes senes vidimus. M. vero Cethegum, quem recte suadæ medullam dixit Ennius, quanto studio exerceri videbamus, etiam senem? Itẽ in Bruto, Suadæ medulla pitho quam Græci vocant, cuius effector est orator, hanc suadam appellat Ennius: ita vt sensus sit fuisse Cæthegum medullam deæ Suadæ. sed in versu non est genitiuus suadæ. Citatur Seneca à Gellio sed non reperitur locus in epistolis, inquit Mase. quas habeo. Verum est, tamen Senecam in. xxj. episto. ponere Pitho deam quum ait. Ad hunc (scilicet Idomeneũ) Epicurus nobilem sententiam scripsit, qua hortatur vt Pitho deam locupletem non publica nec ancipiti via faciat. Si vis inquit Pitho deam diuitem facere, non pecuniæ adijciendum, sed cupiditatibus detrahendum est. Et paulo post, Si vis Pitho deam esse in perpetua voluptate, non est adijciendum voluptatibus, sed cupiditatibus detrahendum. Si vis Pitho deam senẽ facere & implere vitã, non annis adijciendũ est, sed cupiditatibus detrahẽdum. Hæc in epist. xxj. Vbi citat Virgilium sed cum laude: qui vt duobus laudem pollicitus erat & memoria æternam, absoluit cum ait, Fortunati ambo si quid mea carmina possunt Nulla dies vnquam memori vos eximet æuo: Dum domus AEneæ capitoli immobile saxum Accolet, imperiumque pater Romanus habebit. Aliud adferri posset forte ex. lix. epist. vbi loquitur de asilo & œstro. Item iusso pro iussero. Item de Actio & Ennio ibidem loquitur Seneca & Cicerone. sed citra propudium. Illud autem verum est quòd in libro de breuitate vitæ repetens Ciceronis illud quo se dixerat semiliberum: ait censorie, At mehercles nunquam sapiens in tã humile nomen procedet, nunquam semiliber erit. Sed nihil ad Gellianum dictum. In epist. autem. lx. ait Virgilium in sexto dixisse, Et mala mentis gaudia, diserte quidem, sed parum proprie: nullum enim malum gaudium est. In epistola etiam. lxvij. ait stoice: Errare mihi visus est qui dixit, Gratior & pulchro veniens in corpore virtus. Nullo enim honestamẽto eget virtus: ipsa enim magnum sui decus est, & corpus suum consecrat. Atqui dictum illud est Virgilij in quinto de Euryalo. In epistola centesima videtur frigide, & non vt potuit incunctanter Ciceronem Fabiano præferre, ait enim de oratione. Affer quem Fabiano possis præponere: dic Ciceronem, cuius libri ad philosophiam pertinentes pene totidem sunt quot Fabiani: Cedam, sed non statim. In epistola etiam. cviij. nonnihil adducit de versibus Scipionem Aphricanũ commendantibus siue ex Ennio, siue ex alio poeta. inanibus tamen collectis à Fenestella. In episto. cxiiij. damnat quasdam orationes, sed horum neminem notat. In epistola. cliij. ait, Is minimo eget mortalis, qui minimum cupit: Quod vult habet, qui velle quod satis est potest. Omnibus inde cursim lectis, nullum inueni locum in quo hi versus essent conscripti. siquid est subductum non video: hoc vnum scio, Erasmum virum sane doctissimum in quadam præfatione ausum dicere aliquid quod viri authoritatem non tam commendet quàm eleuet, adducto aliorum iudicio. ait enim, Genus dicendi non probat Quintilianus, sed ita vituperat, vt summam pene tribuat laudem. Taxat hunc acrius Aul. Gellius, sed immodico quodam Ciceronis studio, Senecæ quàm par est, iniquior. quãquã est quod ipse quoque mutari malim. Offendunt enim verba quædam humiliora, & alicubi submolesta est senilis quædam loquacitas, tum ioci nonnunquam procaciores, alieni ingenij parum cãdidus æstimator. Etenim in controuersijs dictu mirũ quàm

Pitho.

Suada Medulla.

Pitho.

AEneidos ix.

vix vllum probet,quàm multos velut e sublimi derideat.Proinde exemplum illius in ipsum (vt fit) recidit opinor.Hæc Erasmus. Sed de his hactenus.Redeo ad Pitho deam cuius sacellum fuit apud Sicyonios celebratissimum,vt docet Cælius cap.xlviij.lib.vj.illud exponens prouerbium , præter orationem non esse persuasionis sacellum aliud.Quæ autem de Sotherici lectis à Gellio obscurissime tradũtur, nemo est qui exponere possit.Qui legunt sciothericos lectos,siqui sunt,forte intelligũt lapideos.est enim sciothericum horologium quo horæ discernuntur ad vmbram:estque frequẽter eiusmodi sciothericum in lapide: quasi dicerent duros.De sothericis versibus nonnihil adfert Volaterranus,sed nihil ad rẽ. Ego siquid liceat mihi impune,saluaque nominis fama dicere,idque sine arrogantia,coniectem corruptũ esse in hoc loco Gellium.Et nequis me egregie falsum suspicetur, videantur singulæ literæ,inde perspiciat quisque solertissimus nunquid fieri posset vt Gellius sic literas ?scriptas reliquerit, Tuber stoici lectos, vel stoici tuber, pro tuberonis,vt non infrequens est apud Romanos nominum abbreuiata scriptura.Me iuuat ipse Seneca in epist. quem modo citat Gellius.Is inquam Seneca multis in locis Tuberonis lectos celebrat. non regio luxu apparatos,non aureos,non picto ebore excultos, non alia excellenti illustratos materia, sed ligneos.circiter finem vltimæ epistolæ lib.xv.ait,Proderit narrare,repetendo tuberonis ligneos lectos cum in publicum sternerentur,hœdinasque pro stragulis vestes:& ante Iouis ipsius cellam proposita conuiuijs vasa fictilia.Et paulo post subiungit,Illo die pop. Ro. multorum supellectilem spectauit,vnius miratus est.Vides iam fuisse Tuberonis stoici lectos ligneos, & supellectilem. lege ipsum Senecam,qui ait cẽsuram fuisse non cœnam.Ad hæc alludens idem Seneca in epist.cx.ait,Non est autem quòd te nimis laudes,si contempseris aureos lectos & gemmeam supellectilem . In epist.quoque.cxx.ait Tuber.contentũ vilibus.Cicero etiam in oratione pro Murena ait loquens de Tuberone : Is quum epulum Q. Maximi Aphricani patrui sui nomine Po.Ro.daret,rogatus à Max.vt triclinium sterneret, cum esset Tub. eiusdẽ Aph.sororis filius,atque homo eruditissimus,& stoicus,strauit pelliculis hœdinis lectos punicanos: & exposuit vasa samia, quasi vero esset Diogenes Cynicus mortuus &c.Is erat ergo AElius Tubero stoicus vere,& paupertate locuples.De quo Val.Max. de paupertate.De eodem Plutarchus in vita P. AEmilij & Luculli,quem appellare ausus est Xerxem togatum Tubero. Superiora Ciceronis verba Val. Maximus repetẽs titulo de repulsis ait,Q.AElium Tuberonem strauisse lectos punicanos:& interpres ait paruos & humiles,& secundum Senecam ligneos.Nam eiusmodi lecti ex Aphrica primũ aduecti sunt. Addo id superpondij ex Seneca:Attalum fuisse Senecæ præceptorem stoicum de quo in epistola . cviij. sic, Laudare solebat Attalus culcitram quæ resisteret corpori,tali vtor etiam senex,in qua vestigium appare re non possit.Hæc omnia me mouent ad splendorem Gellio reddendum.Horum si myopas tædeat,quibus gratiores sunt cimmeriæ tenebræ quàm appollinares radij, cum Phineo versentur sinapi & lolio victuri.De sententijs Senecæ laudatis multæ adferri possent:sed erimus ijs ad rem facientibus contenti. in vltima epistola libri.xxj.ait,Quantulumcunque est satis erit,si quicquam deerit id à nobis petierimus. Nihil interest vtrum non desideres an habeas.Quicquid naturam excedit precarium est. Sapiẽs diuitiarum naturalium Quæstor est acerrimus. Vtrum multum malis habere an satis?qui multum habet plus cupit, quod est argumentum illum non satis habere,qui satis habet consecuturus est quod nunquam diuitis contigit finem. Nunquam parum est quod satis est.nũquam satis est quod multum. Hæc Mas. Qui quia Attali meminit addamus quòd ab Attalo non rege sed philosopho Senecam imitatus deduxit Attalicus. a. um.in horomate heroico . Nanque illa increpitans, inquit,cum membra fouerem Languida, culcitra festus in Attalica.Addit præterea Mase.Seneca vocat Ciceronem gradarium.idque in epistola.xl.respiciebat autem ad sermonem qui debet molliter fluere & moderate. Et ad bene à Seneca dicta potest inquit citari quod de Origine tractatur. quo nemo altius,sanctiusque locutus est aut scripsit,cum bene dixit,nemo autem fœdius est lapsus cum errauit. Eius ergo dicta bene non tam iuuant quàm dicta male inficiũt, licet postrema inimicis referant doctissimi. Hæc ille. Quantum vero ipse conijcere possum epistola illa Senecæ ab eius amatoribus, quo cæteræ minus essent inuidiosæ, deleta est,quo modo vidi nuper à probis viris è Persio & Iuuenale paucula quòd sine periculo lubricitatis à pueris legi non possent, & è Martiale plurima sublata,è Luciano quoque ea quæ blasphema sunt censent non legenda. Præterea certũ est opera malorum,id est imperitorum poetarum eo quòd nullus ea coleret intercidisse, vt Zoili, Labeonis, Furij & aliorum, quo modo & Sothericum credo poetam fuisse, qui lectos infestiuiter & sine gratia celebrarit,sed eius lecti,id est opus de lectis quod inepti essent perierint, quibus tamen Seneca in ea epistola quam Gellius hic improbat, comparauit honorem & colorem veteris orationis.Possum & id cõijcere hominem illum sese inaniter Sothericum quasi soterium ,id est salutarem dixisse,sed diuinatione prolixiore superdeo. Sunt qui versus Ennianos sic legant,vt reposuimus eos.

Tuberonis lecti.

Senecæ sententiæ laudatæ.

Origenes.

Quòd Anneus Seneca iudicans de Q.Ennio,deque M. Tullio ,leui futilique iudicio fuit. CAPVT II.

Seneca taxatur.

DE Anneo Seneca partim existimant,vt de scriptore minime vtili. Cuius libros attingere,nullum precium operæ sit:quòd oratio eius vulgaris videatur & protrita:res atq; sententiæ, aut inepto inanique impetu sint, aut leui & quasi dicaci argutia : eruditio autem vernacula & plebeia,nihilq; ex veterũ scriptis habens neq; gratiæ neq; dignitatis. Alii vero elegantiæ quidem in verbis parũ esse non inficias eunt:sed & rerũ, quas dicat scien-

tiam doctrinamque ei non deesse dicunt: & in vitiis morum obiurgandis, seueritatem grauitatemque non inuenustam. Mihi de omni eius ingenio, deque omni scripto iudicium censuramque facere non necessum est. Sed quod de M. Cicerone, & Q. Ennio & P. Virgilio iudicauit, ea res cuiusmodi sit, ad considerandū ponemus. In libro enim XXII epistolarum moralium, quas ad Lucilium composuit, deridiculos versus Q. Ennium de Cethego antiquo viro fecisse hos dicit, Ennij versus.

Is dictus cunctis ollis popularibus olim
Qui tum viuebant homines atque æuum agitabant,
Flos delibatus populi, suadæque medulla.

Ac deinde scribit de iisdem versibus verba hæc, Admiror eloquentissimos viros & deditos Ennio pro optimis ridicula laudasse. Cicero certe inter bonos eius versus, & hos refert. Seneca de Cicerone. Atque id etiam de Cicerone dicit, Non miror, inquit, fuisse, qui hos versus scriberet, cū fuerit qui laudaret. nisi forte Cicero summus orator agebat causam suam, & volebat hos versus videri bonos. Postea hoc etiam addit insulsissime, Apud ipsum quoq;, inquit, Ciceronem inuenies etiam in prosa oratione quædam, ex quibus intelligas illum non perdidisse operam, quòd Ennium legit. Ponit deinde quæ apud Ciceronem reprehendit, quasi Enniana, quòd ita scripserit in libris de Repub. quòd Menelao Laconi quædam fuit suauiloquens iucunditas: & quòd in alio loco dixerit, Breuiloquentiam in dicendo colat. Atque ibi nugator homo Ciceronis errores deprecatur: Et nō fuit, inquit, Ciceronis hoc vitium, sed temporis. Necesse erat hæc dici, cum illa legerētur. Deinde adscribit Ciceronem hæc ipsa interposuisse, ad effugiendam infamiam nimis lasciuæ orationis & nitidæ. De Virgilio quoque eodem in loco verba hæc ponit. Virgilius quoq; De Virgilio. noster non ex alia causa duros quosdam versus & enormes, & aliquid supra mensurā trahentis interposuit, quàm vt Ennianus populus agnosceret in nouo carmine antiquitatis aliquid. Sed iam verborum Senecæ piget. Hæc tamen inepti & insipidi & insulsi hominis ioca non præteribo. Quidam sunt, inquit, tam magni sensus Q. Ennii, vt licet scripti sint inter hircosos, possunt tamen inter vnguentatos placere. Et cum reprehendisset versus, quos supra de Cethego posuimus: qui huiuscemodi, inquit, versus amant liceat sibi & eosdem admirari, & Sotherici lectos. Dignus sane Seneca videatur lectione ac studio Sotherici lecti. adolescentium, qui honorem coloremque veteris orationis Sotherici lectis compararit, quasi minimæ scilicet gratiæ, & relictis iam contemptisque. Audias tamen commemorari ac referri pauca quædam, quæ ipse idem Seneca bene dixerit. quale est illud quod in hominem auarum & auidum, & pecuniæ sitientem dixit, Quid enim refert quantum habeas? multo illud plus est, quod non habes. Bene hoc sane, bene. Sed adolescētium indolem non tam iuuant, quæ bene dicta sunt, quàm inficiunt, quæ pessime: multoque magis, si & plura sunt quæ deteriora sunt. Et quædam in his non pro ἐνθυμήματι aliquo rei paruæ ac simplicis, sed in re ancipiti pro consilio dicuntur.

ASCEN. Lictorum (inquit No. Marcel.) proprietatem à ligando dictam vetustas putat: ij enim carnificis officio antiquitus fungebantur. M. Tullius pro Rabirio, Lictor, inquit, colliga manus. Hæc. ille. Vbi Lictor. Carnifex. id obiter notabit puer, Carnificem inepte pro lanio dici. Sane memoriæ commendandum est: vbi vulgo legitur, & à vincendo victor, legendum esse vt eruditissimus admonuit Quintianus: & à vehendo vector. non enim in vinco prior corripitur vt in verbo veho. Deductio autem vocabuli lictor, videtur potius à licijs quibus fasces virgarum ligabant, quàm à ligando sumpta: nam ab eo verbo ligator dicitur. Viator autem is satellitum dicitur qui à magistratu mitti solet: vt alibi admonui. Addit Mase. Plutar. in Romulo ait. Præcedebant alij baculis submouentes vulgum, loris etiam accincti, vt quos iuberet rex continuo comprehensos vincirēt: ex quo iis à ligando lictoribus c interiecto (vt arbitror) hodie nomen est: antea enim Lictores. Liturgi. litores dicebantur. Hos Græci λειτουργοὺς (λεῖτος enim populus est) vocitant: Liturgus minister publicus, liturgia ministerium.

Lictoris vocabulum qua ratione conceptum ortumque sit: & super eo diuersæ sententiæ Valgii Rufi, & Tullii Ciceronis liberti acceptæ. CAPVT III.

VAlgius Rufus in secundo librorum, quos inscripsit de rebus per epistolam quæsitis, LICTOREM dicit à ligando appellatum esse, quòd cum magistratus populi Ro. virgis quempiam verberari iussissent, crura eius & manus ligari vinciriq; à viatore solita sint: isq; qui ex collegio viatorum officiū ligandi haberet, lictor sit appellatus. vtiturq; ad eā rē testi- Valgius Rufus. Lictor. Viator.

monio M. Tullii, verbaque eius refert ex oratione, quæ dicta est pro C. Rabirio: I lictor, inquit, colliga manus. Hæc ita Valgius, & nos sane cum illo sentimus. Sed Tiro Tullius M. Ciceronis libertus, lictorem vel à lino vel à licio dictum scripsit. Licio enim trāsuerso, quod linium appellatur, qui magistratibus, inquit, præministrabant, cincti erant. Siquis autem est, qui propterea putet probabilius esse quod dixit Tiro, quoniā prima syllaba in lictore, sicuti in licio producta est, & in eo verbo quod est ligo, correpta est: nihil ad rem ipsam pertinet. Nam sic à ligando lictor, vt à legendo lector, & à vehēdo vector, à tuēdo tutor, & à struēdo structor, productis, quæ corripiebantur, vocalibus, dicta sunt.

Tiro Tullius.

ASCEN. Hoccine locutus. Pro metri ratione repetendum est quod aliubi diximus: s literam etiam Cicerone auctore tam in carmine quàm in soluta oratione pro nulla fere haberi, quapropter parcius ridendi sunt Galli qui s literam in fine tenuiter pronunciāt, cum id natiua Romanorum (vnde sermonem mutuati sunt) lingua semper factitarit. Ideoque in locutus, doctus, facundus, beatus, sic s absumitur vt syllaba præcedens fiat breuis, in scitus autem quia sequitur vocalis, tota syllaba absumitur: sicut in quibusdā Virgilij versibus quos tamen mutauerunt, vt molli suffultus hyacintho: Inter se coijsse viros & decernere ferro, vbi Seneca, legit cernere. Hic specus horrendus, & sæui spiracula ditis. vbi Seruius legit horrēdum. Sunt & alia antiquitatis in hoc carmine vestigia: vt hocce, vbi nos hoccine diceremus. Induforo: vbi du syllaba metri causa interiecta, vt in vocabulo induperator apud Iuuenalem, & indugredi, induloci, indupeta &c. apud Lucretium. Item eloqueret pro eloqueretur. Volup vltima longa forte propter syncopen. dicitur enim volupe. & forte scribēdum est volupt. pro voluptas. Nonius enim dicit apud Plautū in Asinaria scriptum esse volup pro voluptate. vbi dicitur, Hic senex siquid vxorem suam animo fecit volup. Quo tamen loco meo iudicio rectius exponeretur per volupem: vt sit, fecit animo volupem. Antiqui etiā facul pro facile dicebant, vide Nonium Marcellum. Sane si quid diuinare ausim, dicam tertium & quartum versiculos sic reponendos. Comiter impertit, partes cum lapsa diei Multa foret &c. Nam sicut antiqui trabes & nubes in nominatiuo singulari enunciabant, sic forte & partes: quod quia grammaticis inaud itum, forte inuerterunt ponentes, magna cum lapsa diei Parte fuisset. qua lectione quia neque cōgruitas neque metrum seruatur, lego, magna cum lapsa dies iam Parte fuisset, sicque scriptum ab Ennio reor. Vndecimum versiculum apud Ennium sic quia mancus est, Maserius reponendum censet, vt faceret facinus, lenis foret, haud malus, idem Doctus &c. Lenis id est mitis mansuetusque, nisi quis mallet dicere, Vt faceret facinus leuis, haud fieret malus idem &c. cum sensu cui nulla sententia suaderet malum ingenium vt leuis inconstansve facere facinus. Hæc Maserius. Ego prius legi versiculos sic, Ingeniū cui nulla malum sententia suadet Vt faceret facinus, lenis tamen haud malum idem &c. Sed mihi tunc à castigandis erat numerans versiculum in quem prosa desijt cum metricis duodecimum pro vndecimo dixit, & lenis pro leuis omissa particula tamen admisit. Ego nunc sic legere malim. Ingenium cui mite, malum sententia nulla Suadet vti faceret facinus leuis, haud malus idem. hoc ordine & sensu, Cui ingenium mite sup. fuit, & cui sententia nulla suadet vti. i. vt ipse leuis. i. inconstans faceret facinus, id est factū malum. quia est etiam facinus bonum, haud malus &c. sed vix ausim mutare.

Volup.

Ex Q. Ennii septimo Annalium versus, quibus depingitur fingiturq; ingenium comitasque hominis minoris erga amicum superiorem. CAPVT IIII.

DEscriptum definitumque est à Q. Ennio in Annali septimo graphice admodum sciteque sub historia Gemini Seruilii, viri nobilis, quo ingenio, qua comitate, qua modestia, qua fide, qua linguæ parsimonia, qua loquēdi opportunitate, quanta rerum antiquarum morumque veterum ac nouorum scientia, quantaque seruandi tuendique secreti religione, qualibus denique ad minuendas vitæ molestias, fomentis, leuamentis, solatiis amicum esse conueniat hominis genere & fortuna superioris. Eos ego versus non minus frequenti assiduoque memoratu dignos puto, quàm philosophorum de officiis decreta. Ad hoc color quidam vetustatis in his versibus tam reuerendus est, suauitas tam impromiscua, tamque ab omni fuco remota est: vt mea quidem sententia pro antiquis sacratisque amicitiæ legibus obseruandi, tenendi, colendique sint. Quapropter adscribendos eos existimaui, siquis iam statim desideraret,

Ennij versus de amicitia pro lege habēdi.

» Hocce locutus vocat, quicum bene sæpe libenter
» Mensam, sermonesque suos, rerumque suarum
» Comiter impertit, magna cum lapsa dies iam
» Parte fuisset, de paruis summisque gerendis
» Consilio, induforo, lato sanctoq; Senatu:
» Cui res audacter magnas paruasque, iocumque
» Eloqueret: quæ tincta malis, & que bona dictu
» Euomeret, si quid vellet, tutoque locaret.

Quo cum multa volup,ac gaudia clamque palamque:
Ingenium cui,nulla malum sententia suadet
Vt faceret facinus,lenis,tamen haud malus,idem
Doctus,fidelis,suauis homo,facundus,suoque
Contentus,scitus atque beatus,secunda loquens in
Tempore,commodus & verborum vir paucorum,
Multa tenens antiqua,sepulta & sæpe vetustas
Quæ facit,& mores veteresque nouosque tenentem,
Multorum veterum leges,diuumque hominumque
Prudentem,qui multa loquive tacereve posset,
Hunc inter pugnos compellat Seruilius sic.

T. AElium Scillonem dicere solitum ferunt Q. Ennium de semetipso hæc scripsisse: picturamque istam morum & ingenii ipsius Q. Ennii factam esse.

ASCEN. Ad Pythia,ad solẽnis ludos qui Apollini indicti erant ob cædẽ Pythonis draconis noctu tissimi,aut vt Strabo lib.ix.scripsit,hominis sceleratissimi cognomento draconis. Quempiam more suo si nouit quinam foret pro quendam dixit. Quo alio.legitur etiam quod alio,& vtrũque tolerari potest. si quo legitur,maturandum erat impersonale est,vt sit quo itinere.i.qua itione maturandum erat alio vtpote ad pythia.sin quod,passiuum est,vt sit,quod iter maturandum erat alio.Legam quo allabi:aut passiue dixit quasi dicat affligi allapsu & accessu eorum:aut potius absolute : quasi ad mortem labi & labefactari. Quod Græci colon : relatiuum ad sequens adijcitur non ad antecedens : ab eo vulgo colica dicitur passio.Quod erat suum,videlicet officium.Sinuosius,inuolutius,accitis stoicæ disciplinæ inuolucris. Charius pensiusque.i.æstimatius & preciosius:nam quæ maximi facimus sæpe nobis pensa sunt . vnde & pendere æstimare significat. Dolorisque exultantia:eruptione violenta.Et cunctari.i . morari & expectare dũ deseuierint.Sensum sui. i.dicunt sensationem & perceptionem qua sese sentit .Monstri vice: quia Gigantæo more contra deos pugnare est naturæ velle obsistere.Peruentum est ad vehicula : faceta sermonis abruptio:sed & callida.Qui enim se aut amicum plane disertum & polyhistora videri volunt:ea quæ mille reuolutis libris, & sexcenties reposita neque doctius neque pensiculatius aut dicere aut scribere valuissent: dicunt ex tempore respondisse, aut obiter scripsisse.De tribus passionibus seu perturbationibus, quas ponunt stoici,meminit Aug.viij.cap.lib.xiiij.de ciuitate dei.

Sermo Tauri philosophi de modo atque ratione tolerandi doloris secundum Stoicorum decreta.

CAPVT V.

CVm Delphos ad Pythia,conuentũque totius ferme Græciæ visendũ philosophus Taurus iret,nosque ei comites essemus, inque eo itinere Lebadiam venissemus,quod est oppidum antiquum in terra Bœotia : affertur ibi ad Taurum,amicum eius quẽpiam nobilem in Stoica disciplina philosophum ægra valetudine oppressum decumbere. tunc omisso itinere, quo alio maturandum erat,& relictis vehiculis,pergit eum propere videre:nosq; de more,quem in locum cunque iret secuti sumus.Et vbi ad ædes , in quibus ille ægrotus erat, peruenimus,videmus hominem doloribus cruciatibusque allabi,quod Græci κωλὸν dicunt:& febri simul adrapida afflictari,gemitusque ex eo compressos erumpere,spiritusq; & anhelitus è pectore eius euadere,non dolorem magis indicantes , quàm pugnam aduersus dolorem. Post deinde cum Taurus & medicos accersisset ,collocutusque de facienda medela esset:& cum ipsum ad retinendam patientiam testimonio tolerantiæ, quam videbat,perhibito stabilisset:egressique deinde ad vehicula & ad comites rediremus : Vidistis(inquit Taurus)non sane iucundum spectaculum,sed cognitu tamen vtile, congredientes compugnantesque philosophum & dolorem . Faciebat vis illa & natura morbi quod erat suum,distractionem cruciatumque membrorum:faciebat contra ratio & natura animi,quod erat æque suum:perpetiebatur,& cohibebat,coercebatque intra sese violẽtias effrænati doloris:nullos eiulatus,nullas complorationes, ne vllas quidem voces indecoras edebat : signa tamen quædam (sicuti vidistis) existebant virtutis & corporis,de possessione hominis pugnantium . Tum è sectatoribus Tauri iuuenis in disciplinis philosophiæ non ignarus:Si tanta,inquit, doloris acerbitas est, vt contra voluntatem contraque iudicium animi nitatur, inuitumque hominem cogat ad gemendum, confitendumque de malo morbi sæuientis:cur dolor apud Stoicos indifferens esse dicitur, non malum? Cur deinde aut Stoicus homo cogi aliquid potest, aut dolor cogere:cum & dolorem Stoici nihil cogere,& sapientem nihil cogi posse dicãt? Ad ea Taurus vultu iã propemodum lætiore:delectatus enim iam videbatur illecebra quæstionis:Si iam amicus, in-

Lebadia.

Patientiæ exemplũ.

Dolor cur à Stoicis dicitur indifferens, & nõ esse malum.

quit, hic noster melius valeret, gemitus eiusmodi necessarios à calumnia defendisset, & hanc, opinor, tibi quæstionem dissoluisset. me autem scis cum Stoicis non bene conuenire, vel cum Stoica potius disciplina. Est enim pleraque & sibi & nobis incongruens, sicut in libro quem super ea re composuimus, declaratur. sed vt tibi à me mos geratur, dicã ego indoctius, vt aiunt, & apertius, quæ fuisse dicturum puto sinuosius atque solertius, si quis nunc adesset Stoicorum. Nosti enim credo verbum illud vetus peruulgatum, ἀμαθέστερον πῶς εἶπε, καὶ σαφέστερον λέγε. Atque hinc exorsus de dolore atq; gemitu Stoici ægrotantis ita disseruit. Natura, inquit, omnium rerum quæ nos genuit, induit nobis inoleuitq; in ipsis statim principiis, quibus nati sumus, amorem nostri & charitatẽ: ita prorsus, vt nihil quicquam esset charius pensiusque nobis, quàm nosmetipsi. atque hoc esse fundamentum rata est conseruandæ hominum perpetuitatis, si vnusquisque nostrum, simul atque editus in lucem foret, harum prius rerum sensum affectionemq; caperet, quæ à veteribus philosophis τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν appellata sunt: vt omnibus scilicet corporis cõmodis gauderet, ab incommodis omnibus abhorreret. Postea per incrementa ætatis exorta è seminibus suis ratio est, & vtendi consilii reputatio, & honestatis vtilitatisque veræ contemplatio, subtiliorque & exploratior commodorum delectus: atque ita præ cæteris omnibus enituit & præfulsit decori & honesti dignitas: ac si ei retinendæ obtinẽdæue incommodum extrinsecus aliquod obstaret, contemptum est. Neque aliud esse vere & simpliciter bonum, nisi honestum: neque aliud quicquam malum, nisi quod turpe esset, existimatum est. reliqua omnia, quæ in medio forent, ac neq; honesta essent, neque turpia: neque bona esse, neque mala, decretum est. Productiones tamen & relationes suis quæque momentis distinctæ diuisæque sunt. Quæ προηγούμενα καὶ ἀποπροηγούμενα ipsi vocant. Propterea voluptas quoque & dolor, quod ad finem ipsum bene beateque viuendi pertinet: & in mediis relicta, & neque in bonis neque in malis iudicata sunt. Sedenim quoniam his sensibus doloris voluptatisque ante consilii & rationis exortum recens natus homo imbutus est, & voluptati quidem natura conciliatus, à dolore autem, quasi à graui quodam inimico abiunctus, alienatusque est: idcirco affectiones istas primitus, penitusque inditas, ratio post addita, conuellere, obstirpare, atque extinguere vix potest. Pugnat autem cum iis semper, & exultanteis eas opprimit obteritque, & parere sibi atque obœdire cogit. Itaque vidistis philosophum ratione decreti sui nixum, cum petulantia morbi dolorisque exultantia colluctantem, nihil cedentem, nihil confitentem, neque vt plerique dolentes solent eiulantem atque lamentantem, ac miserum sese & infelicem appellantem: sed acres tantum anhelitus, & robustos gemitus edẽtem, signa atque indicia non victi neque oppressi à dolore, sed vincere eum atque opprimere enitentis. Sed haud scio, inquit, an dicat aliquis, ipsum illud, quòd pugnat, quòd gemit, si malum dolor non est, cur necesse est gemere & pugnare? Quia enim omnia, quæ non sunt mala, molestia quoq; omni non carent: sed sunt pleraque noxa quidem magna, & pernicie priuata, quia non sunt turpia: contra naturæ tamen mãsuetudinẽ lenitatemq; opposita sunt, & infesta, per obscuram quandam & necessariam ipsius naturæ consequẽtiam. Hæc ergo vir sapiens tolerare & cunctari potest: non omnino sensum sui amittere potest. ἀναλγησία enim, atque ἀπάθεια non meo tantum, inquit, sed quorundam etiam ex eadem porticu prudentiorum hominum, sicuti iudicio Panætii grauis atque docti viri, improbata abiectaque est. Sed cur contra voluntatem suam gemitus facere cogitur philosophus Stoicus, quem nihil cogi posse dicunt? Nihil sane potest cogi vir sapiens, cum est rationis obtinendæ locus: cum vero natura cogit, ratio quoque à natura data cogitur. Quære etiam, si videtur, cur alicuius manu ad oculos suos repente agitata, inuitus cõniueat? Cur fulgente cælo à luminis iactu non sua sponte & caput & oculos declinet? Cur tonitru vehementius facto, sensim pauescat? Cur sternutamentis quatiatur? Cur aut in ardoribus solis æstuet? aut cur in pruinis immanibus obrigescat? Hæc etenim & pleraque alia non voluntas, nec consilium, nec ratio moderatur, sed naturæ necessitatisque decreta sunt. Fortitudo autem non est ea quæ contra naturam mõstri vice nititur, vltraque modum eius egreditur, aut stupore animi, aut immanitate, aut quadam misera & necessaria in perpetiendis doloribus exercitatione. Qualem fuisse accepimus ferum quendam in ludo Cæsaris gladiatorem, qui, cum vulnera eius à medicis exsecabantur, ridere solitus fuit. Sed ea vera & proba fortitudo est, quam maiores nostri scientiam esse dixerunt rerum tolerandarum, & non tolerandarũ. Per quod apparet, esse quædam intolerabilia, à

Bonum. Malum.

Cur gemant Stoici præ dolore.

Gladiatoris insolẽs risus.

quibus fortes viri aut obeũdis abhorreant, aut sustinẽdis. Cũ hæc Taurus dixisset, videretúrq; in eandẽ rem plura etiam dicturus, peruentum est ad vehicula, & conscendimus.

ASCEN. De hoc ænigmate satis ampliter in Miscellaneis ca.xxxvj. Politianus: ante quem nescio quis ignorauerit de Termino dictũ. Terminus enim est semel & bis minus: & nomen eius Dei, qui cũ illo Ioue cohabitare voluit, qui falso dixit Imperiũ sine fine dedi &c. Nec ei cedere cũ capitoliũ exaugurabatur voluit. vnde Ouid. Fastorum.ij. Quid noua cum fierent capitolia? nempe deorum Cuncta Ioui cessit turba, locúmque dedit. Terminus vt veteres memorant, inuentus in æde Restitit: & magno cum Ioue tẽpla tenet. Vbi consequenter Politianus. Dubitat ergo hic scirpi author, scirpum vocans ænigmaticum sermonem: in quo à Crinito admonitus errorẽ suum agnouit, vt author est ipse Crinitus lib.ix.cap.vlti. vbi scrupos legẽdũ contendit: Erasmus tamen vir doctissimus in adagijs Scyrpũ dictũ pro captiuncula à Gellio censet. Quintianus Syrpos à verbo syrpo quod est implico: Cælius cum Crinito Scrupos lib.xij.cap. xliij. Mosellanus scirpos per antiphrasin legit: citra quam sic forte ænigmata dicuntur, quòd vt in scirpis quia internodia non habent, non est vbi ante finem consistas, ita nec in ænigmate. Additur à Maserio. Cælius ca.iiij.lib.xv. de griphis conuiualibus, quæstionibus cylicijs & Mnemonijs affert nonnulla. Et quia idẽ Cælius ait ænigmata & griphos nomen sumpsisse à retibus piscatorijs, non puto Erasmum post Gell. & Angelum Politianum errasse, cum dixerunt scyrpos gryphos. Scyrpos siquidem licet enodes leuésque, videmus interdum ita complicari intricarique, vt inuolucrum fiat, ensem Alexãdri deposcens: annulósque inde factos extrema sic celare, vt nisi vis interueniat cathenam soluere nequeas. De Termino deo cuius festa Terminalia in Februario celebrantur, meminit D. Aug. in cap.vij.lib.vij. de ciuitate dei. Terminus

Quod Græci ænigma dicunt, Latini antiqui scrupos appellauerunt. CAP. VI.

QVæ dicunt AENIGMATA, hoc genus quidã ex nostris veteribus SCRVPOS appellarunt: quale est quod nuper inuenimus per hercle antiquum, perq; lepidũ tribus versibus senariis compositũ ænigma: quod reliquimus inenarratum, vt legentium coniecturas in requirendo acueremus. AEnigma Scrupos legit Cælius

Versus tres hi sunt,

Semel minus ne, an bis minus, non sat scio,
An vtrunq; eorum: vt quondam audiui dicier,
Ioui ipse regi noluit concedere.

Hoc qui nolet diutius apud se quærere, inueniet quid sit in M. Varronis de sermone latino ad Marcellum secundo libro.

ASCEN. Ad Cn. Dolabellã. sic recte scribitur, nõ vt vulgo Dolobellã. Similia his scribit Val. Max. lib.viij. titulo Infames rei quibus de causis aut sint damnati aut absoluti. Smyrnæa. ex Smyrna vrbe minoris Asiæ, quã Theseus Thessalus in memoriã Smyrnæ vxoris condidit: vnde & Homerũ ortũ plerique volũt. Vita interfecerat. i. inter viuẽdum ne diutius viueret fecerat: hoc est vita priuauerat. Areopagitæ dicti qui in Martis vico Athenis sapientissimi crediti sunt iudices. Areopagos enim est Martis vicus, eo quòd Martis illic templum: vbi & primum iudicium capitis actum Plin. lib.vij. asserit. Quòd autem Dolabella scribendum sit, affirmat Cæl. cap.xlij. lib.x. exponens illud Prouerb. Asciam cruribus illidere: dictũ in eos qui mala sibi accersunt. Smyrna.

Quam ob causam Cn. Dolabella Proconsul, ream mulierem veneficii, confitentẽq; ad Areopagitas reiecerit. CAPVT VII.

AD Cn. Dolabellam Procõsulari imperio prouinciã Asiam obtinentẽ, deducta mulier Smyrnæa est. Eadẽ mulier virũ & filium eodem tempore, venenis clam datis, vita interfecerat, atq; id fecisse se confitebatur. Dicebatq; habuisse se faciendi causam: quoniam ille idem maritus & filius alterum filium mulieris ex viro priore genitũ, adolescentem optimũ & innocẽtissimũ exceptum insidiis occidissent. Idq; ita esse factũ controuersia non erat. Dolabella retulit ad consilium. Nemo quisq̃ ex consilio sententiam ferre in causa tam ancipiti audebat: quod & confessum veneficium, quo maritus & filius necati forent, non admittendũ impunitum videbatur: & digna tamen pœna in homines sceleratos vindicatũ fuisset. Dolabella eam rem Athenas ad Areopagitas, vt ad iudices grauiores, exercitatiorésque reiecit. Areopagitæ cognita causa, accusatorem mulieris, & ipsam quæ accusabatur, cẽtesimo anno adesse iusserunt. Sic neque absolutum mulieris veneficium est, quod per leges non licuit: neque nocens damnata, punitáque, quæ digna venia fuit. Scripta hæc historia est in libro Val. Max. factorum & dictorum memorabilium octauo. Valerius Max. lib. viii. Dolabellæ ad Areopagitas reiectio sententiæ. Areopagitarum iudicium.

ASCEN. De his quoque vide Val. Max. lib.iiij. de iis qui ex inimicis iuncti sunt amicitia & necessitudine. Mas. De reconciliatis nõnihil adferẽs D. Hieronymus, quo debeãt esse modo, inquit, in quadã epistola ad Ruff. Cur prudẽter errat & crebro: & sic per totũ texit errorẽ, vt mihi nõ liceat negare quod laudat. Prudẽtis fuerat & amici post recõciliatam simultatem, etiã leues suspiciones fugere, ne quod fortuito fecisset, consulto facere putaretur. Vnde & Tullius in cõmẽtariis causarũ pro T. Annio, Ego, inquit, cũ omnes amicitias tuẽdas semper putaui summa religione & fide, tũ eas maxime, quæ essent ex inimicitiis Amicitia reconciliata arctius obseruãda

reuocatæ in gratiā:propterea quòd integris amicitijs officiū prætermissum imprudētiæ, vel vt grauius interpretemur negligentiæ excusatione defenditur:post reditū in gratiam,si quid est commissum,id nō neglectum,sed violatum putatur:nec imprudentiæ,sed perfidiæ assignari solet. Flaccus quoque in epistola ad Florū ait, An male sarta Gratia nequicquam coit & restringitur. Hæc D.Hiero. Alij legūt rescinditur.

Reditiones in gratiam nobilium virorum memoratu dignæ. CAP. VIII.

Gratiæ reconciliatæ P.Africa. & Tib. Gracchi.

P VB. AFRICANVS superior,& TIB. GRACCHVS Tib.& C.Gracchorū pater,rerum gestarum magnitudine,& honorum atq; vitæ dignitate illustres viri,dissenserunt sæpenumero de Rep.& ea,siue qua alia re,nō amici fuerunt.Ea simultas cum diu mansisset, & solenni die Ioui epulū libaretur,atque ob id sacrificium Senatus in Capitolio epularetur:fors fuit,vt apud eandem mensam duo illi iunctim locarentur: tum quasi diis immortalibus arbitris in conuiuio Iouis OPT.MAX.dexteras eorum conducentibus,repente amicissimi facti:neque solum amicitia incepta,sed adfinitas simul instituta.Nam P.Scipio filiā virginem habens iam viro maturam,ibi tunc eodem in loco despondit eam Tib.Graccho, quem probauerat elegerátque exploratissimo iudicii tempore,dum inimicus est. AEMILIVS quoque LEPIDVS, & FVLVIVS FLACCVS, nobili genere amplissimisque honoribus,& summo loco in ciuitate præditi,odio inter sese graui & simultate diutina cōflictati sunt.Postea populus eos simul CENSS.fecit.Atque illi,vbi voce præconis renunciati sunt,ibidem in campo statim nondum dimissa concione,vltro vterque,& pari voluntate coniuncti,complexique sunt.Exque eo die,& in ipsa Censura,& postea iugi concordia fidissime amicissimeque vixerunt.

AEmilij Lepidi,& Ful.Flacci

ASCEN. Est plurifariam videre.sic cap.xj.lib.xiij.Vina quoque dulciora est inuenire.Id tamē genus locutionis Valla in Raudensem,tantum poetis permittit.Contagium (vt prius ostendi) dicitur etiam hæc cōtages,& hæc contagio:adde quòd in plurali tantū contagia. Peiorem honorem habuit.i.prætextu honoris id vobis tribuit quod peius est:videlicet iniuriā facere. Quo pacto qui regibus honoris gratia omnia licere contendunt,pessimum illis honorem deferunt.Sed in his non honor malus, neque anceps est vocabulum,sed abusus honoris res mala est,& honoris nomine significatur.

Quæ dicantur vocabula ancipitia,& quòd honoris quoque vocabulum ancipiti sententia fuerit. CAPVT IX.

Vocabula ancipitia. Periculū. Venenū. Contagiū. Honos malus.

E ST plurifariam videre atque animaduertere in veteribus scriptis pleraque vocabula,quæ nunc sermonibus vulgi vnam certámque rem demōstrent, ita fuisse media & communia, vt significare & capere possent duas inter sese res contrarias.Ex quibus quædam satis nota sunt, vt tempestas,valetudo, facinus,dolus,gratia,industria.hæc enim fere iam vulgatum est ancipitia esse,& vtroque versus dici posse.Periculum etiam,& venenum,& contagium, non vti nunc dicuntur,pro malis tātum dicta esse,multum exemplorum eiusmodi reperias. Sed HONOREM quoq; mediam vocem fuisse,& ita appellatum, vt etiam malus honos diceretur,& significaret iniuriam,id profecto rarissimum est. Q.autem Metellus Numidicus in oratione,quam de triumpho suo dixit,his verbis vsus est, Qua in re quanto vniuersi me vnum antestatis,tanto vobis quàm mihi maiorem iniuriam atque contumeliam facit Quirites.Et quanto probi iniuriam facilius accipiunt, quàm alteri tradunt: tanto ille vobis,quàm gratiam mihi,peiorem honorem habuit. Nam me iniuriam ferre,vos facere vult Quirites:vt hic conquestio,istic vituperatio relinquatur. Honorem,inquit,peiorem vobis habuit,quàm gratiam mihi.cuius verbi sententia est quam ipse quoque supra dicit:maiore vos adfecit iniuria & contumelia,quàm me. Præter huius autem verbi notionem,adscribendam esse hanc sententiam ex oratione Q.Metelli existimaui, vt definiremus Socratis esse decretum,

κάκιον εἶναι τὸ ἀδικεῖν τοῦ ἀδικεῖσθαι.

ASCEN. AEditimus is est quem vulgus Gallorum matricularium, Teuthonum magistrum templi vocant.Liuius poeta antiquissimus cognomento Andronicus,non historiographus hoc loco signatur. AEditimor,id est AEditimus fio,ædi tuendæ præficior &c. Mas. Pius appellat hierophylacas,hieronomos,hierodulos,hierophantas,archieras,custodes sacrorum,apud quos sacrorum leges sunt: sacrorū seruos,qui sacra demonstrant,& sacrorum principes.Et recte profecto dicitur hierodulus seruus templi,quē Galli appellant ecclesiæ clericum.

Hierodulus.

Quod æditimus verbum latinum sit. CAP. X.

AEDITIMVS verbum latinum est, & vetus, ea forma dictum, qua finitimus & legitimus. Sed pro eo à plerisque nunc, AEDITVVS dicitur, noua & commentitia vsurpatione, quasi à tuendis ædibus appellatus. Satis hoc esse potuit admonendi gratia dixisse: sed addatur id, propter agrestes quosdam & indomitos certatores, qui nisi authoritatibus adhibitis, non comprimuntur. M. Varro in lib. ii. ad Marcellum de latino sermone, æditimũ dici oportere censet magis q̃ æditiuũ: ꝙ alterũ sit recẽti nouitate fictum, alterũ antiqua origine incorruptum. Liuius quoque (vt opinor) in Protesilaodamia claustritimum dixit, qui claustris ianuæ præesset: eadem scilicet figura, qua æditimum dici videbat, qui ædibus præest. In Verrem M. Tullii in exẽplaribus fidelissimis, ita inueni scriptum, AEditimi, custodésque mature sentiunt. In libris autem vulgariis ædituі scriptum est. Pomponii fabuli attellana est, quæ ita inscripta est, AEditimus, in qua hic versus est: AEditimus. AEdituus. Claustritimus. Cic. locus. AEditimor. AEdituentes.

Qui postquam tibi appareo atque æditimor in templo tuo.

T. autem Lucretius in carmine suo pro ædituis æditueṅtes appellat,

Onerataque passim
Cuncta cadaueribus cælestum templa manebant,
Hospitibus loca quæ complerant æditueṅtes.

ASCEN. Non esse peccandum. repete dicebat: qui autemicensebat subiecerunt, nõ classici, at sine censu sunt. Hoc autem dictum quidam Senecæ perperam adscribunt. Frequenter ventitaremus. Per regulam æquiualens geminis, alioqui ventitaremus frequentatiuũ non esset. Sed iusti honestique studio. Vnde Flaccus in epistolis, Oderunt peccare boni virtutis amore. Peccabitur: videlicet ab eis. Erasmus hos versiculos in secunda Chiliade prouerb. ccxxj. citans ita exponit, Ob ista nequid occulas: siquidẽ intuens Cũcta audiensque cuncta proferet dies. vide ipsum ibidem. Seneca epist. xvii. vt verum decet Stoicũ, postquam vitia hominum esse ostendit non temporum, præter multorum opinionem concludit crimina secũdum naturæ conscientiam tuta non posse esse: additque eleganter dictum esse ab Epicuro: potest nocenti contingere vt lateat, latenti fides non potest. Et boni conscíẽtia (ait Seneca) prodire vult & conspici: ipsas tenebras nequitia timet. Exponens inde apertius Epicuri dictum ait, Ideo non prodest latere peccãtibus, quia latendi etiam si facultatem habent, fidutiam non habent. Ita est: tuta esse scelera non possunt: maxima peccantium pœna est peccasse. Nec vllum scelus licet illud fortuna exornet muneribus suis, licet tueatur & vindicet, impunitum est: quoniam sceleris in scelere est supplicium. Alia ponit vir Stoicus disciplina non indigna, quæ qui attentius leget, animum componet melius. Satis nobis (inquit M. Tullius Cicero) si modo in philosophia aliquid profecimus, persuasum esse debet: si omnes deos hominésque celare possimus, nihil tamen auare, nihil iniuste, nihil libidinose, nihil incontinenter esse faciendum. Quã sentẽtiã Peregrinus Proteus est mutuatus. Quin verũ illud est & theologicũ, bona illa bona esse quæ facimus propter deum, & supra modum numerumque vtiliora quàm ignis gehennam vitaturi quæ agimus. Ad hæc metus nos impellit, & quasi voluntatem trahit inuitam: ad illa amor in deum syncerus excitat, & volẽtes conducit. immo sunt tam atroci seueritate, iudicióque exacto, vt eiusmodi opera nullius meriti arbitrẽtur, quæ fieri contingit metu damnationis. Et D. Aug. ix. cap. lib. xiiij. de ciui. dei ait, A peccato cauendum nõ timore pœnæ, sed ne legem transgrediamur & præuaricemur: quod probat ex prima muliere, quæ à fructu vetito abstinebat, ne dei mandato contrairet, non quòd dei comminationẽ formidaret: alioquin si pœnæ timorem non iustitiam oculis primum obiecisset, nec comedisset, deliquisse fatemur, ait interpres. Hæc Mas. Pergit sic. De veritate temporis filia quod hic dicitur insequor in Horamate nostro, Et saturnigenã quisquis ratione togata Tentat aletheiam vincere, victus abit. Et paulo ante dixeram, Infandum sub nube scelus fugiẽte senescat: Ipsa reuelabit cũcta, serena dies. Sol maculata meis radijs hypogæa penetrat, Sternit & indignum lumine, noctis iter. Innocuo quisquis scelerabit sanguine dextram, Mundum aut vltorem sentiet esse deum. Hæc illic & pluscula. Plato in Alcibiade ait veritatem Bacchi esse seu mauis vini filiã: & vt sacra habet testatio, In vino veritas. Nudare enim solent temulẽti mentem suã: vnde est etiam Græcum illud ἐν οἴνῳ ἀλήθεια. Infausta est ergo illorum conditio quos sic Architrenius suggillat. Nã tenebras qui peccat amat, latebrisque pudorem Excusat, noctémque facit velamina culpæ. Iuxta illud euangelicum, Qui male agit, odit lucem. Et Archi. ex Thalete, Nam cuncta videntem Nil celasse potes: nec eum qui totus vbique Excubat, euades: & qui deus omnia nouit, Falli non poterit: Iouis insopita lucerna In tenebris lucet secreti conscia, clausum Non sinit esse nefas: non occultatur opertum Hypocrisis crimẽ, nec sub lodice sepultum ζωῶ ϐ ψυχῶ: & quæ sequuntur sancta & elegantia: caue tamen eum imiteris in dictione hypocrisi nisi facias nouum pedem in primo loco: vt ibi, Et simiamorum hypocrisis. Melius Philelphus, Turpis hypocritius. Apud Iuuenalem quasi technice legimus ζωὴ ϐ ψυχὴ, id est vita & anima. Alio in loco dicit idem Archi. Pudeatque abscondere culpam Quam repulisse potes: illúmque arcessere testem Delicti, quẽ nulla latent, oculisque sopori Occultis occulta videt: nullisque tenetur Obijcibus: quem nulla tenet distantia visus. Sene. seu Publius dixit, Sine teste nullum tu putaueris locum. Peccata nequeunt esse tuta. Veritas filia temporis, Vini.

Errare istos,qui spe & fiducia latendi peccẽt:cum latebra peccati perpetua nulla sit.Et super ea re Peregrini philosophi sermo ex Sophoclis poetæ sententia. CAP. XI.

Peregrinus philosophus Proteus.

Peccatum etiam si lateat vitandum.

PHilosophum nomine Peregrinum,cui postea cognomentum Proteus factum est,virum grauem atque cõstantem vidimus,cum Athenis essemus, diuersantem in quodam tugurio extra vrbem.cûmque ad eum frequenter ventitaremus,multa hercle dicere eum vtiliter & honeste audiuimus : in quibus id fuit,quod præcipuum auditu meminimus, Virum quidem sapientem non peccaturum esse dicebat,etiam si peccasse eum dii atque homines ignoraturi forent.non enim pœnæ aut infamiæ metu non esse peccandum,sed iusti honestique studio & officio.Siqui tamen non essent tali vel ingenio vel disciplina præditi, vti se vi sua,ac sponte facile à peccando tenerẽt:eos omneis tum peccare procliuius existimabat, cum latêre posse id peccatum putarent, impunitatémque ex ea latebra sperarent. At si sciant,inquit,homines, nihil omnium rerum diutius posse celari, suppressius prudentiúsque peccabitur.

Occultum nihil.

Propterea versus istos Sophoclis prudentissimi poetarum in ore esse habendos dicebat,

πρὸς ταῦτα κρύπτε μηδέν. ὡς ἅπανθ᾽ ὁρῶν
καὶ πάντ᾽ ἀκούων, πάντ᾽ ἀναπτύσει χρόνος.

Veritas tẽporis filia.

Alius quidam veterum poetarum,cuius nomen mihi nunc memoriæ non est,veritatem temporis filiam esse dixit.

ASCEN. Cum,id est quando.Diluit:purgauit nõ ex toto:sed tolerabilius fecit.Mutua sestertia vicies.antiqua exemplaria habent:mutuo sestertium vicies.sane receptum videtur vt scribatur sestertium sic HS. Alijs placet scribendum IIS. vt sint duo cum semis:quod sonat sestertiũ,id est duo & semis tertij:abbreuiato autem sermone semis ad tertium.Sed de sestertio vide doctissimum Budænm in libro de Asse & partibus eius.

Faceta respõsio M.Ciceronis amolientis à se crimen manifesti mẽdacii.

CAPVT XII.

Rhetoricũ præceptũ.

HAEC quoque disciplina rhetorica est, callide & cum astu res criminosas citra periculum confiteri:vt si obiectum sit turpe aliquid,quod negari nõ queat,respõsione ioculari eludas,& rem facias risu magis dignam, quàm crimine:sicut fecisse Ciceronem scriptum est,cum id,quod inficiari non poterat,vrbano,facetóque dicto diluit.Nam cum emere vellet in palatio domum,& pecuniã in præsens non haberet,à P.Sulla qui tũ reus erat,mutua HS vicies accepit.Ea res tamen prius quàm emeret,prodita est,& in vulgus exiuit:obiectúmque ei est ꝙ pecuniam domus emendæ causa à reo accepisset.Tum Cicero inopinata opprobratione permotus,accepisse se negauit,ac domum quoq; se empturum negauit.Atq; adeo, inquit,verum sit accepisse me pecuniam,si domum emero. Sed cum postea emisset, & hoc mendacium in Senatu ei ab inimicis obiiceretur, risit satis, atque inter ridendum, ἀκοινώνητοι, inquit homines estis, cum ignoratis, prudentis & cauti patrisfamilias esse, quod emere velit,empturum sese negare, propter competitores emptionis.

ASCEN. Scitatum:sunt qui legant sciscitum.Sæuus,id est expers mẽtis:vt sæui,id est irati sunt. Nã sæuus significat interdum iratum:vt apud Virgilium,Sæuæ Iunonis ob iram.Lego tamen læuus.i.iners & stultus. vt Si mens non læua fuisset.Intra Calendas : vulgo dicitur infra pro citra Calendas. Sane vt id quoque dicam,ecclesiastici octauas vocant non vnum diem qui octauus sit,sed octo : quocirca dũ dicitur intra octauam(quod tamen barbare dicitur)significatur eis quouis ex octo die:hoc est vt ipsi dicunt,durante octaua:aut infra aut citra octauam significare. Posset etiam quenuis diem antequã illi octo inchoarentur.Ex eo autem quod hic dicitur,Nescio autem quo pacto &c.innuitur dũtaxat vnum diem merito dici Calendas.sed in fine contra sentit.Præterea ex eo quod Gellius ex Cicerone affert consequenter,cõstat non male dici,intra octauum diem pro ante: sed tunc potissimum cum signentur octo dies,ante quorum vltimum fiat.Intra famam.i.opinionem:contrarium est vltra famam,authore Hermolao. Hæc Mas. Qui commode admonet illud Ciceronis quod etiam Aldus sic impressit,rem imperite non putare, legẽdum esse Remp.hoc sensu,nolo prorsus non agere literis cum Cæsare,ne putet me eo esse iudicio vti existimem nullam esse Rempubl. licet enim reuera nulla sit, tamen conniuendum est. Ergo ait Cicero: sed tamen quoniam effugi eius occasionem.s.Cæsaris,qui forte arbitraretur me non putare hanc Remp. esse,quia tyrannice oppressam,si ego tacerem perpetuo:hoc faciam modice, aut etiam intra modũ:& cætera quæ prosequitur Gellius.caue aliter legas si verũ ex cutis sensum. Hæc ille.Eundem locum biennio antequam Maserij adnotata videram,sic emendarat consanguineus meus Petrus Megangus: vt pro occasionem poneret offensionem:& reliqua vti Maserius.Cæterum quia non est facile creditu pro Remp. scriptum esse rem imperite;suspicer an legendum sit Remp.pene non &c.

Intra Calendas cum dicitur, quid significet, vtrũ ante Calẽdas, an Calendis, an vtrũq;. Atq; inibi quid sit in oratione M. Tullii, intra oceanum, & intra montem Taurum, & in quadam epistola, intra modum. CAPVT XIII.

CVm Romæ à COSS. iudex extra ordinem datus, pronunciare intra Calendas iussus essem: Apollinarem Sulpitium doctum hominem percunctatus sum, an his verbis INTRA CALENDAS, ipsæ quoq; Calendæ tenerentur. dixique ei me videlicet datum iudicem, Calendasq; mihi productas, vt intra eum diem pronunciarem. Cur, inquit, hoc me potius rogas, quàm ex istis aliquem peritis studiosisque viris, quos adhibere in consilium iudicaturi soletis? Tum illi ita ego respondi, Si aut de vetere inquam iure, aut recepto, aut controuerso, aut ambiguo, aut nouo, aut constituto discendum esset: issem plane scitatum ad istos, quos dicis. sed cum verborum latinorum sententia, vsus, ratio, exploranda sit: læuus profecto & cæcus animi forem, si cum haberem tui copiam, issem magis ad alium, quàm ad te. Audi igitur, inquit, de ratione verbi quid existimem. sed eo tamen pacto, vt id facias, non quod ego de proprietate disseruero: sed quod in ea re omniũ, pluriũve consensu obseruari cognoueris. non enim verborum tantum communium veræ atque propriæ significationes longiore vsu mutantur: sed legum quoque ipsarum iussa consensu tacito obliterantur. Tum deinde disseruit, me & plerisque aliis audientibus, in hunc ferme modum. Cum dies, inquit, ita præfinita est, vt iudex in Calend. pronunciet: occupauit iam hæc omnes opinio, non esse dubium, quin ante Calend. iure pronuncietur. Et id tantùm ambigi video, quod tu quæris: an Calend. quoque iure pronuncietur. Ipsum autem verbum sic proculdubio natum est, atque ita sese habet, vt cum dicitur intra Calen. non alius accipi dies debeat quàm solæ Calen. Nam tres istæ voces, intra, citra, vltra, quibus certi locorum fines demonstrantur: singularibus apud veteres syllabis appellabantur, in, cis, vls. Hæ deinde particulæ, quoniam paruo exiguóque sonitu obscurius promebantur, addita est tribus omnibus eadem syllaba: & quod dicebatur, cis Tyberim & vls Tyberim, dici cœptum est citra Tyberim. Item quod erat in, accedente eadem syllaba intra factum est. Sunt ergo hæc omnia quasi contermina iunctis inter se finibus cohærentia, intra oppidum, vltra oppidum, citra oppidum. Ex quibus intra in, sicuti dixi significat. nam qui dicit intra oppidum, intra cubiculum, intra ferias, nõ dicit aliud, quàm in oppido, in cubiculo, in feriis. Intra Calend. igitur, non ante Calen. est, sed in Calend. id est eo ipso die, quo Calen. sunt. Itaque secundum verbi ipsius rationẽ, qui iussus est intra Calend. pronunciare, nisi Calen. pronunciet, contra iussum vocis facit. nam si ante fiat, non intra pronunciat, sed citra. Nescio autem quo pacto recepta vulgo interpretatio est absurdissima, vt intra Calend. significare videatur, etiam citra Calend. & vel ante Calend. nihil enim ferme interest. Atque insuper dubitabatur, an Calendis quoque pronunciari possit: quando neque vltra, neque citra, sed quod inter hæc medium est, intra Calend. id est Calendis pronunciandum sit. Sed nimirum cõsuetudo vicit, quæ cum omnium domina rerum, tum maxime verborum est. Ea omnia cum Apollinaris scite perquam atq; enucleate disputauisset, tum ego hæc dixi, Cordi, inquam, mihi fuit, prius q̃ ad te irem, quærere exploraréque, quonam modo veteres nostri particula ista, qua de agitur, vsi sint: atque ita inuenimus Tullium in tertia in Verrem scripsisse, Est autẽ modo locus INTRA OCEANVM: iam nullus est neque tam longinquus, neque tam reconditus, quò non per hæc tempora nostrorum hominum libido iniquitásque peruaserit. Intra oceanum dicit contra rationem tuã. non enim vult (opinor) dicere in oceano. terras enim demonstrat omneis quæ oceano ambiuntur: ad quas à nostris hominibus adiri potest: quæ sunt citra oceanum, non in oceano. Neque enim videri potest insulas significare nescio quas, quæ penitus esse intra æquora ipsa oceani dicuntur. Tunc Sulpitius Apollinaris renidens, non me hercle inargute, inquit, nec incallide opposuisti hoc Tullianum: sed Cic. intra oceanum, nõ, vt tu interpretare, citra oceanum dixit. (Quid enim potest dici citra oceanum esse, cum vndique oceanus circunscribat omneis terras, & ambiat?) nam citra quod est, id extra est. Quî autem potest intra esse dici, quod extra est? Sed si ex vna tantùm parte orbis oceanus foret, citra oceanum esse dici potest, vel ante oceanum. Cum vero omneis terras omnifariam & vndique versum circunfluat, nihil citra eum est: sed vndarum illius ambitu terris omnibus cõuallatis, in medio eius sunt omnia quæ intra oras eius inclusa sunt. Sicuti hercle sol non citra cælum vertitur, sed in cælo, &

Intra Calendas.

Scitatum antiqua lectio. vt AEnei. ij. Scitatum oracula Phœbi.

In Calendas.

Intra Cal.

Intra, Citra, Vltra, In, Cis, Vls, Intra.

Consuetudo.

Qua de.

Intra oceanum.

Citra oceanum.

intra cælum. Hæc tunc Apollinaris ſcite acuteq; dicere viſus eſt. Sed poſtea in libro M. Tullii epiſtolarum ad Ser. Sulpitiũ ſic dictum eſſe inuenimus, INTRA MODVM, vt intra Cal. dicunt, qui dicere citra Cal. volunt. Verba hæc Ciceronis ſunt, quæ adpoſui. Sed tamen quoniam effugi eius offenſionem, qui fortaſſe arbitraretur me hanc Remp. non putare, ſi perpetuo tacerem, modice hoc faciam, aut etiam intra modum, vt & illius voluntati, & meis ſtudiis ſeruiam. Modice dixerat hoc faciam .i. cum modo æquo & pari. Deinde quaſi hoc diſpliceret, & corrigere id vellet, addidit, Aut etiam intra modum. per quod minus ſeſe oſtendit id facturum eſſe, q̃ quod fieri modice videretur .i. non ad ipſum modum, ſed retro paululum, & citra modum. In oratione etiam quam pro P. Seſtio ſcripſit, INTRA MONTEM Taurum ſic dicit, vt non ſignificet in monte Tauro: ſed vſq; ad montẽ Taurũ cum ipſo monte. Verba ſunt hæc ipſius M. Tullii ex ea, quam dixi, oratione, Antiochum magnum illũ maiores noſtri magna belli contentione, terra marique ſuperatũ, intra mõtem Taurũ regnare iuſſerunt: Aſiam, qua illũ multarunt, Attalo, vt is in ea regnaret, condonarunt. Intra montem, inquit, Taurũ regnare iuſſerũt: quod nõ perinde eſt, vt intra cubiculũ dicimus: niſi videri poteſt id eſſe intra montẽ, quod eſt intra regiones, quæ Tauri mõtis obiectu ſeparantur. Nã ſicuti qui intra cubiculũ eſt, is nõ in cubiculi parietibus, ſed intra parietes eſt, quibus cubiculum includitur, qui tamẽ ipſi quoq; parietes in cubiculo ſunt: ita qui regnat intra montem Taurũ, non ſolũ in monte Tauro regnat, ſed in iis etiam regionibus, quæ Tauro monte clauduntur. Num igitur ſecundum iſtam verborum M. Tullii ſimilitudinem, qui iubetur intra Cal. pronunciare, is & ante Calen. & ipſis Calendis iure pronunciare poteſt? Neque id fit quaſi priuilegio quodam inſitæ conſuetudinis, ſed certa rationis obſeruatione: cum omne tempus quod Calendarum die includitur, intra Calendas eſſe recte dicitur.

Intra modum. — *Intra mõtem Taurum.*

ASCEN. Saltẽ nõ ſaltim vt ex hoc capite colligi põt, ſcribetur. quid aũt ſignificet notũ fere: ſed vnde deducta vox ſit, amplius inquirẽdũ cẽſuit Gellius. mihi autẽ ex vtraque eius ratione quã recitat, ſenſus hic eruitur, vt ſit, Si non aliter aut aliud: ſaltẽ .i. vt negatis reliquis vnam ſalutem imploramus: hoc concedatis. Nec mihi improbæ ſubtilitatis, ſed venerandæ videtur, tot verba in pauciſſimas literas includere: niſi propterea improba quòd immodica, vt improbus labor. Maſerius ſic, Improbã dico ſubtilitatẽ, pertinacẽ, nõ facile ſatiari potentem. Sũt enim homines plerique ſubtili ingenio & perſpicaci: qui laudãda inueniũt, quibus minime cõtẽti altiora diſquirũt, ſcrutãtur, perſpicaciterque addũt inuẽtis potiora: & ſic ſubtilitatẽ dixeris improbam, nõ ſatiabilẽ, anxiãque & quaſi coactã ad illud colligendũ, includendũ paucis, quod latius diduceres. Sic Papinius, Et patria iã ſe metitur in haſta Improbus. Verg. Labor omnia vincit Improb.

Improba ſubtilitas.

Saltem particula quam vim habeat, & quam originem. CAP. XIIII.

SALTEM particula, quã haberet principalẽ ſignificationem, quæque vocis iſtius origo eſſet, quærebamus. Ita enim primitus factam eſſe apparet, vt quæ videatur ſicuti quædã ſupplemẽta orationis, temere & incondite adſumpta. Atq; erat qui diceret legiſſe ſe in grãmaticis cõmentariis P. Nigidii, ſaltẽ ex eo dictũ quod eſſet, ſi aliter: idq; ipſum dici ſolitũ per defectionem: nã plenam eſſe ſententiã, ſi aliter nõ poteſt. Sed id nos in iiſdẽ cõmentariis Nigidii, cũ eos non (opinor) incurioſe legiſſemus, nuſq̃ inuenimus. Vidẽtur autẽ verba iſta, ſi aliter nõ poteſt, à ſignificatione quidẽ voculæ huius, de qua quærimus, nõ abhorrere: ſed tot verba tamen in pauciſſimas literas includere, improbæ cuiuſdã ſubtilitatis eſt. Fuit etiã qui diceret, homo in libris atq; in literis aſſiduus, Saltem ſibi dictũ videri, u media litera extrita: ſalutẽ enim ante dictũ, quod nos ſaltem diceremus. nam cũ alia quædã petita, & non impetrata ſunt, tum ſolemus (inquit) quaſi extremum aliquid petituri, quod negari minime debeat, dicere, hoc ~~ſaltẽ~~ fieri, aut dari oportere: tanq̃ ſalutẽ poſtremo petẽtes quam & impetrari certe & obtineri ſit æquiſſimũ. Sed hoc itidem non illepide quidẽ fictum, nimis tamen eſſe videtur cõmentitiũ. Cenſuimus igitur amplius quærendum.

Saltẽ quid ſignificet, & vnde deducatur.

ASCEN. Saltuatim per ſaltus, aut ſaltando: ſicut vellicatim quaſi per vellicationem aut vellicãdo, & celatim per celationem aut celando, id eſt occultando.

Quòd Siſenna in libris hiſtoriarum aduerbiis huiuſcemodi ſæpenumero vſus eſt, curſim, celatim, vellicatim, ſaltuatim. CAPVT XV.

CVm lectitaremus hiſtoriam Siſennæ aſſidue, huiuſcemodi figuræ aduerbia in oratione eius animaduertimus, cuiuſmodi ſunt hæc, curſim, properatim, celatim, vellicatim, ſaltuatim. Ex quibus duo prima, quia ſũt notiora, exemplis non indigebant: reliqua in hiſtoriarum ſexto ſic ſcripta ſunt. Quãmaxime celatim poterat in inſidiis ſuos diſponit. Itẽ alio in lo-

Aduerbia in im. Vellicatim Saltuatim.

co, Nos vna æstate in Asia & Græcia gesta, idcirco literis continentia mandauimus, ne vellicatim aut saltuatim scribendo, lectorum animos impediremus.

ASCEN. Meæ perpetuæ erga se volũtatis. Subtilis & paucis animaduersa reciprocatio. Quia enim datiuus acquisitiuus vim nominatiui habet, & in ipsum resolui potest: quia resolutione facta manifesta fit reciprocationis ratio: etiam citra resolutionem ius suum occupat. vnde quia ista, Relinquerem &c. resolui potest in istam, Relictam haberet meæ perpetuæ erga se voluntatis testem huius diei vocem &c. ideo dixit erga se nõ erga eam. Sic adduxit Ioanni matrem suam. Et ideo Valla dixit in euãg. Reddet vnicuique secundum opera eius: dicendum esse, sua. De huius autem capitis farragine disputat Macrob. in de somno Scipionis. Sunt autem qui triplicem mortem ponant, fatalem, naturalem, & fortuitam. Fatalem eam quæ pertingit periodum vitæ: vltra quam homini viuere negatur: quia Constituisti terminos eius qui præteriri non poterunt. eam autem dicunt centum & viginti annos, & ferme quatuor Saturni cursus cõplecti. Naturalem, vsquequo naturalis constitutio viuere patitur: ad tres fere eiusdẽ cursus. Casualem autem & fortuitam, quam casus affert aut violẽtia. Sed fatum dupliciter accipi videtur: aut pro generali illa cõstitutione periodi, quæ præteriri non potest, sed præueniri: aut pro diuina prouidentia, quæ falli nõ potest, neque præter eam fieri quicquam. Apud Homerum Neptunus sic præmonet AEneam ne cum Achille cõgrediatur, lib. xx. Iliad. Refer pedem quoties Achilli obuiam fueris: ne præter fatũ ad inferos detrudaris. Me rita nec morte. Cælius hoc citans quia non animaduertit, perperam scripsit debita nec morte: vt syllaba indicat prima in debita longa. Demosthenis autem exitum late prosequitur Plutarchus in vita eiusdem. Coactus adijcitur ad græcum nomen thanatos.

Reciprocationis ratio.

Mors triplex.

Fatum.

AVLI GELLII NOCTIVM ATTICARVM COMMENTARIORVM, LIBER XIII.

Inquisitio verborum istorum M. Tullii curiosior, quæ sunt in libro primo Antonianarum, Multa autem impendere videntur præter naturam etiam, præterque fatũ. tractatumq; an idem duo ista significent fatum atq; natura, an diuersum. CAP. I.

MArcus Cicero in primo Antonianarum ita scriptũ reliquit, Hunc igitur vt sequerer properaui, quem præsentes non sunt secuti. Non vt proficerem aliquid (neque enim sperabam id, nec præstare poteram) sed vt siquid mihi humanitus accidisset (multa autem impendere videntur præter naturam etiam, præterque fatum) huius diei vocem, testem Reip. relinquerem, meæ perpetuæ erga se voluntatis. PRAETER NATVRAM, inquit, præterque fatum. An vtrunq; idẽ valere voluerit, fatum atque naturam, & duas res, αὐθ' ἑνὸς ὑποκειμένου, πεπρωμένην, καὶ φύσιν: an vero diuiserit separaritque, vt alios casus natura ferre videatur, alios fatum, considerandum equidem puto. Atque id maxime requirendum, qua ratione dixerit, accidere multa humanitus posse præter fatum: quando sic ratio, & ordo, & insuperabilis quædam necessitas fati constituitur, vt omnia intra fatum claudenda sint. nisi illud sane Homeri secutus est, μὴ καὶ ὑπὲρ μοῖραν δόμον ἄϊδος εἰσαφίκηαι. Nihil autem dubium est, quin violentiam & inopinatam mortem significauerit: quæ quidem potest recte videri accidere præter naturam. Sed cur id quoque genus mortis extra fatum posuerit, neque operis huius est explorare, neque temporis. Illud tamen non prætermittendum est, ꝙ Virg. quoque idipsum, quod Cicero, de fato opinatus est: cum hoc in quarto libro dixit de Elisa, quæ mortem per vim potita est,

Præter naturã Prætérque fatum.

Potita mortem.

Nam quia nec fato, merita nec morte peribat.

Tanquam in faciendo fine vitæ, quæ violenta sunt, non videantur ẽ fato venire. Demosthenis autem viri prudentia pari atque facundia præditi, verba idem fere significantia de natura atque fato M. Cic. secutus videtur. Ita enim scriptum est in oratione illa egregia, cui titulus est περὶ στεφάνου, ὁ μὲν τοῖς γονεῦσι νομίζων μόνον γεγενῆσθαι, τὸν τῆς εἱμαρμένης καὶ τὸν αὐτόματον θάνατον περιμένει. ὁ δὲ καὶ τῇ πατρίδι, ὑπὲρ τοῦ μὴ ταύτην ἐπιδεῖν δουλεύουσαν, ἀποθνῄσκειν ἐθελήσει. Quod Cicero fatum atque naturam videtur dixisse, id multo ante Demosthenes τὴν πεπρωμένην καὶ τὸν αὐτόματον θάνατον appellauit. αὐτόματος enim θάνατος quasi naturalis & fatalis, nulla extrinsecus vi coactus venit.

Demosthenes.

ASCEN. De vtroque poeta scripsit Quintil.lib.x.instit. Tragœdiæ scriptores Accius atque Pacuuius clarissimi grauitate sententiarum verborumque pondere & authoritate personarum. Cæterum nitor & in excolendis operibus summa manus, magis videri potest temporibus quàm ipsis defuisse &c. Nam quod in pomis est &c. Ideo dicit idem Quintilianus quòd præcox illud ingeniorum genus haud temere peruenit ad frugem. Seneca epistola. xxxvj. ait vt adnotauit Maserius. Ariston aiebat malle adolescẽtem tristem quàm hilarem, & amabilem turbæ: vinum enim fieri bonum, quod recens durum & asperum est visum, nec pati ætatem, quod in dolo placuit.

Super poetarum Pacuuii & Accii colloquio familiari in oppido Tarẽtino. Cap. II.

Pacuuius, Accius.

QVIbus ocium & studium fuit vitas atque ætates doctorum hominũ quærere, ac memoriæ tradere, de M. Pacuuio, & L. Accio tragicis poetis historiam scripserunt huiuscemodi: Cum Pacuuius, inquiunt, grandi iam ætate, & diutino corporis morbo adfectus, Tarentum ex vrbe Roma concessisset, Accius tunc haud paruo iunior proficiscens in Asiam, cum in oppidum venisset, diuertit ad Pacuuium, comitérque inuitatus, plusculisque ab eo diebus retentus, tragœdiam suam, cui Atreus nomen est, desideranti legit. Tum Pacuuium dixisse aiunt, sonora quidem esse quæ scripsisset & grãdia: sed videri ea tamen sibi duriora paulum & acerbiora. Ita est, inquit Accius, vti dicis: neq; id sane me pœnitet. meliora enim fore spero, quæ deinceps scribam. Nam quod in pomis est, itidem, inquit, esse aiũt in ingeniis: quæ dura & acerba nascuntur, post fiunt mitia & iucunda. sed quæ gignuntur statim vieta & mollia, atque in principio sunt viuida, nõ matura mox fiunt, sed putria. Relinquendum igitur visum est in ingenio, quod dies atque ætas mitificet.

Accij dura scripta cũ tẽpore mitia facta.

ASCEN. Duo in hoc capite libenter mutem verba: nam vbi scriptum est, nullúsque quod sciã animaduertit, quin necessitudo &c. legam quî, id est per quod, aut per quam rationem: vult enim non separari. at dicendo, nihil rationis dici quin separentur, dicat separanda esse. Et ad finem, nimis bonum imperatorem, legam minus, id est non. Ordo enim est, Nam sup. dixit se audisse Lucium AEmilium Paulum patrem suum dicere: bonum imperatorem, id est eum quicunque bonus sit imperator, minus, id est non, decertare signis collatis nisi summa necessitudo aut summa occasio esset data ei. De his vocabulis Valla, vt ea apud Ciceronem reperit, decernit.

An vocabula hæc, necessitudo & necessitas, differenti significatione sint. CAPVT III.

RIsu prorsus atque ludo res digna est, cum plerique grammaticorum asseuerant, necessitudinem & necessitatem, mutare longe differreque. Ideo quòd NECESSITAS sit vis quæpiam premens & cogens: NECESSITVDO autem dicatur ius quoddam & vinculum religiosæ cõiunctionis: idq; vnum solitarium significet. Sicut autem nihil quicquam interest, suauitudo dicas an suauitas, sanctitudo an sanctitas, acerbitudo an acerbitas, acritudo an quod Accius in Neoptolemo scripsit, acritas: ita nihil rationis dici potest, quî necessitudo & necessitas separentur. Itaque in libris veterum vulgo reperias necessitudinem dici pro eo quod necessum est. Sed necessitas sane pro iure officióque obseruantiæ adfinitatisve infrequens est. quanquam qui ob hoc ipsum ius adfinitatis familiaritatisve cõiuncti sunt, necessarii dicũtur. Reperi tamen in oratione C. Cæsaris, qua Plautiam rogationem suasit, necessitatem dictam pro necessitudine, id est iure adfinitatis. Verba hæc sunt, Equidẽ mihi videor pro nostra necessitate, non labore, non opera, non industria defuisse. Hoc ego scripsi de vtriusque vocabuli indifferentia, admonitus forte verbi istius, cum legerem Sempronii Asellionis, veteris scriptoris, quartum ex historia librũ: in quo de P. Africano Pauli filio ita scriptum est, Nam se patrem suum audisse dicere, L. AEmilium Paulum minus bonum Imperatorem signis collatis decertare, nisi summa necessitudo, aut summa ei occasio data esset.

Necessitas Necessitudo idem sunt.

Acritas.

Necessitas pro necessitudine. Necessitudo pro necessitate.

Amabo.

ASCEN. Amabo inquit. videtur redundare particula inquit: cum præmittatur, Olympias ei rescripsit ad hanc sententiam. ipsa enim non scripsit, sed forte inquam. Amabo autem blandientis est verbum sicut sodes & quædam talia. dico verbũ, quia dicere licet, amabo te mi fili quiescas: & si non ponitur, intelligitur. Sensus autem est, si facies quod volo, amabo te. Sũt tamen qui vt interiectionis loco poni agnoscatur, media breui quanquã lõga sit, pronuncient. Ne deferas. i. occulte incuses: vnde sunt delatores dicti. Aduersus Iunonẽ. acerbissimã pellicũ vltricẽ. vt in Semelen, Io, Alcmenã in partu Herculis, Vrias & alia: de quibus ipsa apud Senecam, Pellices cælum habitãt. Supra fidẽ prosperis. Plutarchus de fortuna Ro-

manorum & virtute Alexandri,contendit in Romanis plus fortunæ quàm virtutis, & contrà in Alexandro fuisse. Seneca autem in epistola.lx.ad Lucill.ait Alexãdrum in obsidione cuiusdam vrbis Indiæ sagitta læsum dixisse cum sanguinem fluitare conspiceret:Omnes iurant me Iouis esse filiũ, sed vulnus hoc hominem me esse clamat.Et Cælius cap.lxxx.lib.xj.ostendit Olympiada mira fuisse prudẽtia,quæ Alexandri iam mortui tumorem grauiter repercussit.Meminit idem eiusdem in cap.ix.lib.vj.

Olympiadis Alexandri matris,comis ac prudens ad filium rescriptio.

CAPVT IIII.

IN plerisque monumentis rerum ab Alexãdro gestarum, & paulo ante in libro Mar. Varronis, qui inscriptus est Orestes, vel de insania, OLYMPIADEM Philippi vxorem festiuissime rescripsisse legimus Alexandro filio. Nam cum is ad matrem ita scripsisset, Rex Alexander Iouis Hammonis filius Olympiadi matri salutem dicit:Olympias ei scripsit ad hanc sentẽtiam, Amabo,inquit,mi fili quiescas,neque deferas me,neque criminere aduersum Iunonem.Malum mihi prorsum illa magnum dabit,cum tu me literis tuis pellicem illi esse confiteris.Ea mulieris scitæ atque prudentis erga ferocem filium comitas, sensim & comiter admonuisse eum visa est,deponendam esse opinionem vanam, quam ille ingentibus victoriis,& adulantium blandimentis, & rebus supra fidem prosperis imbiberat,genitum esse sese de Ioue.

Olympiadis prudẽs rescriptũ.

ASCEN. Duos & sexaginta.Seruatur quod Valla præcipit de numeri minoris supra viginti & infra centum præpositione.Adfectoque.quid sit adfectum in superioribus dictum est.Accedit,orantes.figurate dictum,sed excusatur:quia cohors nomen collectiuum,voce singulare,re plurale est.Perinde vt ipso.frequentius legitur perinde ac.Exoticum vinum.peregrinum,aliunde aduectum. Vnde Plautus in Cistel. Non omnes possunt olere vnguenta exotica.De Theophrasti autem prælatione videre est apud Laertiũ in vita eius.

De Aristotele,Theophrasto,& Menedemo philosophis:deque elegãti verecũdia Aristotelis successorem diatribæ suæ eligentis. CAPVT V.

ARistoteles philosophus annos iam fere natus duos & sexaginta, corpore ægro adfectoque,ac spe vitaque tenui fuit. Tunc omnis eius sectatorum cohors ad eum accedit, orantes obsecrantesque, vt ipse deligeret loci sui & magisterii successorem, quo post summum eius diem perinde vt ipso vterentur ad studia doctrinarum complenda excolendaque, quibus ab eo imbuti fuissent.Erant tũc in eius ludo boni multi,sed præcipui duo Theophrastus & Menedemus: ingenio ii atque doctrinis cæteros præstabant. alter ex insula Lesbo fuit,Menedemus autem Rhodo. Aristoteles respõdit facturum esse quod vellent, cum id sibi foret tempestiuum. Postea breui tempore,cum iidem illi,qui de magistro destinando petierant,præsentes essent:Vinum,ait,quod tum biberet,non esse id ex valetudine sua,sed insalubre esse atque asperum:ac propterea quæri debere exoticum,vel Rhodium aliquod,vel Lesbion. Id sibi vtrumque vt curarent, petiuit: vsurumque eo dixit, quod sese magis iuuisset.Eunt, curant,inueniunt,adferunt.Tum Aristoteles Rhodium petit,degustat: Firmum, inquit, hercle vinum & iucundum. Petit mox Lesbium: quo itẽ degustato,Vtrunque inquit, oppidò bonum:sed ἡδίων ὁ λέσβιος.Id vbi dixit,nemini fuit dubium,quin lepide simul & verecunde,successorem illa voce sibi, non vinum delegisset.Is erat de Lesbo THEOPHRASTVS, homo suauitate insigni,linguæ pariter atq; vitæ.Itaq; non diu post Aristotele vita defuncto,ad Theophrastũ omnes concesserunt.

Aristot.verecũdia in successore eligendo.
Theophrastus.
Menedemus.
Vino virorũ significantur ingenia.

ASCEN. Rusticus sermo. Rustici enim vbique fere terrarum rudiore vtuntur sermone. vnde econtrario quòd vrbani politiore, vrbanitas pro venustate loquendi accipitur. Quod nunc autem dicitur de Barbarismo,supra de solœcismo dictum est.

Quid veteres Latini dixerunt,quas Græci προσῳδίας appellant. Et item quòd vocabulum Barbarismi non vsurpauerint neque Romani antiquiores,neque Attici.

QVas Græci προσῳδίας dicunt,eas veteres docti,tum notas vocum,tum moderamenta,tum accentiunculas,tum voculationes appellabãt. Quòd nũc autem barbare quem loqui dicimus:id vitium sermonis,non barbarũ esse, sed rusticum:& cum eo vitio loquentes,rustice loqui dictitabant. P. Nigidius in commentariis grammaticis,Rusticus fit sermo, inquit, si aspires perperam.Itaque id vocabulum,quod dicitur vulgo Barbarismus, qui ante diui Augusti ætatem pure atque integre locuti sunt,an dixerint,nondum equidem inueni.

Prosodiæ accentiunculæ.
Rustice loqui.
Barbarismus vox noua.

ASCEN. De leonum natura vide Plinium lib.viij.cap.xvj.Dictum Herodoti damnat Philostratus in vita Apollonij docēs in primo visam Leænam octo catulos gestantem. Et reuera si Leæna non nisi semel & vnicū pareret,necesse esset totidē pauciores extare fœmellas,quot masculos enixæ essent,aut quot citra partum perierint:atque ita vero simile foret olim iam defecisse sexum fœmininū. Cælius ca. xxxix. lib.vij.nonnulla refert de leonibus.Et in cap.ix.lib.j.cur nascuntur in oriente:& cap.xxviij.lib.vij.perpulchra.Quòd autem dicatur Leæna carere iuba,videatur num verum sit ex his(ait Maserius) quæ in Valerium Flaccum edidimus.Non est autem omittenda nobilis leænæ & malitiosæ vulpis contentio . lis erat grandis inter hæc duo animantia super generositate:& cum vulpecula astu omni soluto extremum hoc obiecisset perinde ac ineluibile,multos pario catulos,tu vero vnum:generosa leæna respondit,vnum quidem pario ἀλλὰ λέοντα.quod in adagium vertitur,quando dicimus animi præstantiam virtutemque insignem spectari oportere,non vilem numerum & inutilem:quo vulpes oblanniens superbiebat . sed hæc opinio partus vnitatem claudens Aristotelis authoritate retunditur.

Diuersum de natura leonum dixisse Homerum in carminibus,& Herodotum in historiis. CAPVT VII.

Leænæ partus.

LEænas inter omnem vitam semel parere , eoque vno partu nunquam edere plures quàm vnum,Herodotus in tertio scriptum reliquit. Verba ex eo libro hæc sunt, ἡ δὲ δὴ λέαινα, ἐὸν ἰσχυρότατον καὶ θρασύτατον, ἅπαξ ἐν τῷ βίῳ τίκτει ἕν. τίκτουσα γὰρ συνεκβάλλει τῷ τέκνῳ τὰς μήτρας. τὸ δὲ αἴτιον τούτου, τοῦτό ἐστιν. ἐπεὶ ἂν ὁ σκύμνος ἐν τῇ μήτρῃ ἐὼν ἄρχηται διακινεύμενος, ὁ δὲ ἔχων ὄνυχας θηρίων πολλὸν πάντων ὀξυτάτους, ἀμύσσει τὰς μήτρας: αὐξανόμενος δὴ πολλῷ μᾶλλον ἐξικνέεται καταγράφων. πέλας τε δὴ ὁ τόκος ἐστὶ, καὶ τὸ παράπαν λείπεται αὐτέων ὑγιὲς οὐδέν. Homerus autem leones(sic enim fœminas quoque virili genere appellat, quod grammatici ἐπίκοινον) plureis gignere atque educare catulos dicit. Versus quibus hoc aperte demonstrat, hi sunt,

εἱστήκει ὥς τίς τε λέων περὶ οἷσι τέκεσσιν,
ᾧ ῥά τε νήπι' ἄγοντι συναντήσονται ἐν ὕλῃ
ἄνδρες ἐπακτῆρες.

Item alio in loco idem significat,

πυκνὰ μάλα στενάχων ὥς τε λὶς ἠϋγένειος,
ᾧ ῥά θ' ὑπὸ σκύμνους ἐλαφηβόλος ἅρπασεν ἀνὴρ
ὕλης ἐκ πυκινῆς. ὁ δέ τ' ἄχνυται ὕστερος ἐλθών.
πολλὰ δέ τ' ἄγκε' ἐπῆλθε μετ' ἀνέρος ἴχνι' ἐρευνῶν
εἴ ποθεν ἐξεύροι, μάλα γὰρ δριμὺς χόλος αἱρεῖ.

Ea nos dissensio atque diuersitas cum agitaret inclytissimi poetarum & historicorum nobilissimi,placuit libros Aristotelis philosohi inspici,quos de animalibus exquisitissime composuit:in quibus quod super ista re scriptum inueniremus, cum ipsius Aristotelis verbis in his commentariis scriberemus. Verba Aristotelis hæc sunt ex libro de historia animalium VI, λέων δ' ὅτι μὲν ὀχεύει ὄπισθεν, καὶ ἔστιν ὀπισθουρητικόν, εἴρηται πρότερον. ὀχεύει δὲ καὶ τίκτει οὐ πᾶσαν ὥραν, καθ' ἕκαστον μέντοι ἐνιαυτόν. τίκτει μὲν οὖν τοῦ ἔαρος. τίκτει δ' ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ δύο. τὰ μέντοι πλεῖστα ἕξ. τίκτει δ' ἐνίοτε καὶ ἕν. ὁ δὲ λεχθεὶς μῦθος περὶ τοῦ ἐκβάλλειν τὰς μήτρας τίκτοντα, ληρώδης ἐστίν. συνετέθη δ' ἐκ τοῦ σπανίους εἶναι τοὺς λέοντας. ἀποροῦντος τὴν αἰτίαν τοῦ τὸν μῦθον συνθέντος. σπάνιον γὰρ τὸ γένος τῶν λεόντων, καὶ οὐκ ἐν πολλῷ γίνεται τόπῳ. ἀλλὰ τῆς Εὐρώπης ἁπάσης ἐν τῷ μεταξὺ τοῦ Ἀχελώου καὶ τοῦ Νέσου ποταμῶν. τίκτει δὲ καὶ ὁ λέων πάνυ μικρὰ, οὕτως, ὥστε δίμηνα ὄντα μόλις βαδίζειν. οἱ δ' ἐν Συρίᾳ λέοντες τίκτουσι πεντάκις. τὸ πρῶτον πέντε, εἶτα ἀεὶ ἐλάττονα. μετὰ δὲ ταῦτα οὐκ ἔτι οὐδὲν τίκτουσιν, ἀλλ' ἄγονοι διατελοῦσιν. οὐκ ἔχει δὲ ἡ λέαινα χαίτην, ἀλλ' ὁ ἄῤῥην ὁ λέων. βάλλει δὲ ὁ λέων τοὺς κυνόδοντας καλουμένους τέτταρας μόνους. δύο μὲν ἄνωθεν, δύο δὲ κάτωθεν. βάλλει δὲ ἑξάμηνος ὢν τὴν ἡλικίαν.

ASCEN.Quæ pericula.i.experiméta seu inquisitiones:vnde Terē.in Eunu.Fac periculum in literis. De memoria autem Quintilianus lib.xj.loquēs multa scitu digna in medium affert. Cicero autem primo de Oratore vocat eam thesaurum omnium rerum. Et quisquis est auctor libri Rhetor.ad Herennium , is non pauca lib.j.de memoria adducit.Pro foribus.ante fores,aut in valuis ipsis. Neque intolerantius. lego intoleratius,pro intolerabilius:sicut illaudatus dicitur Busyris in Buco . Maronis pro illaudabili : & inaccessi luci,qui sint inaccessibiles.i.indigni qui accedantur:accessi tamen fuerāt ab Vlysse & socijs. aut legatur intolerabilius.Intercutibus vitijs.quæ sunt inter cutem & carnē aquæ intercutes dicuntur: per allusionem autem vitia quæ non foris apparent,sed penitus sunt imbibita,intercutia nominat. Addit Mas.Ceruarij memoria breuissima est.in Seneca fuit excellens, qui duo milia nominū dicto ordine referebat, ducentosque versus ab vltimo incipiens. Cicero dixit diuinitatis argumentū, cuius virtus duplex est , facile

Memoria. Seneca.

percipere & diu retinere. Recte autem fingitur Mnemosyne musarum mater. lege Plinium multa referẽtem de memoria. Seneca lib. j. declamationum ostendit memoriam ex omnibus animi partibus rem esse maxime delicatam & fragilem: in quam primum senectus incurrit. Fuit memoria mirabili Porcius Latro: cuius studium ait Seneca fuisse desultorium. Fuit & Cyneas Pyrrhi legatus. Idem Seneca ait memoriam fuisse non contemnendam in quodam qui recitatum carmen nouũ, suũ esse dixit: moxque enunciauit, cũ id nequiret facere cuius erat. Similiter & in Hortensio. Et cum memoriæ lapsus senium arguat, mirum videtur si in sene vigeat donum tam excellens. Est in Brytannia minore D. Acygnæius heros Barove (si pateris) Coetmenius, non minus viuendi modo & regula quàm nobilitate commendandus: cuius memoria ita constat, vt res longo ante lectas & visas, perinde atque nuperrime perspectas facile memoretur, seu vernaculo sermoni, seu latino subiaceant.

Mnemosyne mater musarum. Porcius Latro. Cyneas. Acigneius

Quòd Afranius poeta prudenter & lepide sapientiam filiam esse vsus & memoriæ dixit. CAPVT VIII.

MAxime hoc atque verissime Afranius poeta de gignenda comparandaque SAPIENTIA opinatus est, quòd eam filiam esse vsus & memoriæ dixit. Eo nãq; argumento demonstrat: qui sapiens esse rerũ humanarũ velit, non libris solis, neq; disciplinis rhetoricis dialecticisque opus esse, sed oportere eum versari quoque exercerique in rebus comminus noscendis periclitandisque: eaque omnia acta & euenta firmiter meminisse. vt proinde sapere ac cõsulere ex iis, quæ pericula ipsa rerum docuerunt: non quæ libri tantum, aut magistri, per quasdam inanitates verborum & imaginum, tanquam in mimo aut in somnio delectauerint. Versus Afranii sunt in Togata, cui Sellæ nomen est,

Afranius. Sapientiæ parentes.

Vsus me genuit, mater peperit Memoria. "
Σοφίαν vocant mè Graii, vos Sapientiam. "

Item versus est in eandem ferme sententiam Pacuuii, quem Macedo philosophus vir bonus, familiaris meus, scribi debere censebat pro foribus omnium templorum,

Macedo philosophus.

Ego odi homines ignaua opera, & philosopha sententia.

Nihil enim fieri posse indignius neq; intoleratius dicebat, q̃ quòd homines ignaui ac desides, operti barba & pallio, mores & emolumenta philosophiæ, in linguæ verborũq; artes converterent: & vitia facundissime accusarent, intercutibus ipsi vitiis madentes.

"Ignaui philosophi.

ASCEN. Nostri opici. i. rudes & amusi.. Sic Bap. Egn. reposuit: nam vetus exemplar habet rupices à rupibus vt opinor dictos duro ingenio: sicut à petris dicuntur petrones apud Fest. Pompeium. Opici etiã dicuntur (ait Maserius) pruriosi, libidinosi, postremissime molles, fœtidi, populi Italiæ: vnde mures maxime salaces dicimus opicos cum satyrico: Et diuina opici rodebant carmina mures. Qui versus solebat dici à philægidijs quibusdam in olenticetum, impurum, illuuiosumque quendam. Quod illi Hypnos &c. Hinc Despauterius contẽdit sopnus nõ somnus esse scribendũ: nec ducitur friuo argumento: sed quia aut vsus aut potius abusus inualuit, vt scribatur somnus, non magnopere obstitero. Ex hoc etiam capite habemus aspirationẽ in s, solere verti: & y, in, u aut o. vnde Flandrini recte uy, pronunciant. & quia Græci non habent u, sed pro eo aut ȣ diphongo, aut o, vtuntur: quæ enim nobis in us, exeunt nomina, illis fere in os exeunt: ideo pro sypnos sopnus non male verti, scribam tamen somnus. Quantum ad huius capitis summam Perottus in Martialem Gellii opinionem refellit. Plinius etiã lib. lj. cap. xlij. de pleiadibus cõtra Gellium definit. Higinus autem ait inter caput Tauri & caput arietis stellas esse quæ dicuntur Vergiliæ.

Rupices. Opici. Sopnus.

Quid Tullius Tiro in commentariis scripserit de Suculis & Hyadibus, quæ sunt stellarum vocabula. CAPVT IX.

TVllius Tiro M. Ciceronis alumnus & libertus, adiutorque in literis studiorum eius fuit. Is libros complureis de vsu atq; ratione linguæ latinæ, item de variis atque promiscuis quæstionibus composuit. In iis esse præcipui videntur, quos Græco titulo πανδέκτας libros inscripsit, tanquam omne rerum atque doctrinarum genus continenteis. ibi de iis stellis, quæ appellantur suculæ, hoc scriptum est: Adeo, inquit, veteres Romani literas græcas nesciuerunt, & rudes græcæ linguæ fuerunt, vt stellas, quæ in capite Tauri sunt, propterea SVCVLAS appellarint, quòd eas ὑάδας Græci vocant, tanquam id verbum latinum græci verbi interpretamentum sit, quia Græce ὕες sues latinæ dicantur. Sed ὑάδες, inquit, οὐκ ἀπὸ τῶν ὑῶν ita vt nostri opici putauerunt: sed ab eo, quod est ὕειν appellantur. nam & cum oriuntur, & cum occidunt, tempestates, pluuias, largosque imbres cient. Pluere autem græca lingua ὕειν dicitur. Hæc quidem Tiro in Pandectis. Sed enim veteres nostri, non vsque eo opici & agrestes fuerunt, vt stellas hyadas idcirco suculas nomina-

Tiro. Pãdectæ. Suculæ. Hyades. Opici, alij rupices.

Sopnus. Suculæ vbi sint.

rent, quòd ὕες latinæ sues dicantur: sed vt quod Græci ὑπὲρ, nos super dicimus: quod illi ὕπτιος, nos supinus: quod ὑφορβὸς, nos subulcus: quod item illi ὕπνος, nos primo sypnus, deinde per y græcæ, latinæque o literæ cognationem, sopnus: Sic quod ab illis ὑάδες, à nobis primo syades, deinde suculæ appellatæ. Stellæ autem istæ non in capite Tauri sunt, vt Tiro dicit: (Nullum enim videtur præter eas stellas Tauri caput) sed eæ ita in circulo qui Zodiacus dicitur, sitæ locatæque sunt, vt ex earum positu species quædam & simulacrum esse videatur Tauri capitis: sicut cæteræ partes & reliqua imago Tauri conformata. & quasi depicta est locis regionibusque earum stellarum, quas Græci πλειάδας, nos virgilias vocamus.

Pleiades.

ASCEN. Iuris quidē ciuilis &c. licet non sequatur sed particula aut alia exceptiua, tamen tantundē vallet quod additur, ac si dicat: principali quidem studio iuris ciuilis disciplinam exercuit, sed cæteras non neglexit. Noue autem dicit, sese penetrauerat. i. penitus immiserat aut intruserat: videtur enim penetro absolutum quantum ad accusatiuum personalem: nam quin dicatur penetro loca abdita non dubito.

Penetro.

Quid sororis ἔτυμον dixerit Labeo Antistius: & quid fratris, Nigidius, CAPVT X.

Labeo Antistius. Penetrauerat se.

LAbeo Antistius iuris quidē ciuilis disciplinam principali studio exercuit, & consulentibus de iure publice responsitauit: cæterarumquoque bonarum artium non expers fuit, & in grammaticam sese atque dialecticam, literasque antiquiores altioresque penetrauerat, Latinarumque vocum origines rationesque percalluerat: eaq; præcipue scientia ad enodandos plerosque iuris laqueos vtebatur. Sunt adeo libri post mortem eius editi, qui posteriores inscribuntur, quorum librorum tres continui tricesimusoctauus, tricesimusnonus, & quadragesimus pleni sunt id genus rerum ad enarrandam & illustrandam linguā latinam conducentium. Præterea in libris, quos ad PRAET. edictū scripsit, multa posuit partim lepide atque argute reperta: sicuti hoc est, quod in quarto ad edictū libro scriptum legimus: SOROR, inquit, appellata est, quòd quasi seorsum nascitur separaturque ab ea domo in qua nata est, & in aliam familiam transgreditur. FRATRIS autem vocabulum P. Nigidius homo impense doctus non minus arguto subtilique ἐτύμῳ interpretatur: Frater, inquit, est dictus, quasi fere alter.

Soror. Frater.

ASCEN. Huius capitis non pauca tractat Macro. primo & sec undo saturna. A gratiarum numero quæ tres sunt, græcæ charites dictæ: ac musarum, quæ nouem sunt. Quòd turba plerunque est turbulenta. Vnde Erasmus celebrat prouerbium in prima Chiliade: septem conuiuium, nouem conuicium. Veruntamen Horatius dicit in primo Ser. Sæpe tribus videas lectis cœnare quaternos. i. in singulis quatuor vnde sint duodecim: qui numerus ex charitum & musarum numeris conficitur. Vnde miror adiectū, & Romæ quidem constat, sed & Athenis: nusquam autem plures cubabant. Si belli homunculi. diminutiua hæc vox gratiam auget, nam minutula solent gratiora haberi: vnde & prægrandia immania dicuntur, vt immania cete: quasi eadem sint immania quæ supra modum magna. Non igitur intelliges paruos homines, sed suaues & gratiosos hic deligi. Quæ vero ad gratiam conuiuiorum maxime faciāt, colligere possemus ex Cælianis lectionibus, quarum lib. xiiij. cap. lvij. dicit sic, Vt vero vlterius pergamus: Euenum dicere solitum accepimus, Ignem videri omnium bellariorum iucundissimum. Salem vero Homerus diuinum vocat: plerique autem χάριτα, id est gratiam, quòd pluribus intersitus gustui sapida reddat & grata. verum præcipue diuina bellaria & mire grata amici sunt & familiares. Conuiuij locum recte inuenio dici Symposium, Androna, Syssition, & triclinon œcon &c. videatur etiam lib. vlti. cap. penultimo. Si tempus lectum. Conuiuij cœnandi tempus aptius est quàm prandendi: quanquam enim pransitarunt veteres Romani, tamen fere soli. Vnde celebrantur cœnæ pontificum & dānantur prandia regū. Lautum. i. nimis elegantem, quasi recens lotum. Legi, non è mensa sed è libris. vnde antiquū est institutū inter epulandū legēdi. Bellaria ea maxime mellita. i. placētia & grata vt fere sunt dulcia, quæ mellita. i. melle condita non sunt: quia mellita nutriunt quidē, sed parum ad stomachū faciunt. Quicunque tamē id genus edulia conficiunt Dulciarij dicūtur: sicut qui lactaria quæ vulgus lacticinia vocat, lactarij: & qui è pomis pomarij. De dulciarijs Apul. lib. x. At ille alter pistor dulciarius qui mellita cōcinnabat edulia. De pomario Hora. Edicit piscator vti, pomarius, auceps Mane domum veniant. Scitamenta vero dicuntur quæcūque sciti. i. egregij sunt saporis: Vnde Macrob. apud popinatores pleraque scitamentorū cernimus proposita ampliora specie quàm corpore. De mellitis autem non mellitis, videtur idem iudicium, eadem dicendi forma, quod & quæ apud Erasmū de carnibus non carnibus: & piscibus qui non sunt pisces. ipsum lege. cxc. Prouer. Chili. primæ. De pepsi in vltimo huius. xiij. capite dicetur. Addidit Maserius. Inter philosophica ea maxime expetimus quæ minimum philosophiam sapere videtur: sicuti Philoxenus dicere solebat, ex carnibus eas esse iucūdiores quæ carnes nō essent, & ex piscibus qui nō pisces: quia palatū illi lōge quàm cor esset sensilius: queādmodū dictitare solitū Catonē accepimus. Hæc Cel. Eiusmodi autem locutiones cū mentē exprimere satis nequeunt, eo procedunt vt contraria videantur afferre, quæ non sunt, veluti si quis aposto

Parua & Immania. Ignis. Sal. Amici. Dulciarij. Lactarij. Pomarij. Scitamēta

io aut beato Hieronymo diceret post Apostolum: quando infirmior, sum fortior. nam tantum si quis id enunciaret, infirmus quando sum, non sum infirmus: & amat Christus infirmos qui non sunt infirmi, sed constantes. Corporis enim infirmitatem spiritus integritas, virtus, firmitas, & constantia sequitur. Idem Maserius monet, ne dura sit inculcatio, aut interpretamentum eximendum, aut appositius apponendum. sicut reposui, vt sit πέμμασιν enim πέψει. i. placentis seu panibus secundæ mensæ concoctioni aut cum cõcoctione, societas infida sup. est. Hoc vult, bellaria eiusmodi & panes secundarios digestionem impedire. Cælius cap. xxxv. lib. v. ait panem difficillimæ esse digestionis. hæc ille. Ideo in deuerbio est quod etiam alio trahitur: Omnis repletio mala, panis autem pessima. Sane placet quod Maserius dicit legi posse sublata præpositione cum, quia cum πέψει sit vox græca quæ casum Romanum non recipit, frustra præponeretur illi præpositio latina Romano tamen deseruiens.

Quem M. Varro iustum aptumq; esse numerum conuiuarum existimarit, ac de mẽsis secundis, & de bellariis. CAPVT XI.

LEpidissimus liber est Marci Varron. ex satyris Menippæis, qui inscribitur, Nescis quid vesper serus vehat: in quo disserit de apto conuiuarum numero, deque ipsius conuiuii habitu cultuque. Dicit autem conuiuarum numerum incipere oportere à gratiarum numero, & progredi ad musarum, id est proficisci à tribus, & consistere in nouem: vt cum paucissimi conuiuæ sunt, non pauciores sint, quàm tres: cum plurimi, non plures quàm nouem. Nam multos, inquit, esse non conuenit, quòd turba plerunque est turbulenta. Et Romæ quidem constat, sed & Athenis: nusquam autem plures cubabant. Ipsum deinde cõuiuium constat, inquit, ex rebus quatuor: & tum denique omnibus suis numeris absolutum est, si belli homunculi collecti sunt, si lectus locus, si tempus lectum, si apparatus non neglectus. Nec loquaces autem, inquit, conuiuas, nec mutos legere oportet, quia eloquentia in foro & apud subsellia: silentium vero non in conuiuio, sed in cubiculo esse debet. Sermones igitur id temporis habendos censet, non super rebus anxiis aut tortuosis: sed iucũdos atque inuitabiles, & cum quadam illecebra & voluptate vtiles, ex quibus ingenium nostrum venustius fiat & amœnius. Quod profecto, inquit, eueniet, si de id genus rebus ad communem vitæ vsum pertinentibus confabulemur, de quibus in foro atque in negociis agendis loqui non est ocium. Dominum autem, inquit, conuiuii esse oportet non tã lautum, quàm sine sordibus. Et in conuiuio legi non omnia debent, sed ea potissimum, quæ simul sint βιωφελῆ & delectent. Neque non de secundis quoque mensis cuiusmodi esse eas opporteat, præcipit. His enim verbis vtitur, Bellaria, inquit, ea maxime sũt mellita, quæ non sunt. πέμμασιν enim & πέψει societas infida. Quod Varro in hoc loco dixit BELLARIA, nequis forte in ista voce hæreat, significat id vocabulum omne mensæ secũdæ genus. Nam quæ τραγήματα Græci, aut πέμματα dixerunt, ea veteres nostri bellaria appellauerunt. Vina quoque dulciora est inuenire in comœdiis antiquioribus hoc nomine appellata, dictaque esse ea Liberi bellaria.

Cõuiuarũ numerus. *Conuiuij absolutio quatuor exigit.* *Sermones cõuiuales.* *Dominus conuiuij qualis sit.* *Bellaria. Tragemata.*

ASCEN. Libertas nimia atque vecors. i. aut peruersi aut nullius cordis: cordatos enim prudẽtes dicimus. Ve autem particula nunc diminuit, nunc peruersum notat, vt Beroaldus in vocabulo Vescum contra Seruium probat. Ego triũuir. i. triumuirorum in eo magistratu vnus. Vocandi potestas est quam citandi & ineptius adiornandi dicunt. Prehendendi est capiendi, & in vincula coijciendi: quæ quia maior videtur non absurda quæstio est, quare sit concessa, quibus minor erat negata, vt pote tribunisplebis: sed eam satis aperte soluit Gellius quòd præsentia trib. opus erat: addi etiam posset, quòd licet priuato grauius sit præhendi quàm vocari: tamen maior videtur authoritas ei qui vocandi ad se ius habet, quàm qui prehendendi, cum ad eum venerit, si sponte in ius ire nollet. ideoque cuicunque vocandi ius erat, erat & prehẽdẽdi: sed nõ cõtra. Assiduitate. i. assidentia ac præsentia. Nã licet assiduitas fere de temporali accipitur, est tamen & loci: vnde ferme quæ loci sunt, tempori cõgruunt, & econtrario. Sic enim dicimus, nõ esse preci locum. i. tempus oportunum: sic hucusque in hunc vsque locum, vel in hoc vsque tempus: & ita consimilia.

Vecors. *Assiduitas*

Tribunosplebis prehensionem habere, vocationẽ nõ habere. CAPVT XII.

IN quadam epistola Attei Capitonis scriptum legimus, Labeonẽ Antistium legum atque morum Pop. Ro. iurisque ciuilis doctum apprime fuisse. Sed agitabat, inquit, hominem libertas quædam nimia atque vecors, vsque eo, vt D. Augusto iam principe, & rempub. obtinẽte, ratum tamen, pensumque nihil haberet, nisi quod iustum sanctumque esse in Romanis antiquitatibus legisset. Ac deinde narrat quid idem Labeo per viatorem à Trib. pleb. vocatus responderit. Cum à muliere, inquit, quadam Trib. pleb. aduersum eum aditi, Gellianum ad eum misissent, vt veniret, & mulieri responderet: iussit eũ,

Labeonis libertas. *Vocandi ius nõ esse tribunisplebis.*

sed prehẽsionem.i. ius capiẽdi Vno & vicesimo. Vocandi ius, prehẽdẽdi, vtrũque, & neutrũ habentes.

qui missus erat, redire, & Tribunis dicere, ius eos non habere, neque se neque alium quẽquam vocandi: cum moribus maiorum Trib. Pleb. prehensionem haberẽt, vocationem non haberent. Posse igitur eos venire, & prehendi se iubere: sed vocandi absentem ius nõ habere. Cum hoc in ea Capitonis epistola sublegissemus, id ipsum postea in M. Varronis rerum humanarum vno & vicesimo libro enarratius scriptum inuenimus. verbaque ipsa super ea re Varronis adscripsimus, In magistratu, inquit, habent alii vocationem, alii prehensionem, alii neutrum. Vocationem vt COSS. & cæteri, qui habent imperium: Prehensionem, vt Trib. pleb. & alii, qui habent viatorem. Neque vocationem, neq; prehensionem, vt QVAEST. & cæteri, qui neque lictorem habent neque viatorem. Qui vocationem habent, iidem prehendere, tenere, abducere possunt: & hæc omnia, siue adsunt quos vocant, siue acciri iusserunt. Tribuni Pleb. vocationem habent nullam. Neq; minus multi imperiti perinde, atque haberent, ea sunt vsi. Nam quidam non modo priuatum, sed etiam COSS. in rostra vocari iusserunt. Ego Triumvir vocatus à Porcio Trib. Pleb. non iui, authoribus principibus, & vetus ius tenui. Item Tribunus cũ essem, vocari neminem iussi, neque vocatum à Collega parere inuitum. Huius ego iuris, quod M. Varro tradit, Labeonem arbitror vana tunc fiducia cum priuatus esset, vocatum à Trib. non isse. Quæ (malum) autem ratio fuit vocantibus nolle obsequi, quos confiteare ius habere prehendendi? Nam qui iure prehendi, is etiam in vincula duci potest. Sed

Assiduitas

quærentibus nobis, quam ob causam Trib. qui haberent summam coercendi potestatem, ius vocandi non habuerint: illud occurrit, quòd Trib. Pleb. antiquitus creati videntur, non iuri dicundo, nec causis querelisque de absentibus noscendis, sed intercessionibus faciendis, quibus præsentes fuissent: vt iniuria, quæ coram fieret, arceretur. Ac propterea ius ad se vocandi ademptum, quoniam vt vim fieri vetarent, assiduitate eorum, & & præsentium oculis opus erat.

ASCEN. Quæstor is dicitur, qui vulgo receptor publicus. P. Valerius Publicola, vt testes sunt Tit. Liuius & Plutarchus Pop. Romano concessit vt duos quæstores creare posset. primique fuere P. Veturius, & M. Minutius. Vnum & vigesimum, subauditur librum.

Quod in libris rerum humanarum M. Varronis scriptum est, AEdiles & Quæstores Pop. Ro. in ius, à priuato ad Prætorem vocari posse. CAPVT XIII.

Quæstor an in ius vocari possit ad Prætorem.

CVm ex angulis secretisque librorum ac magistrorum, in medium iam hominum, & in lucem fori prodissem, quæsitum esse memini in plerisque Romæ stationibus ius publice docentium aut respondentium, an QVAEST. Pop. Ro. ad PRAET. in ius vocari posset. Id autem nõ ex ociosa quæstione agitabatur: sed vsus forte natæ rei ita erat, vt vocandus esset in ius QVAEST. Non pauci igitur existimabant, ius vocationis in eũ Prætori non esse, cum magistratus Pop. Ro. proculdubio esset. Et neque vocari, neque si venire nollet, capi atque prehendi, salua ipsius magistratus maiestate, posse. Sed ego, qui tũ assiduus in libris M. Varronis fui, cum hoc quæri dubitarique animaduertissem, protuli

Vnũ & vicesimum.

vnum & vicesimum rerum humanarum, in quo ita scriptum fuit, Qui potestatem neque vocationis populi viritim habent, neque prehensionis, eos magistratus à priuato in ius quoque vocari est potestas. M. Liuinus AEdilis Curulis à priuato ad Prætorem in ius est eductus. Nunc stipati seruis publicis non modo prehendi non possunt, sed etiã vltro summouẽt populum. Hoc Varro in ea libri parte de AEdilibus. Supra autem in eodem libro, QVAEST. neque vocationem habere neque prehensionem dicit. vtraq; igitur libri parte recitata, in Varronis omnes sententiam concesserunt, Quæstorque in ius ad PRAET. vocatus est.

Effata.

ASCEN. Pomœriũ, quasi pomœniũ aut pomuriũ dicitur: quòd sit pone mœnia & muros vrbiũ, spatiũ illud quæ ædificijs vacat, vt sit defendendi eorũ locus. Intra agrũ effatum. i. ab augure expressum. Est enim augurale verbũ: vnde effata proprie dicuntur augurũ edicta. Quæ facit finẽ. ergo potius extra mœnia sunt pomœria. Prolatũ. i. extẽsum. D. i. diuus Iulius: sic enim principes suos prisci Ro. vocabãt: quã cõpellationẽ illis à nostratibus dari, Valla venerãda pietate ægre fert. Auspicauerit. antique: quia nũc deponẽtaliter auspicor dicitur. De cælo seruasse velit. Seruare de cælo vt Beroaldus in annotationibus in Lucanũ ampliter & diserte definit: est diligẽter inspicere si aut fulmẽ vidissent: aut tonitrua audiuissent. ea enim re per augures nunciata qui tũc creabantur magistratus, vitio creati esse dicebãtur. Addit Mas. Verba Titi Liuij sunt hæc, ex primo libro, Ad eam multitudinem Vrbs quoque amplificãda visa est. addit duos colles, Quirinalem & Viminalem; deinceps auget Esquilias: ibique vt loci dignitas fieret, habitat: aggere,

Seruare de cælo.

fossis & muro Vrbem circundat:item pomœrium profert. Est autem locus magis circa murum, quem in condendis vrbibus quondam Hetrusci qua murum ducturi erant certis circa terminis inaugurato consecrabant:vt ne interiore parte ædificia mœnibus continuarentur, quæ nunc vulgo etiam coniungunt:& extrinsecus puri aliquid ab humano cultu pateret soli.& non magis appellabant pomœrium quòd post mœrum siue murum, quàm quòd murus post id. Ager autẽ effatus dicebatur, vbi augures vltimas preces fundebant post auspicia, ab effatis precibus:nam effata sunt precationes vltimæ.hæc ille. qui monet legendũ vel Pop.Rom.vel melius Rom.Pop.Ego parui referre arbitror vtrum præponatur: verum subobscurum videtur quomodo legatur.nam vulgo pop.Rom.populus Romanus indebito casu legitur:vt hic legendũ sit, populum Romanum auxerat agro ab hostibus capto:an potius pomœrium Romanum: nisi sit, auxerat.s.diuitijs & possessionibus populum Romanum agro ab hostibus capto: aut sic, auxerat populũ quòd ex subactis nonnullos ciuitate donarat.

Effatus ager.
Effata.

Verba ex libro Messalæ auguris, quibus docet qui sint minores magistratus:& Consulem Prætoremque Collegas esse. & quædam alia de auspiciis. CAP. XIIII.

POMOERIVM quid esset, augures po.Rom.qui libros de auspiciis scripserunt, istiusmodi sententia definierunt. Pomœrium est locus intra agrum effatum, per totius vrbis circuitum pone muros regionibus certis determinatus, qui facit finem vrbani auspicii. Antiquissimum autem pomœrium, quod ab Romulo institutum est, Palatini montis radicibus terminabatur. Sed id pomœrium pro incrementis Reipublicæ, aliquoties prolatum est, & multos editosque colles circumplexum est. Habebat autem ius proferendi pomœrii, qui Pop.Ro.agro de hostibus capto auxerat. Propterea quæsitum est, ac nunc etiam in quæstione est, quam ob causam ex septem vrbis montibus, cum cæteri sex intra pomœrium sint, AVENTINVS solus quæ pars non longinqua, nec infrequens est, extra pomœrium sit. Neque id Ser.Tullius rex, neque Sulla, qui proferendi pomœrii titulum quæsiuit, neque postea D.Iulius, cum pomœrium proferret, intra effatos Vrbis fines incluserint. Huius rei Messala aliquot causas videri scripsit. sed præter eas omnes ipse vnam probat: quòd in eo monte Remus vrbis condendæ gratia auspicauerit auesque irritas habuerit, superatusque in auspicio à Romulo sit:Idcirco, inquit, omnes, qui pomœrium protulerunt, montem istum excluserunt, quasi auibus obscœnis ominosum. Sed de Auentino monte prætermittendum non putaui, quod non pridem ego in Elidis Grammatici veteris commẽtario offendi: in quo scriptum erat, Auentinum antea, sicuti diximus, extra pomœrium exclusum:post authore D. CLAV. receptum, & intra pomœrii fines obseruatum. In edicto COSS. quo edicunt, qui dies comitiis centuriatis futurus sit, scribitur ex vetere forma perpetua, ne quis magistratus minor de cælo seruasse velit. Quæri igitur solet, qui sint magistratus minores. Super hac re meis verbis nil opus fuit, quoniam liber M.Messalæ auguris de auspiciis primus, cum hoc scriberemus, forte adfuit:propterea ex illo libro verba ipsius Messalæ subscripsimus. Patriciorũ auspicia in duas sunt potestates diuisa. MAXIMA sunt COSS. PRAET. CENSS. Neque eorum omnium inter se eadem, aut eiusdem potestatis:ideo quòd Collegæ non sunt CENSORES CONsulũ aut PRAEtorum: PRAEtores CONsulum sunt. Ideo neq; CONsules aut PRAEtores CENSOribus, neq; CENSOres CONsulibus, aut PRAEtoribus turbant, aut retinent auspicia. At CENsores inter se, rursus PRAEtores CONsulesque inter se, & vitiant & obtinent. PRAEtor, etsi Collega Consulis est, neque PRAEtorem neque CONsulem iure rogare potest, vt quidẽ nos à superioribus accepimus, aut ante hæc tempora seruatum est. Et vt in commentario XIII C.Tuditani patet, quia imperium minus PRAEtor, maius habet CONsul: & à minore imperio maius, aut à maiore, Collega rogari iure non potest. Nos his temporibus PRAEtores Prætore creante veterum authoritatem sumus secuti:neq; his comitiis in auspicio fuimus. CENSORES æque non eodem rogantur auspicio, atque CONsules & PRAEtores. Reliquorum magistratuum minora sunt auspicia, ideo illi minores, hi maiores magistratus appellantur. Minoribus creandis magistratibus Tributis comitiis magistratus, sed iustius curiata datur lege. Maiores centuriatis comitiis fiunt. Ex his omnibus verbis Messalæ manifestum fit, & qui sint magistratus minores, & quamobrem minores appellentur. Sed & Collegam esse PRAETOREM CONSVlis docet, quòd eodem auspicio creantur. Maiora autem dicũtur auspicia habere, quia eorum auspicia magis rata sunt quàm aliorum.

Pomœriũ.
Auẽtinus cur sit extra pomœrium.
Magistratus maiores.
Magistratus minores.
Comitia tributa.
Centuriata.

ASCEN. Eiusdem decimiquarti capitis portio. Hanc distinctionẽ capitis.XIII, ab grãmaticis factam opinor: qui in hoc hallucinãtur quòd cũ.XIIII.capitis portionem dicant, cap. XV. inscribant. quod enim alterius capitis pars est, caput cõstituere non potest. Comitiatũ auocare est impedire ne habeantur comitia. Comitia autẽ sunt quasi coitia in cãpum Martiũ: quo magistratus creãdi, aut summarũ rerũ gratia cõueniebant. Concio autẽ est populi conuocati collectio, aut sermo ad eũ habitus. Cõcionẽ habere est verba ad populũ facere, sicut declamatores aut prædicatores nostri faciunt. Cum populo agere est cum eo disputare, & eius sententiam super lege ferenda aut antiquanda rogare, & dictis & auditis causis. Addit Mas. Hermolaus in castigationibus posterioribus ita ait, Diximus ita quosdam legere, Comitia nisi nũdinis haberi non licebat. Refutauimus ex Festo, qui nundinis agi cum populo nefas esse dixit. Cum populo agere, aliud nõ est eodẽ authore, quàm populum ad concilium aut comitia vocare. Dicet aliquis, cur ergo Columella in præfatione operis, Nundinarum (inquit) conuentus propterea manifestum vsurpatos, vt nonis tantummodo diebus vrbanæ res agerentur, reliquis administrarẽtur rusticæ. Illis enim temporibus proceres ciuitatis in agris morabantur: & quum concilium publicum desiderabatur, à villis arcessebãtur in Senatum. Ex eo quoque qui eos euocabant, viatores nuncupati. Aut igitur mutata cõsuetudo: aut aliud est cum populo agere, aliud vrbanas res cum proceribus ciuitatis administrare.

Comitiatũ auocare. Agere cũ populo.

Ibidem verba eiusdem Messalæ differentis, aliud esse ad populum loqui, aliud cũ populo agere: & qui magistratus à quibus auocẽt comitiatũ, Eiusdẽ capitis XIIII portio.

Consulis potestas.

IDem Messala in eodem libro de minoribus magistratibus ita scribit, CONSVL ab omnibus magistratibus, & comitiatum, & concionẽ auocare potest. PRAETOR & comitiatum, & cõcionẽ vsquequaq; auocare potest, nisi à CONSVLE. Minores magistratus nusquam nec comitiatum, nec concionem auocare possunt. Ea re, qui eorum primus vocat ad comitiatum, is recte agit, quia bifariam cum populo agi non potest. Nec auocare alius alii posset, si concionem habere volunt, vti ne cum populo agant: quanuis multi magistratus simul concionem habere possint. Ex his verbis Messalæ manifestum est, aliud esse cum populo agere, aliud concionem habere. Nam cum populo agere, est rogare quid populum, quod suffragiis suis aut iubeat, aut vetet. Concionem autem habere, est verba facere ad populum sine vlla rogatione.

Agere cũ populo. Concionẽ habere.

ASCEN. Certum est Philãthropiam & Pædiã non aliter debere verti quàm in textu versa legantur: ne quis tamẽ grãmaticorum interpretationem superuacaneam desideret, ad marginem apposuimus. Quod autem dicit, vel maxime humanissimi, distinguendum est sic: hi sunt humanissimi, vel.i.etiam maxime. Paulum modo humaniori.i.artium & rerum ab homine inuentarum perito. capitur enim humaniori pro humano. vnde paulum non paulo dixit. Mas. Cicero etiam humanitatem pro beneuolentia erga homines non semel posuit: sic & alij non pauci: forte quòd eius rei cura vni homini præcipue data est: quæ imperfecta, cætera tangit animantia, quorũ mirabiles conspicimus adfectus erga homines: licet interdum sit illud verum, quòd Plautinum dicitur, Homo non homini homo, sed lupus, qui qualis sit non nouit.

Humanitas.

Humanitatem non id significare, quod vulgus putat: sed eo vocabulo qui synceriter locuti sunt, magis proprie esse vsos. CAPVT XV.

Humanitas. Philãthropia. Pædia.

QVi verba latina fecerunt, quique iis probe vsi sunt, HVMANITATEM nõ id solum esse voluerunt, quod vulgus existimat, quodque à Græcis φιλανθρωπία dicitur, & significat dexteritatem quandam beneuolentiamq; erga omneis homines promiscuam: sed humanitatem appellauerũt id propemodum, quod Græci παιδείαν vocant, nos eruditionem institutionemq; in bonas arteis dicimus: quas qui synceriter cupiunt adpetuntque, ii sunt vel maxime humanissimi. Huius enim scientiæ cura & disciplina ex vniuersis animantibus, vni homini data est: idcircoque humanitas appellata est. Sic igitur eo verbo veteres esse vsos, & cũ primis M. Varronem, M.que Tullium, omnes ferme libri declarant. Quamobrem satis habui vnum interim exemplum promere. Itaq; verba posui Varronis, ẽ libro rerum humanarum primo, cuius principium hoc est, Praxiteles qui propter artificium egregiũ nemini est paulum modo humaniori ignotus. Humaniori, inquit, non ita, vt vulgo dicitur, facili, & tractabili, & beneuolo, tametsi rudis literarum sit (hoc enim cum sententia nequaquam conuenit) sed eruditiori doctiorique: qui Praxitelem, quid fuerit, & ex libris, & ex historia cognouerit.

Humanior.i. eruditior.

ASCEN. De ædibus vitio creatis, qui vitio creabantur, vt in priore parte. XIIII. capitis de consulibus dictum est. Sane Erasmus hoc adagium prolixius enarrat: quod sic quoque explicaui. Rem hãc alij magis explicant, dicentes: patrifamilias, cui ex oraculo dictum erat eum de musto non bibiturum: cum calicem ori applicaret, nunciatum à puero vites vastari ab apro: qui cum eum persequeretur, remisso calice, enectus est: fatoque viam, & prouerbio initium dedit.

Quid apud M.Catonem significent verba hæc, Inter os atq; offam. CAP. XVI.

ORatio est M.Catonis Censorii, de AEdilibus vitio creatis. ex ea oratione verba hæc sunt, Nunc ita aiunt, in segetibus & in herbis bona frumenta esse. Nolite ibi nimiam spem habere. Sæpe audiui inter os atque offam multa interuenire posse. Verum inter offam atque herbam, ibi vero longum interuallum est. Erutius Clarus, qui Præfectus vrbi & bis COS. fuit, vir morum, literarúmque veterum studiosissimus, ad Sulpitium Apollinarem scripsit hominem memoriæ nostræ doctissimum, quærere sese & petere, vt sibi rescriberet, quænam esset eorum verborum sententia. Tum Apollinaris nobis præsentibus (nam id temporis ego adolescens Romæ sectabar eum discēdi gratia) rescripsit Claro, vt viro erudito, breuissime, Vetus esse prouerbium, Inter os & offam, idem significans, quod græcus ille παροιμιώδης versus,

Inter os & offam multa interuenire seu cadere.

πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος καὶ χείλεος ἄκρου.

ASCEN. Versus senarius græcus redditus est latinis à Maserio vt nunc habetur. Notū est autem omnibus quòd sophi latine sint sapientes: sophon autem græce pro sophorum .i. sapientum ponitur. Nec citatur hic versus vt Plato lapsus memoria censeatur: quod tamen interdū magnis viris accidit alium pro alio citantibus: sed vt doceat eandem sententiam, & eadem fere verba à diuersis excogitari posse. quod & mihi accidit, qui versiculum quem primus compegisse putaram, in Ouidio offendi. Sane quod de versu latinis restituto à Maserio dixi: sic vt ipse nūc interpretatur accipe: dixi (inquit) id fieri posse, sed fateor numerum mutari: nam dictio græca ξυνουσίᾳ singularis est, congressibus latina pluralis: ad verbum autem sic interpretatur, Sapientes sunt tyranni sapientū congressū. Addit & hoc. Narrant poetæ cur Prometheus dictus sit pyrphoros, id est ignifer. Dicitur etiam pyrphoros instrumentum illud prunis ferendis destinatum. Dicunt etiam pyranon. Latini dicunt ignitabulum, vt est apud Festum Pompeium. Est etiam dictus vates Pyrphorus, præferens lampada: quem violasse nephas in bello: præibat autem habēs laureos ramos & corollas: de quo in Val. Flaccum plura.

Pyrphoros.

Platonē tribuere Euripidi Sophoclis versum: Et inueniri versus verbis iisdē aut paucis syllabis immutatis, apud diuersos poetas temporibus variis natos. CAP. XVII.

Platonis in citando erratum.

VErsus est notæ venustatis senarius,

σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν ξυνουσίᾳ.

Eum versum Plato in Theætheto Euripidis esse dicit. Quod quidem nos admodum miramur: nam scriptum cū legimus in tragœdia Sophoclis, quæ inscripta est Αἴας ὁ Λοκρός. Prior autem natus fuit Sophocles q̄ Euripides. Sed etiam ille versus non minus notus,

γέρων γέροντα παιδαγωγήσω σ' ἐγώ,

& in tragœdia Sophoclis scriptus est, cui titulus est φιλοκτήτης, & in Bacchis Euripidis. Id quoq; animaduertimus apud AEschylum ἐν τῷ πυρφόρῳ προμηθεῖ, & apud Euripidem in tragœdia, quæ inscripta est ἰνὼ, eundem esse versum, absque paucis syllabis.

AEschylus sic,

Σιγῶν τε ὅπου δεῖ, καὶ λέγων τὰ καίρια.

Euripides ita,

Σιγῶν τε ὅπου δεῖ, ὡς λέγειν ἀσφαλές.

Fuit autem AEschylus non breui antiquior.

ASCENSIVS.

	M.Catonē prætorē, qui viuo parte obijt, cum genuisset	M.Catonē nepotē oratorē & cos. cū Q. Martio rege: à quo genitus est	M.Cato ædilis: qui in Gallia Narbonēsi perijt.
M.Cato orator & censor genuit		L.Catonem, &	
	M. Catonem Salonianum, qui genuit	M.Catonē trib. pleb. qui in præturæ petitione diē obijt, cum genuisset	M.Catonem Vticensem virum prætoriū.

De genere atque nominibus familiæ Porciæ. CAP. XVIII.

CVm in domus Tyberianæ Bibliotheca sederemus, ego & Apollinaris Sulpitius, & quidam alii mihi, aut illi familiares: prolatus forte liber est, ita inscriptus, M.Catonis nepotis. Tum quæri cœptum est, quisnam is fuisset M. CATO NEPOS. Atque ibi adolescens quispiam (quod ex eius sermonibus coniectare potui) non abhorrens à literis, Hic, inquit, est M.Cato, nō cognomēto nepos, sed M.Catonis Censorii ex filio nepos: qui pater fuit M.Cato-

M. Cato nepos. Vide Plutarch. in Cat. Cēs.

nis Prætorii viri,qui bello ciuili Vticæ necem sibi gladio manu sua cõsciuit:de cuius vita liber est M.Ciceronis,qui inscribitur laus M.Catonis: quem in eodem libro idẽ Cicero pronepotem fuisse dicit M.Catonis Censorii.Eius igitur quem Cicero laudauit,pater hic fuit M.Cato,cuius orationes feruntur inscriptæ M.Catonis nepotis. Tum Apollinaris(vt mos eius in reprehendendo fuit)placide admodum leniterq;, Laudo,inquit, te mi fili,quòd in tantula ætate,etiam si hunc M.Catonem, de quo nunc quæritur,quis

Porcia seu Catonum familia.

fuerit ignoras:auditiuncula tamen quadam de Catonis familia aspersus es. Nõ vnus autem,sed complures M.illius Catonis Censorii nepotes fuerunt,geniti nõ eodem patre.

Cato Salonianus.

Duos enim M.ille Cato,qui & orator,& CENS.fuit,filios habuit,& matribus diuersos, & ætatibus longe dispares.nã iã adolescente altero,matre eius amissa,ipse quoque iã multum senex,Salonii clientis sui filiam virginem duxit in matrimonium.ex qua natus est ei M. CATO SALONIANVS: hoc enim illi cognomentum fuit, à Salonio patre matris datum.Ex maiore autem Catonis filio,qui PRAET.designatus patre viuo mortuus est,

M.Cato nepos.

& egregios de iuris disciplina libros reliquit,nascitur hic,de quo quæritur,M.Cato,M.filius,M.nepos.Is satis vehemens orator fuit,multásque orationes ad exemplum aui scriptas reliquit,& COS.cum Q.Martio REGE fuit.inque eo Consulatu in Africam profectus in ea prouincia mortem obiit.Sed is,non ita, vt dixisti,M.Catonis Prætorii viri, qui se Vticæ occidit,& quẽ Cicero laudauit,pater fuit.Nec quia hic nepos Catonis Censorii,ille autem pronepos fuit, propterea necessum est,patrem hunc ei fuisse. Hic enim nepos cuius hæc modo prolata oratio est,filium quidem maiorem Catonem habuit,sed non eum qui Vticæ periit: sed qui cum AEdil. Curulis, & PRAET.fuisset,in Galliam Narbonensem profectus, ibi vita functus est. Ex altero autem viro Censorii filio longe natu minore,quem Salonianum esse appellatũ dixi,duo nati sunt,L.Cato,& M.Cato.Is M.Cato Trib.pl.fuit,& Præturã petẽs mortẽ obiit:exq; eo natus est M.Cato Prætorius qui se bello ciuili Vticæ interemit.de cuius vita,laudibúsq;,cũ M.Tullius scriberet,pronepotem eum Catonis Censorii dixit fuisse. Videtis igitur hanc partem familiæ, quæ

Cato Vticensis.

ex minore Catonis filio progenita est,non solum generis ipsius tramitibus, sed temporum quoque spatio differre.Nam quia ille Salonianus,in extrema patris ætate, sicuti dixi,natus fuit:prognati quoque ab eo aliquanto posteriores fuerunt, quàm qui à maiore fratre eius geniti erant. Hanc quoq; temporũ differentiam facile animaduertetis ex hac ipsa oratione,cum eam legetis.Hæc Sulpitius Apollinaris,nobis audientibus dixit:quæ postea ita esse,vti dixerat,cognouimus,cum & laudationes funebres,& librum commẽtariorum de familia Porcia legeremus.

ASCEN. Vrbis ne inuisere Cæsar Terrarúmque velis curã.Quia in illo eiusdem authoris in eodẽ opere,Libra dies somniique pares vbi fecerit horas,dies est genitiui casus,vt sit horas dies & somni.cum tamen dici possit,vbi libra fecerit dies,& horas somni.i.noctes ipsas pares, non erit omnino improbabile vrbis hoc loco esse genitiui casus,& pro Romæ poni.vt sit,inuisere curam vrbis & terrarum illi subiectarum.sed & alibi vrbis in accusatiuo plurali legitur nec contra regulam,cum faciat in genitiuo vrbiũ.Hac fini,sic & aliubi:pro,ad hanc finem.quæ enim tertiæ quasi pro aduerbijs ponuntur, gratius in i,exeũt,vt ruri vesperi.Suo quicque.pro vtrunque. ἀέρα βαθεῖαν:non vt quid significetur animaduertas, hoc ponitur:sed vt notes aera fœmininum habere adiectiuum.Vocabilior,legitur etiam vocalior,sed vocales dicimus aues & homines suaui voce aut cantu pronunciantes. Vocabile quod suaui concẽtu proferri potest. Sunt qui in Lucretiano versu construant aurea arua,non aurea funis:vt aurea dicantur arua qualia sub Saturno,sed melius viciniori respondet,ieiune enim dicatur funis sine epitheto.

Quòd à scriptoribus elegantissimis maior ratio habita sit sonitus vocum atq; verborum iucundioris,quæ à Græcis εὐφωνία dicitur,q̃ regulæ disciplina,quæ à grammaticis reperta est.

CAP. XIX.

Accusatiuorũ tertiæ varij fines.

Interrogatus est Probus Valerius,quod ex familiari eius quodam comperi,has ne vrbis an has vrbes,& hanc turrem,an hanc turrim dici oporteret. Si aut versum,inquit,pãgis,aut orationẽ solutã struis,atq; ea verba dicenda sunt:non finitiones illas prærancidas,neque fœcutinas grammaticas spectaueris,sed aurem tuam interroga,quo quid loco conueniat dicere: quod illa suaserit,id profecto erit rectissimum.Tum is,qui quæsierat:quonam modo,inquit,vis aurem meam interrogem? Et Probum ait respondisse:quo suam Virgilius percunctatus est,qui diuersis in locis,vrbes & vrbis dixit,arbitrio consilióque vsus auris.Nã in primo Georgicôn,quem ego,inquit,librum manu ipsius collectum legi,vrbis per i,literam scripsit.

Verba è versibus eius hæc sunt,

Vrbîs ne inuisere Cæsar, * * * * * * Virg.loc.
Terrarûmque velis curam. Vrbis.

Verte enim,& muta,vt vrbes dicas:insipidius nescio quid facies & pinguius. Contrà in III AEneidos,vrbes dixit per e,literam,

Centum vrbes habitant magnas. Vrbes.

Hic item muta,vt vrbis dicas,nimis exilis vox erit & exanguis. tanta quippe iuncturæ differentia est in consonantia vocum proximarum. Præterea idem Virg. turrim dixit,non turrem,& securim non securem,

Turrim in præcipiti stantem. Et, * * * * * * Turrim.
Incertam excussit ceruice securim. Securim.

Quæ sunt(opinor) iucundioris gracilitatis,quàm si suo vtrunque loco per e, literam dicas. At ille,qui interrogauerat,rudis profectò,& aure agresti homo: Cur,inquit,aliud alio in loco potius rectiúsque esse dicas,non sane intelligo. Tum Probus iam commotior,Noli,inquit,igitur laborare,vtrum istorum debeas dicere,vrbis an vrbes.nam cum id genus sis,quod video,vt sine iactura tui pecces,nihil perdes vtrum dixeris. His tum verbis Probus,& hac fini hominem dimisit,vt mos eius fuit erga indociles,prope inclementer. Nos autem aliud quoque postea consimiliter à Virgilio duplici modo scriptum inuenimus. Nam tres & tris posuit eodem in loco,ea iudicii subtilitate,vt si aliter dixeris,mutaueris que,& aliquid tamen auris habeas,sentias suauitatem sonitus diuidere.

Versus ex decimo hi sunt,

Tres quoque threicios boreæ de gente suprema, * * * * * *
Et tris,quos Idas pater,& patria Ismara mittit.

Tres hic,tris illic,vtrunque pensiculate modulateque reperies suo quicque in loco sonare aptissime. Sed in illo quoque itidem Virgilii versu, Tres. Tris.

Hæc finis Priami fatorum: Hæc finis.

Simul vt & Hic finis dicas,durum atque absonum erit,respuéntque aures, quod mutaueris. sicut illud contra eiusdem Virgilii insuauius facias,si mutes, Quem finem.

Quem das finem rex magne laborum?

Nam si ita dicas,quam das finem:iniucundum,nescio quo pacto,& laxioré vocis sonũ feceris. Ennius ité rectos cupressos dixit contra receptũ vocabuli genus,hoc versu, Rectos cupressos.

Capitibus nutantis pinos,rectósque cupressos.

Firmior ei,credo,& viridior sonus esse vocis visus est rectos dicere cupressos,quàm rectas. Contrà vero idem Ennius in Annali duodeuicesimo,aere fulua dicit,non fuluo. nó ob id solum,quòd Hom. ἀέρα βαθεῖαν dicit:sed quòd hic sonus (opinor) vocalior est visus & amœnior. Sicuti etiam M. Ciceroni mollius teretiúsque visum est in quinta in Verré,fretu scribere quàm freto. Perangusto,inquit,fretu diuisa. Erat enim crassius vastiúsq;, perangusto freto,dicere. Itidem in secunda simili vsus modulamine, Manifesto peccatu,inquit,non peccato. hoc enim scriptum in vno atque in altero antiquissimæ fidei libro Tironiano reperi. Verba sunt Ciceronis hæc, "Nemo ita viuebat,vt nulla eius vitæ pars,summæ turpitudinis esset expers:nemo ita in manifesto peccatu tenebatur,vt cum impudens fuisset in facto,tum impudentior videretur,si negaret." Huius autem vocis cũ elegantior hoc in loco sonus, & tum ratio certa & probata est. hic enim peccatus, quasi peccatio,recte latineque dicitur. sicut hic incestus:non qui admisit, sed quod admissum est:& hic tributus,quod tributum nos dicimus,à plerisque veterum dicta sunt. hic quoque adlegatus,& hic arbitratus,pro adlegatione próque arbitratione dicuntur. Qua ratione seruata,arbitratu & adlegatu meo dicimus. Sic igitur in manifesto peccatu dixit, vt in manifesto incestu veteres dixerunt. non quin latinum esset peccato dicere,sed quia in loco isto positum subtilius ad aurem molliúsque est. Lucretius æq; auribus inseruiés, funem fœminino genere appellauit,in hisce versibus, Aere fulua. Fretu. Cic.locus. Peccatu. Incestus. Tributus. Adlegatus Arbitratus.

Haud,vt opinor,enim mortalia secla superne
Aurea de cælo demisit funis in arua. * * * * * *

Cum dicere vsitatius,manente numero,posset,

Aureus è cælo demisit funis in arua. Funis aurea.

Sacerdotes quoque fœminas M.Cicero Antistitas dicit, non secundum grãmaticam legem antistites. Nam cum insolentias verborum à veteribus dictorum plerũque respue

ret, huius tamen verbi in ea parte ſonitu delectatus, Sacerdotes, inquit, Cereris, atq; illius fani antiſtitæ. Vſqueadeo in quibuſdam, neque rationem verbi neque cõſuetudinem, ſed ſolam aurem ſecuti ſunt, ſuis verba modulis penſitãtem. Quod qui non ſentiunt, inquit idem ipſe M. Cicero, cum de numeroſa & apta oratione diſſereret: quas aureis habeant, aut quid in iis hominis ſimile ſit, neſcio. Illud vero cum primis apud Homerum veteres grammatici adnotauerunt, quòd cum dixiſſet quodam in loco, κολοιούς τε ψῆράς τε. Alio in loco non ψήρωντε, ſed ψάρων dixit.

Homeri locus. τῶν δ' ὥστε ψάρων νέφος ἔρχεται ἠὲ κολοιῶν.

Secutus non communem, ſed propriam in quocunque vocis ſitu iucunditatem. Nam ſi alterum in alterius loco ponas, vtrunque feceris ſonitu inſuaue.

ASCEN. Gallicæ ſunt crepidæ Gallis adhuc ſed religioſis præſertim familiares, priſco nomine. Penula veſtis eſt quæ contra pluuiam inijci ſolet: interdum ex corio: quæ ſcortea dicitur in hoc diſticho Martialis, Ingrediare viã cælo licet vſque ſereno, Ad ſubitas nũquam ſcortea deſit aquas. Quod autẽ hic Gellius atteſtatur, Crepidas prima breui dici, de ſecũda tacẽs quæ etiã breuis à noſtris ponitur, cũ Græcis vtraque ſit lõga: dixi ſuprà latinã id facere deductionẽ, à crepitu videlicet quẽ edunt: neque eſt piaculũ cẽſendũ, ſi eadẽ vox in diuerſis linguis à diuerſis deducta diuerſimode pronũcietur. Volaterranus in Philo. de Nerone & Heliogabalo ait alterũ vti ſolitũ ſoleis mularũ aureis & retibus aureis: alterũ vero nũquam iteraſſe lintea, aut veſtem, aut mulierẽ. Cælius meminit crepidarũ Damonis pædotribæ claudicantis.

Verba T. Caſtritii rhetoris ad diſcipulos adoleſcentes, de veſtitu atq; calciatu nõ decoro. CAPVT XX.

Caſtritius. TItus Caſtritius rhetoricæ diſciplinæ doctor, qui habuit Romæ locũ principem declamandi & docendi, ſumma vir authoritate, grauitatéq;, & à D. Hadriano ob mores atq; literas ſpectatus, cũ me præſente (vſus ſum enim eo magiſtro) diſcipulos quoſdam ſuos Senatores vidiſſet die feriato tunicis & lacernis indutos, & gallicis calciatos: Equidem, inquit, maluiſſem vos togatos eſſe. Pigitum eſt cinctos ſaltem eſſe & penulatos. Sed ſi hic veſter huiuſcemodi veſtitus de multo iam vſu ignoſcibilis eſt, ſoleatos tamen vos Pop. Rom. Senatores, per vrbis vias ingredi nequaquam decorum eſt. Nõ hercle vobis minus, quàm illi tum fuit, cui hoc M. Tul. pro turpi crimine obiectauit. Hæc me audiente Caſtritius & quædam alia ad eam rem conducentia, romane & ſeuere dixit. plerique autem ex iis, qui audierant, requirebant, cur ſoleatos dixiſſet, qui gallicas non ſoleas haberent? Sed Caſtritius profecto ſcite atque incorrupte locutus eſt. Omnia enim ferme id genus, quibus plantarum calces tantum infimæ tegũtur, cætera prope nuda, & teretibus habenis iũcta ſunt, SOLEAS dixerunt: nonnunquam voce græca CREPIDVLAS. GALLICAS autem verbum eſſe opinor nouum, non diu ante ætatem M. Ciceronis vſurpari cœptum. Itaq; ab eo ipſo poſitum eſt in ſecunda Antonianarum, Cum Gallicis, inquit, & lacerna cucurriſti. Neque in ea ſignificatione id apud quẽquam alium ſcriptum lego, grauioris dũtaxat authoritatis ſcriptorem. ſed (vt dixi) crepidas & crepidulas, prima ſyllaba correpta, id genus calciamentum appellauerunt, quod Græci κρηπῖδας vocant. Eiúſque calciamenti ſutores crepidarios dixerunt. Sempronius Aſellio in libro Rerum geſtarum XIIII, Crepidarium, inquit, cultellum rogauit à crepidario ſutore.

Gallicis calceati taxantur. Soleati. Soleæ quid. Crepidulæ. Gallicæ. Crepida prima breui. Crepidarij.

ASCEN. Non magnopere inquirendum eſt, cur Romani dijs ſuis deas ſocias & quaſi coniuges dederint, cum miſera ſuperſtitione deorum, qui dæmonia erãt, affectiones ex ſuis metirentur: nullámque ſocietatẽ lætã ſine muliebri ſexu putarẽt, vt atteſtatur Seruius in illud Buco. Timidiſque ſuperuenit AEgle. Sane per ordinem accumbere dicebantur dij, cum ſua cuique dea iũcta ſederet, vt Iuppiter cum Iunone: de qua re multa dicuntur à Beroaldo in ſextum Apuleij. Petrus autem Crinitus vltimo capite vlti. lib. de honeſt. diſcip. dicit quòd Neptunus ad maria, Pluto ad terram refertur: eóſque cum ſuis coniugibus cõponũt Salacia & Proſerpina. Eſt autẽ virile nomen Nerius: vnde Horatius, Scribe decẽ Nerio, non eſt ſatis, adde Cicutæ &c. Verſus Varronis Maſerius noſter vt in hoc codice nunc leguntur repoſuit. Hoc autem animaduertendum, cum glorioſiſſima fuerint Iudas & Nero, hoc Romanis illud Iudæis nomina, duorum ſceleratiſſimorũ execratione è Chriſtianorũ eccleſia excluſa ſunt. Ad hæc deorum dearúmque cõiugia videtur Auguſtus reſpexiſſe, cum vt author eſt Suetonius in arce capitolina cœnam inſtituit ſex deorum & totidem dearum, in qua ipſe Auguſtus Apollinis perſonam induit, vnde extant verſus quos Suetonius recitat in hunc modum editi. Quum primum iſtorum conduxit menſa choragum: Séxque deos vidit mallea ſéxque deas, Impia dum phœbi Cæſar mendacia ludit, Dum noua diuorum cœnat adulteria: Omnia ſe à terris tunc numina declinarunt, Fugit & auratos Iuppiter ipſe thronos. Maſ. addit quòd Carnadea ſit cum Iano: & quòd diuus Auguſt. xxij. cap. lib. vij. de ciuit. dei diſputat de cauſa coniũctionis Salaciæ & Veniliæ cum Neptuno.

Comprecationes, quæ ritu Romano fiunt diis, expositæ sunt in libris sacerdotum, inter quas Marti Nerienem tribuunt: & quid Nerienes seu Nerio nomẽ importet.

CAPUT XXI.

Comprecationes deorum immortalium, quæ ritu Romano fiunt, expositæ sunt in libris sacerdotum Pop. Rom. & in plerisque antiquis orationibus. In iis scriptum est Laciam Saturni, Salaciam Neptuni, Horã Quirini, Iuritẽ Quiritii, Maiam Volcani, Nerien Iunonis, Molas Martis, Nerienem quoque Martis. Ex quibus, id quod postremum posui, sic plerosq; dicere audio, vt primam in eo syllabam producant: quo Græci modo dicunt νηρεΐδας maris deas. Sed qui probe locuti sunt, primam correptam dixerunt, tertiã produxerunt. Est enim rectus casus vocabuli, sicut in libris veterum scriptum est, Nerio. quãquam M. Varro in Satyra Menippæa, quæ inscribitur σκιαμαχία vel κριομαχία non Nerio, sed Nerienes vocatiue dicit in his versibus, Comprecationes deorum. Lacia. Salacia. Hora. Iurites. Maia.

Theanna, Peranna, Pranda, Celato, Pales,
Nerienes, & Minerua, Fortuna, ac Ceres.

Ex quo nominandi quoque casum eundem fieri necessum est. Sed Nerio à veteribus sic declinatur quasi Anio. nam perinde vt anienẽ, sic nerienẽ dixerũt, tertia syllaba producta. Id autem, siue nerio, siue nerienes est, sabinum verbum est. eóq; significatur virtus, & fortitudo. Itaque ex Claudiis, quos à Sabinis oriũdos accepimus, qui erat egregia atq; præstanti fortitudine, Nero appellatus est. sed id Sabini à Græcis accepisse videntur, qui vincula & firmamenta membrorum νεῦρα dicunt. vnde nos quoque latine neruos appellamus. Nerio igitur Martis vis, & potentia & maiestas quædam esse Martis demonstratur. Plautus autem in Truculento, coniugem esse Nerienem Martis dicit. atque id sub persona militis in hoc versu, Nerien. Nerienes. Nerio. Anio. Claudij. Nero qui fortis & Martius.

Mars peregre adueniens salutat Nerienem vxorem suam.

Super ea re audiui non incelebrem hominem dicere, nimis comice Plautum imperito & incondito militi falsam nouámque opinionem tribuisse, vt Nerienem coniugẽ esse Martis putaret. Sed id perite magis quàm comice dictum intelliget, qui leget Cn. Gellii Annalem tertium: in quo scriptum est, Hersiliam, cum apud T. Tatiũ verba faceret, pacémque oraret, ita precatam esse, Neria Martis te obsecro pacẽ dare, vti liceat nuptiis propriis & prosperis vti: quod de tui coniugis consilio contigit, vti nos itidem integras raperent, vnde liberos sibi & suis posteris, patriæ pararent. De tui inquit coniugis consilio, Martem scilicet significãs: per quod apparet non esse id poetice à Plauto dictum, sed eam quoque traditionem fuisse, vt Nerio à quibusdam vxor esse Martis diceretur. Inibi autem animaduertendum est, quòd Gellius Neria dicit per a literam, non Nerio neque Nerienes. Præter Plautum etiam, præterque Gellium, Licinius Imbrex vetus comœdiarum scriptor in fabula quæ Neæra inscripta est, ita scripsit, Hersiliæ precatio. Neria Martis vxor.

Nolo ego Neæram te vocent, sed Nerienem: Neriene.
Cum quidem Marti es in connubium data.

Ita autem senarii numerus huiusce versus habet, vt tertia in eo nomine syllaba, cõtra quàm supra dictum est, corripienda sit. Cuius sonitus quanta apud veteres indifferentia sit, notius est, q̃ vt plura in id verba sumenda sint. Ennius autem in primo Annali in hoc versu, Nerienem Mauortis,

& hercle, nisi, quod minime solet, numerum seruauit: primam syllabam intendit, tertiam corripuit. Ac ne id quidem prætermittendum puto, cuiusmodi est, quod in cõmentario quodam Seruii Claudii scriptum inueni, Nerio dictum quasi neirio, hoc est sine ira & cum placiditate: vt eo nomine mitẽ tranquillũmq; fieri Martem precemur. NE enim particula, vt apud Græcos, ita plerunque in latina quoque lingua priuatiua est. Nerio. Ne.

ASCEN. Tectorio: integumento & illinimento, cum parietes calce aut gypso ad maiorem spectãtiũ gratiam & decorem superducuntur: incrustatio autem fit ex crustis marmoris aut alterius duri & boni lapidis dum interior structura mollior & vilior sit. Neque vasum: vnde nominatiuus pluralis vasa vasorum. nam vas vasis habet in plurali vasa vasium vasibus: vnde in opusculo de AEthna quod Virgilio adscribitur, Quòd si forte cauis cõtritus vasibus hæsit. Multa egeo: antique cum accusatiuo: nisi subaudiatur re. Præstigiæ, illusiones oculorum mentis, quos philosophicis quibusdam apparentijs perstringunt ne vera videant. Sic & nostrates quidam præsertim religiosi, Pauli illud subinde iactitant: nihil habentes at omnia possidentes: cum tamen non minus habendi fame ardeant ac nihil possidentes. De luxu vestium dicit Archith. lib. iiij. Luxuriam cultus nullo modus ordine, nullo Limite metitur &c. Vasum.

M. Catonis Consularis & Censorii pulcherrima exprobratio contra philosophátes nomine, & non re. CAP. XXII.

Catonis Censoris verba de vitato luxu.

MARcus Cato Consularis & Censorius, publicis iam priuatisque opulentus rebus, villas suas inexcultas & rudes, ne tectorio quidem prælitas fuisse dicit, ad annum vsque ætatis suæ septuagesimum. atq; ibi postea his verbis vtitur, Neque mihi, inquit, ædificatio, neque vasum, neque vestimentũ vllum est in manu preciosum, neque preciosus seruus, neq; ancilla. Siquid est, inquit, quo vtar, vtor. Si non est, ego sum, cuique per me vti atque frui licet. Tũ deinde addit, Vitio vertunt, quia multa egeo: at ego illis, quia nequeunt egere. Hæc mera veritas Tusculani hominis, egere se multis rebus, & nihil tamen cupere dicentis, plus hercle commouet ad exhortandam parsimoniam, sustinendámque inopiam, quàm græcæ istorum præstigiæ philosophari sese dicentium, vmbrásque verborum inanes fingentiũ: qui se nihil habere, & nihil tamen egere, ac nihil cupere dicunt, cum & habendo, & egendo, & cupiendo ardeant.

Vasum. Egeo multa. Præstigiæ græcæ.

ASCEN. Cum in area. Area est spatium deambulãdo derelictum in vicis, vt Parrhisijs quam Malbertinam vocant. Egregia vel sup. potius diuina memoria. Quia vero ex manubijs regum & imperatorũ fieri consueuerunt ornamenta: ideo ad significanda ipsa ornamenta trãssumuntur. Vnde Petronius Arbiter, Tot regum manubiæ fugitiuum restiterant. Præterea quia manubiæ ex mancipijs, & cæteris manu captis colliguntur, videntur pro re è manu emissa accipi, & ita manubiæ è manu Iouis sunt fulmina. Vnde Seneca lib. ij. quæstionum nat. ait, Ioui treis manubias dari, quarum prima monet, secunda prodest, tertia adhibitis consilio dijs emittitur. In qua locutione singulariter innuit posse dici, quod non recipiam.

Manubiæ.

Quæsitum, tractatûmque quid sint manubiæ: atque inibi dicta quædam de ratione vtendi verbis pluribus idem significantibus. CAP. XXIII.

IN fastigiis fori Traiani simulacra sunt sita circũundiq; inaurata equorum atque signorum militarium, subscriptúmque est, Ex manubiis. Quærebat Phauorinus, cum in area fori ambularet, & amicum suum COS. opperiretur, causas pro tribunali cognoscẽtem, nósque tunc eum sectaremur: quærebat, inquam, quid nobis videretur significare proprie manubiarum illa inscriptio: Tum quispiam qui cum eo erat, homo in studiis doctrinæ, multi atque celebrati nominis, Ex manubiis, inquit, significat ex præda. MANVBIAE enim dicũtur præda, quæ manu capta est. Etiãsi, inquit Phauorinus, opera mihi princeps, & prope omnis in literis disciplinisque Græcis sumpta est: non vsque eo tamen infrequens sum vocum latinarum, quas subcisiuo atque tumultuario studio colo, vt hanc ignorem interpretationem vulgariam, quòd esse dicantur manubiæ præda. Sed quæro an M. Tullius verborum homo diligentissimus, in oratione quam dixit de lege agraria, Calendis Ianuarii contra Rullum, inani & illepida geminatione iunxerit manubias, & prædam: si duo hæc verba idem significant, neque vlla re aliqua dissidẽt. Atque, vt erat Phauorinus egregia quadam vel diuina memoria, verba ipsa M. Tullii statim dixit: ea nos adscribimus hic, Prædam, manubias, sectionem, castra denique Cn. Pompeii, sedẽte Imperatore, Decemuiri vendent. Et infra itidem duo hæc simul iunctim posita dixit, Ex præda, ex manubiis, ex auro coronario. Ac deinde ad eum conuertit, qui manubias esse prædam dixerat. Et videtur ne tibi, inquit, vtroque in loco M. Cicero duobus verbis idem, sicuti tu putas, significantibus inepte & frigide esse vsus? ac tali ioco dignus, quali apud Aristophanem facetissimum comicorum Euripides AEschylum insectatus est? cum ait,

Manubiæ. Subcisiuũ studium.

Δὶς ταὐτὸν ἡμῖν εἶπεν ὁ σοφὸς Αἴσχυλος,
Ἥκω γὰρ εἰς γῆν φησὶ, καὶ κατέρχομαι.
Ἥκω δὲ ταυτόν ἐστι τῷ κατέρχομαι.
Νὴ τὸν δί', ὥσπερ εἴ τις εἴποι γείτονι,
χρῆσον σὺ μάκτραν, εἰ δὲ βούλει, κάρδοπον.

Nequaquam vero, inquit ille, talia videntur, quale est μάκτρα καὶ κάρδοπος: quæ à poetis vel oratoribus Græcis nostrisque, celebrandæ & ornandæ rei gratia, duobus eadẽ pluribúsve nominibus frequentantur. Quid igitur, inquit Phauorinus, valet hæc repetitio instauratióque eiusdem rei sub alio nomine, in manubiis, & in præda? num ornat, vt alioqui solet, orationem? num eam modulatiorem aptiorémque reddit? num onerã-

di,vel exprobrandi criminis causa, exaggerationem aliquam speciosam facit? Sicuti in libro eiusdem M. Tullii,qui de constituendo accusatore est, vna eadémque res pluribus verbis vehementer atque atrociter dicitur:Sicilia tota,si vna voce loqueretur,hoc diceret, Quod auri,quod argenti,quod ornamentorum in meis vrbibus, sedibus, delubris fuit. Nam cum vrbes totas semel dixisset,sedes,delubráque addidit:quæ sunt ipsa quoque in vrbibus. Item in eodem libro simili modo, Siciliam,inquit,prouinciam C.Verres per triennium depopulatus esse,Siculorum ciuitates vastasse,domos exinanisse,fana spoliasse dicitur.Ecquid videtur cum Siciliam prouinciam dixerit, atque etiam insuper ciuitates addiderit,domos etiam & fana,quæ infra posuit, comprehendisset: verba hæc item multa atque varia,depopulatus esse,vastasse,exinanisse,spoliasse, nonne vnam & eãdem vim in sese habent?Sane:sed quia cum dignitate orationis,& cum graui verborum copia dicuntur,quanquam eadem fere sint,& ex vna sententia cooriãtur, plura tamen esse existimantur,quoniam & aures & animum sæpius feriunt. Hoc ornatus genus in crimine vno vocibus multis atque sæuis extruendo,ille iam tunc M. Cato antiquissimus in orationibus suis celebrauit:sicuti in illa quæ inscripta est, De decem hominibus,cum Thermum accusauit,quòd decem liberos homines eodem tempore interfecisset, hisce verbis eandem rem omnibus significantibus vsus est:quæ quoniã sunt eloquentiæ latinæ tunc primum exorientis lumina,verba quædam sublustria,libitum est ea mihi ἀπομνημονεῦσαι. Tuum nefarium facinus peiore facinore operire postulas: succidias humanas facis: decem funera facis, decem capita libera interficis: decem hominibus vitam eripis indicta causa, iniudicatis, indemnatis. Item M.Cato in orationis principio,quam dixit in Senatu pro Rhodiensibus,cum vellet res nimis prosperas dicere,tribus vocabulis idẽ sentientibus dixit. Verba eius hæc sunt,Scio solere plerisque hominibus in rebus secundis atque prolixis atque prosperis animum excellere,atque superbiam atque ferocitatem augescere.Itidem Cato ex Originum septimo,in oratione,quam contra Ser.Galbam dixit,compluribus vocabulis super eadem re vsus est,Multa me dehortata sunt huc prodire,anni,ætas,vox,vires,senectus:verum enimuero cum tantam Remp.agier arbitrarer. Sed ante omneis apud Homerũ eiusdem rei atq; sententiæ luculenta exaggeratio est,

Succidiæ.

Prolixa.

ἕκτορα δ' ἐκ βελέων ὕπαγε Ζεύς, ἔκ τε κονίης,
ἔκ τ' ἀνδροκτασίης, ἔκ θ' αἵματος, ἔκ τε κυδοιμοῦ.

Item alio in versu,

ὑσμῖναί τε μάχαι τε, φόνοι τ', ἀνδροκτασίαι τε.

Nam cum omnia ista vtrobiq; multa & continua nomina nihil plus demonstrent q̃ prælium,huius tamẽ rei varia facies delectabiliter ac decore multis variisque verbis depicta est. Neque non illa quoque apud eundem poetam,vna in duobus verbis sententia cum egregia ratione repetita est. Idæus enim cum inter Aiacem & Hectorem decertantes armis intercederet,his ad eos verbis vsus est,

μηκέτι παῖδε φίλω πολεμίζετε μηδὲ μάχεσθον.

In quo versu non oportet alterum videri verbum,idem quod superius significãs,supplendi numeri causa extrinsecus additum & consarcinatum. Est enim hoc inane admodum & futile. Sed cum in iuuenibus gloriæ studio flagrantibus, peruicaciam ferociãque & cupidinem pugnæ leniter tamen ac placide obiurgaret:atrocitatem rei & culpam perseuerandi,bis idem dicendo,alio atque alio verbo auxit inculcauitque: duplexque eadẽ compellatio admonitionem facit instantiorem. Nec illa quidem eiusdem significationis repetitio ignaua & frigida videri debet,

μνηστῆρσιν δ' ἄρα Τηλεμάχῳ θάνατόν τε μόρον τε ἤρτυον.

ꝙ bis idem dixerit θάνατον καὶ μόρον. Indignitas enim moliendæ tam acerbæ támque iniustæ necis,miranda mortis iteratione defleta est. Cæterum quis tam obtuso ingenio est,qui non intelligat πολεμίζετε, καὶ μάχεσθον, verba idẽ duo significantia nõ frustra posita esse: vt illa quoque, βάσκ' ἴθι οὖλε ὄνειρε, καὶ βάσκ' ἴθ' Ἶρι ταχεῖα. neq; ἐκ παραλλήλου, vt quidam putant:sed hortamentum esse acre,imperatæque celeritatis. Verba quoque illa M. Ciceronis in L.Pisonem trigemina, etiam si duræ auris hominibus non placent, non venustatem modo numeris quæsiuere, sed figuram, simulationeq; oris pluribus simul vocibus verberauerunt. Vultus denique,inquit,totus,qui sermo quidam tacitus mentis est,hic in fraudem homines impulit:hic eos,quibus erat ignotus,decepit, fefellit,induxit. Quid igitur simile est,inquit,apud eundem in præda & manubiis? Nihil profecto

istiusmodi.nam neque ornatius fit additis manubiis,neque exaggeratius modulatiusve. Sed aliud omnino præda est,vt in libris rerum verborûmq; veterum scriptum est, aliud manubiæ. Nam præda dicitur corpora ipsa rerum,quæ capta sunt: Manubiæ vero appellatæ sunt pecunia à Quæst.ex venditione prædæ redacta. Vtrunque ergo dixit M.Tullius cumulandæ inuidiæ gratia,Decemuiros ablaturos,persecuturósq; prædam quæ nõdum esset vænundata,& pecuniam quæ ex venditione prædæ percepta esset. Itaque hæc inscriptio,quam videtis,Ex manubiis,non res corporáque ipsa prædæ demonstrat:(Nihil enim captum est horum à Traiano ex hostibus)sed facta esse hæc, comparatâque ex manubiis,id est ex pecunia prædatitia,declarat.Manubiæ enim sunt,sicuti iam dixi,nõ præda,sed pecunia per Quæst.Pop.Rom.ex præda vendita cõtracta.Quod per Quæst. autem dixi,intelligi nunc oportet Præfectum ærario significari.nã cura ærarii à Quæst. ad Præfect.translata est.Est tamen nõnusquam inuenire ita scripsisse quosdam nõ ignobiles scriptores,vt aut temere aut incuriose prædã pro manubiis, & manubias pro præda posuerint:& tropica quadam figura mutationem vocabuli fecerint. Quod facere concessum est,scite id periteq; facientibus.Sed enim qui proprie atque signate locuti sunt,sicuti hoc in loco M.Tullius,manubias pecuniam dixerunt.

Præda. Manubiæ. Quæstor Præfectús ærarij.

ASCEN. Certum est accẽtum quo nunc vtimur Valerij accentũ prædominantẽ habere in secũda, & Valeri in prima,aut in vltima in car.sicut Horat.in sermon.Valeri genus.& in carminibus,Quàm tibi Virgili,accẽtu in prima protulit Virgili.Nam vbi penultima est breuis,accẽtus est in antepenultima quãtacũque fuerit.vnde docui accentus est in prima,docuimus in secunda,docuerimus in tertia. Sed videtur antiqui genitiuo non plures syllabas dedisse quàm vocatiuo,accẽtu tamen discreuisse, quod Nigidius docet.Communiter autem loquentes genitiui accẽtum seruant,quia fere i,geminant.vnde in Valerij, Quintilij, Ambrosij,Fabricij,Sulpitij,Mauricij,Virgilij,& similibus bene secundam acuunt, sed duas addũt sequentes:& quia non agnoscunt vtrum longa sit natura,an solo accentu, eandem secundam in vocatiuo acuunt contra præceptum Nigidianum,& contra artem:non tamen,vt Gellius inquit,contra consuetudinem,quam in hac re non sequar:sed quoties penultima est longa,eam acuero. vt Antoni,Corneli,Polydore:quoties breuis,tertiam à fine:vt in omnibus suprapositis primam in vocatiuo,& secundam in cæteris casibus.Et similiter antepenulti.in Deiotarus,Origenes &c.

Verba P.Nigidii,quibus dicit,in nomine Valeri in casu vocandi,primam syllabam acuendam esse.Et item alia ex eiusdem verbis ad rectam scripturam pertinentia.

CAPVT XXIIII.

PVb.Nigidii verba sunt,ex commentariorum grammaticorum XXIIII, hominis in disciplinis doctrinarum omnium præcellentis. Deinde,inquit,voculatio qui poterit seruari,si non sciemus in nominibus, vt Valeri,vtrum interrogandi,an vocandi sint? Nam interrogandi secunda syllaba superiore tono est quàm prima:deinde nouissima deiicitur. At in casu vocandi summo tono est prima:deinde gradatim descendunt. Sic quidem P.Nigidius dici præcipit.Sed si quis nunc Valerium appellans,in casu vocandi secundum id præceptum Nigidii acuerit primam,non aberit quin rideatur.Summum autem tonũ προσῳδίαν acutam dicit:& quem accentum nos dicimus,voculationem appellat:& casum interrogandi eum dicit,quem nũc nos genitiuum dicimus.Id quoque in eodem libro Nigidiano animaduertimus,Si huius,inquit,amici,vel huius magni scribas,vnum i,facito extremum:sin vero hi magnei,hi amicei casu multitudinis recto,tum ante i,scribẽdum erit e.atque id ipsum facies in similibus.Item si huius terrai scribas,i litera sit extrema:si huic terræ,per e,scribendum est.Item mi qui scribit in casu interrogandi, velut cum dicimus mi studiosus,per i,vnum scribat non per e:ac cum mei,tum per e, & i,scribendum est,quia dandi casus est.Hæc nos authoritate doctissimi hominis adducti, propter eos qui harum quoque rerum scientiam quærunt,non prætermittenda existimauimus.

Valerij. Valeri. Voculatio Casus interrogãdi. Ei in plurali secundæ. Mi & mei

ASCEN. Quos authores & quàm feliciter imitatus sit Virgilius, nemo prolixius explicat ac Macrobius in Satur.præcipue ad calcem.

De versibus quos Virgilius sectatus videtur,Homeri ac Parthenii. CAP. XXV.

Virg.loe.

PArthenii poetæ versus est,

γλαύκῳ, καὶ νηρῆϊ, καὶ εἰναλίῳ μελικέρτῃ.

Eum versum Virgilius æmulatus est.Itaque fecit duobus vocabulis venuste immutatis parem,

Glauco,& Panopeæ,& Inoo Melicertæ.

Sed illi Homerico non sane rem parem neque similem fecit, esse enim videtur Homeri simplicior & syncerior: Virgilii autem νεωτερικώτερος, & quodam quasi ferrumine immisso fucatior.

ταῦρον δ' Ἀλφειῷ, ταῦρον δὲ Ποσειδάωνι. Virg. sic,

Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo.

ASCEN. Tum multa alia: quia paria non sunt (sequitur enim tum vel maxime) legam cum multa &c. De Pancratiaste supra diximus: & habet Calepinus non indigna scitu. "

De sententia Panætii philosophi quam scripsit in libro de Officiis secundo, qua hortatur vt homines ad cauendas iniurias in omni loco intenti paratique sint.

CAPVT XXVI.

L Egebatur Panætii philosophi liber de officiis secũdus, ex tribus illis inclytis libris, quos M. Tullius magno cum studio, maximoq; opere æmulatus est. Ibi scriptum est, cum multa alia ad bonam frugem ducentia, tũ vel maxime quod esse hærereque in animo debet. Id autem est ad hanc ferme sententiam, Vita (inquit) hominum, qui ætatem in medio rerum agunt, ac sibi suisque esse vsui volunt, negotia periculaque ex improuiso assidua, & prope quotidiana fert. Ad ea cauenda atque declinanda perinde esse oportet animo semper prompto atque intento, vt sunt athletarum, qui Pancratiastæ vocantur. Nam sicuti illi ad certandum vocati, proiectis alte brachiis consistunt, caputque & os suum manibus oppositis quasi vallo præmuniunt, membraque eorum omnia prius quàm pugna mota est, aut ad vitandos ictus cauta sunt, aut ad faciendos parata: ita animus atque mẽs viri prudentis, aduersus vim & petulantias iniuriarum, omni in loco atque in tempore prospiciens debet esse, erecta, ardua, septa, solida, expedita, nunquam conniuẽs, nusquam aciem suam flectens: consilia, cogitationesque contra fortunæ verbera, contraq; insidias iniquorum, quasi brachia & manus protendens: nequa in re aduersa & repentina incursio imparatis improtectisque nobis oboriatur.

Panætius. Vitãda incommoda uitæ. Pancratiastæ.

ASCEN. Videtur Fronto quem adducit, is esse de quo Martialis, Clarum militiæ Fronto decusque togæ. Et Iuuenalis, Frontonis platani conuulsaque marmora clamant. Prouerbium hoc, in lente vnguẽtũ, vbi male legi solitũ μῦθον. i. fabulam, abunde explicat Beroaldus in Adnotationibus in varios cap. XIII. dicens in eos dictũ qui male consociantur, aut in ea quæ male coniunguntur. Lens enim legumen vile vnguentum nõ requirit, nec qui lente victitant. Vnde Tullius in quadam ad Atticum epistola hoc sale perfricuit Lentulum Clodiæ filium hominem insulsum, quasi lenticulam Quinto Metello Cretico & L. Flacco vnguẽto suauioribus in legatione adiunctũ. Dicit enim. Legati sunt Q. Metellus Creticus, & L. Flaccus, & τὸ ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον, Lentulus Clodiæ filius. cui prouerbio aptior ex hoc fuit locus quòd Lentuli nomẽ ab lente deducitur. Hoc etiã prouerbiũ festiuissime, vt cætera omnia, tractat doctissimus Erasmus adagio dcxxj. Chili. primæ. Idem Hermolaus ante dixerat, exponens quid sit apud Pliniũ lenticula. Legatur Cælius cap. xxvij. lib. iiij. multis explicans prouerbij causam. Idem in vltimo lib. cap. lj. ait, Oleũ est plãtis apprime infestum, & inimicum. Hinc prouerbium, Amicus nobis vt oleum plantis: de falso & perniciosso amico, qui propter morum feritatem nequit hominum communionem perpeti. Potest etiam vsurpari prouerbium. veluti in lente vnguentum, quod idem. xij. cap. lib. j. ait. Quandoquidem à Syris longe dissitus es μὴ σύριζε, ne plane fias ὄνος ἐν μύρῳ. i. non age Syrum ne plane fias asinus in vnguento.

In lente vnguentũ. Prouerbiũ

Quod Quadrigarius cum multis mortalibus dixit: an quid & quantum differret si dixisset cum multis hominibus. CAPVT XXVII.

V Erba sunt Claudii Quadrigarii ex Annalium eius XIII. Concione dimissa Metellus in Capitolium venit cum multis mortalibus. Inde cũ domum proficiscitur, tota ciuitas eum reduxit. Cum is liber eaque verba M. Frontoni, nobis ei ac plerisque aliis assidentibus, legerentur: & cuidam, haud sane viro indocto, videretur multis mortalibus pro hominibus multis inepte frigideque in historia, nimisque id poetice dixisse: tum Fronto illi, cui hoc videbatur, An tu, inquit, aliarum homo rerum iudicii elegantissimi, mortalibus multis ineptum tibi videri & frigidũ dicis? Nil autem arbitrare causæ fuisse, quòd vir modestus, atq; puri & prope quotidiani sermonis, mortalibus maluit, quàm hominibus dicere? eandemque credis futuram fuisse multitudinis demonstrationem, si cum multis hominibus, ac non cum multis mortalibus diceret? Ego quidem, inquit, sic existimo: nisi me scriptoris istius, omnisque antiquæ orationis amor atque veneratio cæco esse iudicio facit: longe lateque esse amplius, prolixius, fusius in significanda totius

Quadrigarij verba. Fronto. Mortales pro eo quod est homines.

Multi homines. Multi mortales. prope ciuitatis multitudine, mortales quàm homines dixisse. Nanq; multorū hominū appellatio intra modicum quoq; numerū cohiberi atque includi potest, Multi autē mortales nescio quo pacto & quonam sensu inenarrabili omne fere genus, quod in ciuitate est, & ordinum, & ætatum, & sexus comprehendunt. Quód scilicet Quadrigarius (ita vt res erat) ingentem atque promiscuam multitudinem volens ostendere, cum multis mortalibus Metellum in Capitolium venisse dixit ἐμφατικώτερον, quàm si cum multis hominibus dixisset. Ea nos omnia quæ Fronto dixit, cum ita vt par erat, non approbantes tā tum, sed admirantes quoque audiremus: Videte tamen, inquit, ne existimetis semper atque in omni loco mortales multos, pro multis hominibus dicendum: ne plane fiat græcum illud de Varronis Satyra prouerbium, τὸ ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον. Hoc iudicium Frontonis etiam in paruis minutisque vocabulis, non prætermittendum putaui, ne nos forte fugeret lateretque subtilior huiuscemodi verborum consideratio.

ASCEN. Animaduertere est. hoc genus dicēdi vt ineptum dānat in Raudensem Valla, sed immerito. Idem definiens quid inter vultum & faciem intersit, cum vultus voluntatem & animi affectionē indicet: & ob id mutari possit: Facies autem facturam & effigiem naturalem, quæ non tam subito mutatur: non longe discrepat ab huius capitis sententia. Nam etiam pro totius corporis, immo maris aspectu capi fatetur. Vnde Virg. AEneid. v. Quibus aspera quondam Visa maris facies. Cælius. ij. lib. cap. xxxij. vocat Prosopon facies. πρόσωπον, idque ait esse quod est inter caput & collum hominis. Prosodion signare ait letaniam siue sup Prouerb. plicationē lib. iij. cap. iij. Idem Cælius lib. vlti. cap. vj. Prouerbij meminit: Prosopion habet non prosopon: quod in fucatā cōcinnatur mulierem, quæ tectorijs facile ita non aliud videtur quàm personata. Sic enim crassantē senectutē velant & oris deformitatē. Placet quod ē Lucillio transtulit epigrāma supponere. Caput quidē inficis, at seniū inficies nunquā: nec genarum rugas erugabis quandoque. Non igitur faciem totam psimytho collinas Ne personam haberi videare, non faciem. Nisi siquidem est amplius. quid furis? Nunquā fucus & psimythus Hecubā reddiderit Helenā. Vertit Cælius πρόσωπον in faciē, & προσωπεῖον in personā. Quod si verum est, non videtur debuisse interpres ponere personā: eo contentus quod author apposuerat. Iulio siquidē teste lib. ij. de vocabulis rerum, prosopon dicunt quod est fronti subiectū (addit Cælius). i. faciem: sed in homine tantum fere: nam ne in reliquis, inquit, nuncupatur protome. Sicut in auibus rhyncos & rhamphos. Et προσωπεῖον, prosopion, quod mormolycion inquit, signat: quæ est persona: sed & prosopon quoque vocatur & prosopis, ait Cælius. Hæc illi. Addit Mas. Versus Plautini ne claudicent, ita sunt reponendi. Pœnus. Sed earum nutrix, qua sit facie mihi expedi. Mil. Statura haud magna, corpore Aquilo. Pœn. ipsa east. Mil. Specie venusta, ore atque oculis pernigris. In secūdo quoque versu legi potest, non, vt habet Gellii codex: quod facile perspiciet qui iambici versus naturam nouerit.

Non hac tenus esse faciem, qua vulgo dicitur. CAPVT XXVIII.

Facies. Animaduertere est pleraque verborum latinorum ex ea significatiōe in qua nata sunt decessisse, vel in aliam longe, vel in proximam: eáque decessionem factam esse consuetudine & inscitia temere dicentium, quæ cuiusmodi sint, non didicerint. Sicuti quidam FACIEM esse hominis putant, os tantum, & oculos, & genas, quod Græci πρόσωπον dicūt. Quādo FACIES sit forma omnis, & modus, & factura quædā corporis totius, à faciēdo dicta, vt ab aspectu species, & à fingendo figura. Itaque Pacuuius in Tragœdia, quæ Niptra inscribitur, faciem dixit hominis pro corporis longitudine,

„ AEtate, inquit, integra, feroci ingenio, facie procera virum.

Nó solum autē in hominum corporibus: sed etiā in rerum cuiusq; modi aliarū facies dicitur. Nā mōtis, & cæli, & maris facies, si tēpestiue dicatur, probe dicitur. Sallustii ver- „ ba sunt ex historia secunda, Sardinia in Africo mari, facie vestigii humani, in orientem „ quàm in occidentem latior prominet. Ecce autē id quoq; in mentem venit, ꝙ etiā Plautus in Pœnulo, faciē pro totius corporis colorisq; habitu dixit. Verba Plauti hæc sunt.

„ Pœn. Sed earum nutrix, qua sit facie mihi expedi.
„ Mil. Statura haud magna, corpore aquilo. Pœn. Ipsa east.
„ Mil. Specie venusta, ore paruo, oculis pernigris.
Pœn. Formā quidē hercle verbis depinxit probe.

Præterea memini Quadrigariū in XIX faciem pro statura, totiusque corporis figura dixisse.

Intentio. ASCEN. Tuam intentionē, id est dicendi continuationem & vim. raro autem admodū, vt etiā Sulpitius Verulanus adnotauit, inuenitur apud idoneos intētio pro instituto aut proposito. Apud Mnestheū. Prādiū caninum. sunt qui legāt Mnesitheū. De prandio canino Baptista Pius in quintum Lucretij longe dissentiens ab Aulo Gellio multa profert. inter quæ ait prandium caninum signare aliquem effectum qui per vinū mediū fieret, intelligique famem cynicam vino medio sedari, & alia quæ parū prouerbij nodū explicāt. Hæc ta-

mẽ ex illius dictis eruere licet:caninũ prandiũ abstemiũ innuit:nõ tã ob canes qui proprie non prãdẽt,q̃ ob Cynicos qui pane & aqua victitabant.Sed enim Diogenes Xenidæ domini sui filios instituit, & ipse gutto ad aquæ haustũ vti solitus ipsum abiecisse dicitur cũ puerum id manu factitantẽ vidisset.Cælius au tem antiquarũ Lectionũ lib.xv.cap.xxv.scribit quæ nõnihil ad rẽ faciunt,sic Pithœgia,inquit Proclus, festũ veteribus erat quo in vini participatũ & seruos aduocabant & mercenarios:relinebãtur enim(id est re serabãtur)tunc primũ dolia.proinde facta re diuina Dionysiaci doni cõmunicatio omnibus patebat.Vide cætera.vbi ad mediũ vsque doliũ exhaurire licuisse docet:medio autẽ parcẽdũ fuisse, forte quòd illic optimũ sit vinũ:sic mel in fundo:& oleum in summo vt ibidem prosequitur.Medium ergo vinũ seruis & mercenarijs caninũ.i. abstemiũ prandiũ indicebat. sed quia hic mediũ vinum,nõ à loco,sed à tẽpore seu ætate dicitur,& efficere pepsin.i.concoctionẽ,atque idcirco esse potui ineptũ:ideo recte exponi videtur, vbi nõ sit nisi vinum mediũ,esse prandiũ caninũ.i.abstemiũ:siue prooter cynicos,siue propter canes qui cum dominis prandẽt:sed nõ bibũt præsertim vina,quibus oblatis aufugiũt.Vide Macrob.Satur.vij. Addit Mase. Pithœgia festũ Bacchi quo solebãt antiqui dolia relinere,& amicis præbere potũ.Nã πίθος dicitur doliũ. Nostrates Martinalia his cõferũt,me iudice,citra religionẽ plerũque.Cælius autẽ legendus est ca. xxxix. lib.xiij.vbi agit de fame canina siue bulimia,& canino prandio.Itẽ cap.xxxij.lib.xij.vbi docet colorẽ giluũ à Seruio dici melinum:quo perpẽso vinũ giluũ hic dictũ appellari potest melinũ,quod dicitur mediũ: & forte scriptũ reliquit Gellius sic,Nonne vides apud Mnestheũ tria genera esse vini:nigrum, album,melinum,quod vocãt κίῤῥον.i.giluum.Nam sic habetur vinorum discretio ex coloribus.Aliud autẽ est quod subiungitur,Nouum,vetus,& medium.Tu quod videtur optimum accipe.Non enim dubito colorẽ melinum esse medium.Addo(inquit Mas.)illud ex Erasmo secunda Chil. Nephalium sacrum dici vbi aqua solum adest: sic dici posset nephalium prandium, vbi nihil est vini.Hæc Maserius argute collegit:in cuius sententiam quæ est de melino colore,facile discedo:nam μηλὶς color quidam:& si Gellius bis mediũ dixisset,distinxisset vbi subiunxit medium esse prandium caninum:medium inquam inter nouum & vetus: quod nihili facit,non nihili facturus medium inter album & nigrum:quod multis in primo precio est. recte igitur melinum,id est giluum dixit : quod & coniunctio vero comprobat cum dicitur , medium vero &c.quasi in superiori nihil de medio,sed tantum de Melino dictum sit.

Pithœgia.

Nephaliũ sacrum.

Quid sit in Satyra M.Varronis caninum prandium. CAPVT XXIX.

Laudabat vẽditabatq; se nuper quispiã in libraria sedens, homo inepte gloriosus,tanquam vnus esset sub omni cælo Satyrarũ M. Varronis enarrator quas partim Cynicas,alii Menippæas appellãt : & iaciebat inde quædã nõ admodũ difficilia:ad quæ coniicienda adspirare posse neminẽ dicebat.Tũ forte eũ ego librũ ex iisdẽ satyris ferebam,qui ὑδροκρύων inscriptus est. Propius igitur accessi,Et nosti,inquã, magister verbũ illud scilicet vetus,Egregiã musicã,quæ sit abscondita,eã esse nulli rei?Oro ergo te,legas hos versus pauculos: & prouerbii istius, quod in his versibus est,sententiã dicas mihi.Lege,inquit,tu mihi potius,quæ nõ intelligis,vt ea tibi ego enarrem.Quonã,inquam,pacto legere ego possum,quæ nõ adsequor? Indistincta nanq; fient & cõfusa quæ legero,& tuã quoq; impedient intentionẽ.Tũc aliis etiã qui ibi aderant,cõpluribus idẽ cõprobantibus desiderantibusq;,accipit à me librũ veterẽ fidei spectatæ luculente scriptũ.accipit autẽ incõstãtissimo vultu & mœstissimo. Sed quid deinde dicã?Non audeo hercle postulare,vt id credatur mihi. Pueri in ludo rudes,si eum librũ accepissent,non ii magis in legendo deridiculi fuissent.ita & sententias intercidebat,& verba corrupte pronũciabat. Reddit igitur mihi librũ multis iam ridentibus: Et vides,inquit,oculos meos ægros,assiduisq; lucubrationibus prope iam perditos ? vix ipsos literarũ apices potui cõprehendere.Cum valebo ab oculis reuise ad me,& librũ istũ tibi totum legam.Recte,inquam,sit oculis magister tuis.Sed in quo illis nihil opus est, id rogo te dicas mihi,Caninũ prandiũ in hoc loco,quẽ legisti,quid significat? Atque ille egregius nebulo,quasi difficili quæstione perterritus,exurgit statim:& abiens, Non, inquit,paruã rẽ quæris:talia ego gratis nõ doceo. Eius autem loci , in quo id prouerbiũ est, verba hæc sunt,Non vides apud Mnestheũ scribi,tria genera esse vini?nigrũ,album, melinum quod vocãt κίῤῥον:& nouũ,vetus,mediũ.& efficere nigrũ vires , albũ vrinã, melinum πέψιν : nouũ refrigerare,vetus calefacere,mediũ vero esse prãdium caninum. Quid significet prandium caninũ,rem leuiculã diu & anxiè quæsiuimus . Prandiũ autẽ abstemiũ,in quo nihil vini potatur,caninũ dicitur:quoniã canis vino caret. Cũ igitur mediũ vinũ appellasset,quod neq; nouum esset neq; vetus , & plerunq; homines ita loquantur, vt omne vinum,aut nouum esse dicant aut vetus :nullam vim habere significauit neque noui neq; veteris,quod medium esset.Idcirco pro vino non habendum,quia neque refrigeraret,neque calefaceret.Refrigerare id dicit,quod græce dicitur ἀναψύξαι.

Hydrocryon.

Vini genera.

Prãdiũ caninum.

abstemiũ.

ASCEN.Hunc lib.xiij.Angel.Politianus cap.xlj.Miscel.dicit esse.xv.In cuius pri.cap. titulo.Facta se hominum:lego fata:nã facta sua fere noscunt homines, futura ignorãtes: neque si Genethliaci facta re

petũt vt ex illis futurorũ fidẽ emereantur:tamẽ ea cõsulentes non exquirunt: sed fata impendentia: quia vt cecinit Maro,Nescia mens hominũ fati sortisque futuræ.Genethliaci autem sunt qui ex die natali hoc est ex horoscopo diei natalis hominũ fata & vitæ cursum pronũciant: quo munere Chaldæi præter cæteros fũgebãtur.vnde futurorũ calculationẽ Horatius Babylonios numeros vocauit Car.j.Ode.xj.Nec Babylonios tẽtaris numeros.Augu.vt Pius cap.lix.Annota.posteriorum auctor est,vocat Astrologos planetarios.In totum hoc genus acriter disputat Ioannes picus Mirandula Phœnix seculi sui in eruditione habitus.Quæ futura sunt. melius igitur facta in titulo legas.Quoad eius. sic ad Herenniũ: Quoad eius fieri poterit.Tantæ venustatis non esse:legã potius vetustatis.vult enim paulo ante excogitatam. Pius tamẽ dicto loco venustatis legit:malũ vt nos exẽplar nactus.vbi & hoc dicit,AEruscatores diuinaculos & ariolos dicũt,qui diuinãdo æra colligũt & corradũt,fallacijsque æs lucrantur. Illud enim est æruscare, fallacijs æra colligere:qua furatrina callidissima arioli vtuntur.Põpeius autẽ de hoc verbo ita sensit. AEruscare,æra vndique.i.pecunias colligere.Senescit.i.more senũ humore diminuitur:adolescitque.i.more adolescentiũ humore impletur & crescit.Omnia rerũ humanarũ.i.omnes res humanas. Notãda est mutatio generis:quia Alexãder dicit,Solius est generis adiectiuum,variatque Cum numero casum. sed in collectiuis nõ seruatur necessario genus,vt optimus plebis.Nimis quàm ineptũ.i.vltraquã satis sit. & est venusta locutio.Tolli enim repete ait.Et certe deus quia cũcta videt græce theos: quia prouidet quandoque latine prouidẽtia dicitur.At vt iã citaui,Nescia mens hominũ fati &c.Per autẽ &c.Perinconsequens. i. valde inconsequens sup.est.Plures planetas agnoscere difficile sit:nisi extra zodiacũ ad antarcticũ ponantur. at fixas nihil ad rerũ euenta facere verosimile nõ est:nõ fuerit igitur satis septẽ planetas obseruasse. Omniũ rerũ fatales,ergo fata in titulo leges.Cẽtesimo abhinc seculo:putauit itaque mundũ iã tũ mille annos perdurasse & amplius.Et arbitria,in quæ cælũ nihil potest,quippe vir prudẽs dominatur astris.Alueolo.Pyrgũ vocat Horatius,galli simile quid tabulatũ vocãt,in cuius alueo tessellis luditur.Fatũ accipit, ergo fata in titulo legendũ. Hiantibus terris &c.Magnũ cõtra argũmentũ. sed dicẽt vim & casum à fato & natura differre,se autẽ indicare quid fata pararẽt,si natura nulla vi à statione sua depelleretur.Pars ea nõ fit millesima,id stomachose & vix credibiliter dictũ.nã si dimidiũ eorũ quæ dicerẽt verum esset, non propterea esset eis credẽdũ. Omne enim euentũ bifariã diuidi potest.aut enim eueniet,aut nõ eueniet. Quocirca verosimile est posse plura vera dicere quàm falsa, cum ex loquela & moribus physonomia & ex temporis qualitate nonnulla coniectare possint.AEquiparent, subaudi se: more quo veteres quæ per latentem aut intraneã actionẽ fierent actiua voce dicebant,quæ nos nũc passiua,vt, Et iã nox humida cælo Præcipitat videlicet se,vnde nunc diceremus,Præcipitatur,& AEquiparantur. Itẽ Accianũ illud.Nihil credo &c.frustra additur inquit,quia inquit,nõ est Accianũ,sed Gellianũ,quo illic nihil est opus.Deflorauerit.quasi delibauerit & diminuerit minusque gratũ fecerit, vt minus grata est puella aut res alia deflorata. Addidit Mas.Ab Augustino dãnantur maxime hi,Genethliaci,Chaldæi,mathematici, planetarij, & inanes vanique astrologi lib.primo de doctrina Christiana, & lib. Confessionũ.iiij.& in libello de Natura dæmonũ. Hi enim è cælo dierũ felicitatẽ & horarũ putant quærendã.Cælius addit Albumasaris dictum inane.Qui Luna(inquit)Ioui coniuncta cum capite draconis deo supplicauerit,quicquid petierit proculdubio impetrabit. Cui Petrus Aponensis subscripsit.Ab his nos deterrent Moses, Hieremias, Augustinus, Basilius, Infelix quoque Zoroastris exitus,finisque Pompeij magni miserrimus,cum hic esset huius vanitatis obseruantissimus,ille rerum celestium ad magiam vsque peritissimus. Cælius multis in locis huius meminit capitis,lege ipsum.Item D.Augustinum cap.v.lib.v.de Ci.afferentem argumenta & rationes quibus mathematici scientiæ vanitatem fateri cogantur.Is contra Posidonium & Nigidium disputat eorum obiecta refellens,& in sequentibus capitulis. Ad illud autẽ quod post mediũ capitis huius habetur de neurobatis dicit Cælius ca.xvj.lib.quarti,Meminit & Gellius quodã loco in noctibus Atticis,sed maxime vitiato codice.Nam legitur modo neurobapha.vbi docet idẽ neurospasta legẽdũ. hic tamẽ(inquit Mas.) habeamus neurobata.Sunt autem statuæ ludicræ quarũ mẽbra mouẽt ludiones, motis quibusdã neruis aut filis quæ intus latitant.Videntur enim per se moueri,cũ sint qui ceruicẽ torqueant,moueãt oculos aut aliud filo tracto aut laxato.In cuius vocabuli expositione argutius & aptius quàm Mosellanus loquitur.

AEruscatores. AEruscare. Neurobata.

AVLI GELLII NOCTIVM ATTICARVM COMMENTARIORVM, LIBER XIIII.

Dissertatio Phauorini philosophi aduersus eos qui Chaldæi appellantur, & ex cœtu motibusq; siderũ & stellarũ fata se hominũ dicturos pollicẽtur. CAPVT I.

Chaldæi Genethliaci impugnantur.

ADVERSVM ISTOS, qui se Chaldæos seu Genethliacos appellant, ac de motu, deque positu stellarum dicere posse, quæ futura sunt, profitentur: audiuimus quondam Phauorinum philosophum Romæ græce disserentem egregia atque illustri oratione: exercendi ne aut ostentandi gratia ingenii, an quòd ita serio iudicatoque existimaret, non habeo dicere. Capita autem locorum argumentorumq;,quibus vsus est,quoad eius meminisse potui,egressus ibi ex auditione propere annotaui. Eaque fuerunt ad hanc ferme sententiam. Disciplinam istã Chaldæorum tantæ vetustatis non esse,quãtæ videri vo

sunt. neque eos principes eius authoresque esse quos ipsi ferant: sed id præstigiarum atque offuciarum genus commentos esse homines æruscatores, & cibum quæstumque ex mendaciis captantes: atque eos quoniam viderent terrena quædam inter homines sita, cœlestium rerum sensu atque ductu moueri: quale est, quòd oceanus quasi lunæ comes cum ea simul senescit adolescitque: hinc videlicet sibi argumentum ad persuadendum parauisse, vt crederemus omnia rerum humarum, & parua & maxima, tanquam stellis atque sideribus euincta duci & regi. esse autem nimis quàm ineptum absurdumque, vt quoniam æstus Oceani cum lunæ curriculo congruit, negotium quoque alicuius quod ei forte de aquæductu cum riualibus, aut de communi pariete cum vicino apud iudicem est, vt existimemus id negotium quasi habena quadam de cælo vinctum gubernari. Quod etsi vi & ratione quapiam diuina fieri potest, nequaquam tamen id censebat in tã breui exiguoque vitæ spatio, quantouis hominis ingenio comprehendi posse & percipi. Sed coniectari pauca quædam, vt verbo ipsius vtar, παχυμερέστερον nullo scientiarum fundo concepta, sed fusa & vaga & arbitraria, qualis lóginqua oculorum acies est, per interualla media caligantium. Tolli enim, quod maximum inter deos atque homines differt, si homines quoque res omneis post futuras prænoscerent. Ipsam deinde siderũ stellarumque obseruationem, quam esse originem scientiæ suæ prædicarent, haudquaquam putabat liquide consistere. Nam si principes Chaldæi qui in patentibus campis colebant stellarum motus, & vias, & discessiones, & coetus, intuentes quid ex iis efficeretur, obseruauerunt, procedat, inquit, hæc sane disciplina, sed sub ea modo inclinatione cæli sub qua tunc Chaldæi fuerunt. Non enim potest, inquit, ratio Chaldæorum obseruationis manere, si quis ea vti velit sub diuersis cæli regionibus. Nam quanta, inquit, partium circulorumque cæli ex deuergentia & conuexionibus mundi varietas sit, quis non videt? Eædem igitur stellæ per quas omnia diuina humanaque fieri contendunt, sicuti ne vsquequaque pruinas aut calores cient, sed mutant & variant, tempestatesque eodem in tempore alibi placidas, alibi violentas mouent: cur non euenta quoque rerum ac negotiorum, alia efficiunt in Chaldæis, alia in Getulis, alia apud Danubiũ, alia apud Nilum? Per autem, inquit, inconsequens, ipsum quidem corpus & habitum tam profundi aeris sub alio atque alio cæli curuamine non eundem manere: in hominum autẽ negotiis stellas istas opinari idem semper ostendere, si eas ex quacunque terra conspexeris. Præterea mirabatur id cuique pro præcepto liquere, Stellas istas quas à Chaldæis & Babyloniis siue AEgyptiis obseruatas ferunt, quas multi erraticas, Nigidius errones vocat: nõ esse plures quàm vulgo dicerentur. Posse enim fieri existimabat, vt & alii quidam planetæ pari potestate essent, sine quibus recta atq; perpetua obseruatio perfici non quiret: neque eos tamen cernere homines possent propter exuperantiam vel splendoris vel altitudinis. Nam & quædam, inquit, sidera è quibusdam terris conspiciuntur, earumque terrarum hominibus nota sunt: sed eadem ipsa ex omni terra alia non vidétur, & sunt aliis omnino ignotissima. Atque vt videmus, inquit, & has tantummodo stellas, & ex vna parte terræ obseruari debuisse: quæ tandem finis obseruationis istius fuit: & quæ tempora satis esse visa sunt ad percipiendum quid præmonstraret, aut cœtus stellarum, aut circuitus, aut transitus? Nã si isto modo cœpta fieri obseruatio est, vt animaduerteretur quo habitu, quaque forma, quaque positura stellarum aliquis nasceretur: tum deinceps ab ineunte vita, fortuna eius, & mores, & ingenium, & circunstantia rerum negotiorumque, & ad postremũ finis etiam vitæ spectaretur: eaque omnia, vt vsu venerant, literis mãdarẽtur: ac postea longis temporibus, cum ipsæ illæ eodem in loco, eodemque habitu forẽt, eadem cæteris quoq; euẽtura existimarentur, qui eodẽ illo tempore nati fuissent. Si isto, inquit, modo obseruari cœptum est, exque ea obseruatione cõposita quædam disciplina est: nullo id pacto potest procedere. Dicant enim quot tandem annis, vel potius quot seculis, orbis hic obseruationis perfici quiuerit? Constare quippe inter astrologos dicebat stellas istas quas erraticas dicerent, quæ esse omnium rerum fatales dicerentur, infinito prope & innumerabili numero annorum ad eundem locum cum eodẽ habitu simul omnes vnde profectæ sunt, regredi: vt neq; vllus obseruationis tenor, neq; memoriæ vlla effigies literarũ tanto æuo potuerint edurare. Atq; illud etiã cuiusmodi esset, considerãdum putabat: q aliud stellarum agmen foret, quo primum tẽpore cõciperetur homo in vtero matris: aliud postea cum in decem mensibus proximis in lucem ederetur. Quærebatque qui conueniret diuersam super eodem fieri demonstrationem, si, vt ipsi pu-

Stellæ erraticæ. Errones an septem tantum.

Stellarum reuolutio.

tarent, alius atque alius earundem stellarum situs atque ductus alias atque alias fortunas daret. Sed & nuptiarum tempore, ex quibus liberi quærerentur, atque ipso etiam illo maris atque fœminæ coitu iam declarari oportere dicebat, certo quodam & necessario stellarum ordine, quales, qualique fortuna homines gignerentur, ac multo etiã ante quàm pater ipse atque mater nascerentur, ex eorum genitura debuisse iam tum prospici, quinam olim futuri essent, quos ii creaturi forent, & supra longe atque longe per infinitum: vt si disciplina ista fundamento aliquo veritatis nixa est, centesimo vsque abhinc seculo, vel magis primo cœli atque mundi exordio, atque inde iam deinceps continua significatione, quoties generis authores eiusdem homines nascerentur, stellæ istæ præmonstrare debuerint, qualis, qualique fato futurus sit, quisquis hodie natus est. Quo autem, inquit, pacto credi potest vniuscuiusque stellarum formæ & positionis sortem atque fortunam, vni omnino homini certam destinatamque esse, eamque formam post longissima seculorum spatia restitui: si vitæ fortunarumque eiusdem hominis indicia, in tam breuibus interuallis per singulos maiorum eius gradus, perque infinitum successionum ordinem, tam sæpe ac tam multipliciter, eadem ipsa, non eadem stellarum facie, denotãtur? Quòd si id fieri potest, eaque diuersitas atq; varietas admittitur, per omneis antiquitatis gradus, ad significanda eorũ hominum qui post nascentur exordia: imparilitas hæc turbat obseruationem, omnisque ratio disciplinæ confunditur. Iam vero id minime ferendum esse censebat, quòd non modo casus & euenta quæ euenirent extrinsecus: sed cõsilia quoque hominum ipsa, & arbitria, & varias voluntates, appetitionesque & declinationes, & fortuitos repentinosque in leuissimis rebus animorum impetus, recessusq; moueri agitarique desuper è cælo putarent. Tanquam si forte ire in balneas volueris, ac dein de nolueris, atque id rursum volueris: non ex aliqua dispari variaque animi agitatione, sed ex necessaria quadam errantium siderum reciprocatione contigerit: vt plane homines, non quod dicitur λογικὰ ζῶα, sed ludicra & ridenda quædam νευρόϐατα esse videãtur: si nihil sua sponte, nihil arbitratu suo faciunt, sed ducentibus stellis & aurigantibus. Ac si, inquit, potuisse prædici affirmant, Pyrrhus ne rex, an Manius Curius prælio victurus esset: cur tandem non de alea quoque ac de calculis & aluecolo audeant dicere, quisnã ibi ludentium vincat? An videlicet magna sciunt, parua nesciunt? & minora maioribus imperceptiora sunt? Sed si magnitudines rerum sibi vendicant, magisque esse perspicuas, & facilius comprehendi posse dicunt, Volo, inquit, mihi respondeant, quid in hac totius mundi contemplatione præstantis naturæ operibus in tam paruis atque breuibus negotiis fortunisque hominum magnum putent? Atque id velim etiam, inquit, vt respondeant: si tam paruum atque rapidum est momentum temporis, in quo homo nascens fatum accipit, vt in eodem illo puncto sub eodem circulo cœli plures simul ad eandẽ competentiam nasci non queant: & si idcirco gemini quoque non eadem vitæ sorte sunt, quoniam non eodem temporis puncto editi sunt: Peto, inquit, respondeant, cursum illum temporis transuolantis, qui vix cogitatione animi comprehendi potest, quonam pacto aut consulto adsequi queant, aut ipsi perspicere & deprehendere: cum in tam præcipiti dierum noctiumque vertigine, minima momenta ingentes facere dicant mutationes? Ad postremum autem & quid esset quod aduersum hoc dici posset, requirebat: quòd homines vtriusque sexus omnium ætatum, diuersis stellarum motibus in vitã editi, regionibus sub quibus geniti sunt longe distantibus: omnes tamen isti aut hiantibus terris, aut labentibus tectis, aut oppidorum expugnationibus, aut eadem in naui fluctu obruti, eodem genere mortis, eodemque ictu temporis interirent? Quod scilicet, inquit, nunquam eueniret, si momenta nascendi singulis attributa, suas vnumquodque leges haberent. Quòd si quædam, inquit, in hominum morte atque vita etiam diuersis temporibus editorum, per stellarum pares quosdam postea conuentus, paria nonnulla, & consimilia posse dicuntur obtingere: cur non aliquando possint omnia quoque paria vsuuenire? vt existant per huiuscemodi stellarum concursiones & similitudines, Socrates simul & Aristones, & Platones multi genere, forma, ingenio, moribus, vita omni, & morte pari? Quod nequaquam, inquit, prorsus fieri potest. Non igitur hac causa probe vti queunt aduersum hominum impares ortus, interius pares. Illi autem condonare se iis dicebat, quòd non id quoque requirerent: si vitæ mortisque hominum, rerumque humanarum omnium tempus & ratio & causa in cælo, & apud stellas foret: quid de muscis aut vermiculis, aut echinis, multisque aliis minutissimis terra ma-

Cẽtesimũ secũdum, quod non transactũ est, ponit.

Arbitrij libertatẽ defendit.

Neurobata. Neurospactas Cælius legit lib. iiij. capite. vj.

Geminorũ vnde diuersa vita noscatur.

Quomodo diuersæ nati simul pereant.

rique animantibus dicerent? An ista quoque iisdem quibus homines legibus nasceretur, iisdemque itidem extinguerentur: vt aut ranunculis quoque & culicibus nascēdi fata sint de cœlestium siderum motibus attributa: aut si id putarent, nulla ratio videretur, cur ea siderum vis in hominibus valeret, deficeret in cæteris. Hæc nos ficta & incondita, & pro pemodum ieiuna oratione attigimus. at Phauorinus vt hominis ingenium fuit, vtque græcæ facundiæ copia simul & venustas, latius ea, & amœnius, & splendidius, & profluētius exequebatur. Atque identidem commonebat, vt caueremus, nequo nobis isti sycophantæ ad faciendum fidem irreperent, quòd viderentur quædam interdum vera effutire aut spargere. Non enim comprehensa, inquit, neque definita, neque percepta dicunt, sed lubrica atque ambagiosa coniectatione nitentes inter falsa atque vera pedetētim quasi per tenebras ingredientes eunt: & aut multa tentando incidunt repente imprudentes in veritatem: aut ipsorum qui eos consulunt, multa credulitate ducente, perueniunt callide ad ea quæ vera sunt: & idcirco videntur in præteritis rebus quàm futuris veritatē facilius imitari. Ista tamē omnia quæ aut temere aut astute vera dicūt, præ cæteris, inquit, quæ mentiuntur, pars ea non sit millesima. Hæc autem, quæ dicentem Phauorinū audiuimus, multa etiam memini poetarum veterum testimonia confirmare: quibus huiuscemodi ambages fallaciosæ confutantur. Ex quibus est Pacuuianum illud,

Nam si qui quæ euentura sunt, præuideant,
Æquiparent Ioui. Item Accianum illud, *.* ,,
Nihil credo auguribus, qui aures verbis diuitant ,,
Alienas, suas vt auro locupletent domos.

Augurībus non esse credēdum.

Itē Phauoriuus deterrere volēs & depellere adolescētes à Genethliacis istis, & quibusdam aliis id genus, qui prodigiosis artibus futura omnia dicturos pollicentur: nulla pacto adeundos esse consulendosque, huiuscemodi argumentis concludebat. Aut aduersa, inquit, euentura dicunt, aut prospera. Si dicūt prospera, & fallunt, miser fies, frustra expectando: Si aduersa dicunt, & mentiuntur, miser fies, frustra timendo: Si vera respondent, eaque sunt non prospera: iam inde ex animo miser fies, antequā ē fato fias. Si felicia promittunt, eaque euentura sunt: tum plane duo erunt incōmoda, & expectatio te spei suspēsum fatigabit, & futurum gaudii fructum spes tibi iam deflorauerit. Nullo igitur pacto vtendum est istiusmodi hominibus res futuras præsagientibus.

Prognosti ci cur non sint consulendi.

ASCEN. De hac re vide.c.p.de officio iudicis ordinarij. Atque in rerum quidem diffusionibus. sic vetera exemplaria habent: Angelus tamen Politianus vir argutissimo ingenio dicit cap.xlj. Miscel. legendum esse, dierū diffissionibus: sicque Digestorum primo apud Vlpianum in Pandectis Pisanis, quæ nunc Florentiæ sunt, legi. Et paulo post legendū censet in hoc capite diē diffindi nō diffundi. Verū cū diffindere sit in diuersa findere, & diffundere in diuersa ac longe posita fundere: vt differre in diuersum tempus ferre: videntur mihi huic loco, vbi res non finditur, sed extenditur, diffusionibus & diffundi potius cōgruere quàm diffindi & diffissionibus: præsertim cum pro explanatione addatur cōperēdinationibusque. Nec legā dierū: sed rerum pro litium. quod autem sequitur diem diffundi. i. differri, intelligo agendæ & decidēdæ cōtrouersiæ. Et in operis, à nominatiuo operæ operarum. Quem meo tempore, quo. s. iudex eram: aut legendū est in eo tempore, aut saltem, quod maxime placet, eo tēpore. Faceret me vt earum &c. græca locutio: latine enim diceret, faceret me earum rerum prudentiorem, quod non tam apte sonat. Præire .i. pronūciare quod sequaris. Recipere scilicet de officio debito id est excipere & sibi seruare quod dicūt. Qua de agitur. Eleganter, ne si dicatur de qua agitur, dure repetatur a. Contra Cn. Gellium. cum tanta sit Gelliorum familia, notum est Aulum Gellium, non Agellium huius operis authorē nuncupādū. Tum illi vnde petitur crederetur, quia actoris est probare, cum tamen non sit vero similius, virum bonum iniustum petere, quàm iustū negare. Secundum eū. i. secundū eius votum. quod dicitur pro eo. Varia adnotauit ad hoc caput Maserius dicens primo sic. Legendum moneo cum Politiano diffindi & diffisio seu mauis diffissio. Nec te moueat s litera in vno subducta: dicimus enim cusum à cudo, & inuenies interdū cussum. In principio autem legendum est à Præt. lectus in iudic. i. à Prætoribus lectus in iudicem. siquis in iudices legere velit, exponat inter iudices. Epilogi rhetorum tres sunt, vnus ex enumeratione consistit, diciturque recapitulatio, Græcis ἀνακεφαλαίωσις. Secūdus ex amplificatione, Tertius ex commiseratione. de quibus Cicero in Rhetoricis. Hæc ille. Cuius illum primum quod cum Politiano asserit, sic doctissimus Budæus noster refellit in Annotatis in Pandectas. Ego vero ne politiano in totum assentiar, eo loco Liuij adducor libri noni ab vrbe condita, Papyrius Dictator Iunium Bubulcum magistrum equitum dixit, atque ei legem Curiatam de imperio ferenti triste omen diem diffudit, quòd saucia curia fuit principium duabus insignibus cladibus, captæ Vrbis, & Caudinæ pacis, quod vtroque anno eiusdem curiæ fuerat principium &c. Ex hoc Liuij loco, & illo Gellij (citauerat autem huius capitis locum) conijcere facile possumus diffundere diem id esse aut olim fuisse, quod nos rem in crastinum continuatam dicimus vel remissam. Tria enim erant apud antiquos pronunciandi genera: aut enim dies diffundebatur id est res in

Secūdū eū Diffindi.

Epilogi tres.

Diffundere diem.

posterum diem reijciebatur, aut comperendinabatur.i.in tertium diem differebatur, aut iudex non liquere pronunciabat, quod & amplius pronũciare dicebatur. Vnde ampliatio in publicis iudicijs dicta. de qua ipsa & de comperendinatione nos alibi diximus. Gellius igitur cum diem diffundi iussisset, vt eo die Phauorinum consulere posset, postridie ad iudicium reuersus iurauit sibi non liquere. Hæc & plura ibidẽ incomparabili rerum verborumque peritia præditus Budæus: à quibus lubenter sto, nec pœnitet ratiunculæ à nobis positæ. Addit Maserius. Muti magistri literæ sunt & libri qui vel muti & non vocales docere possunt. Vide Erasmum. Mutas literas Cælius docet lib. xvj. dici de ijs qui literis parum compti ex se quidẽ vocem perficere nequeunt.i.doctas, graues, viro denique dignas ciuili confabulationes. At enim cum eruditioribus quasi coeuntes conspiratu consono sunt plane veluti vocalibus adiunctæ mutæ. Addit & hoc, Dupliciter fiebat diffisio (seu mauis grammatistam sectari, diffisio) aut cum in iudicio qui se sistere promiserat, vadimonium distulerat, aut valetudine mala, tempestate, ac vi fluminis impeditus. Item cum de re non satis liquebat. tuncque notæ dabantur scribarum monumentis N.L. dicique poterat talis diffisio ampliatio. Vnde apud Liuium leges virginem Vestalem incestus accusatam, nondum tamen sufficienter cõuictam: fuisse iudicum sententia ampliatam, & diem diffisum. Et apud Ciceronem tertia in Verrem. Et si lex ampliandi faciat potestatem. Hæc Maserius: quibus conferto quæ Budæus, qui de ampliando etiam doctissime: verum opus eius est in manibus ne omnia in vnum congeram. Pergit Mas. Adminiculatũ dixit.i.adiutum, fotum & sustentatũ. Tabulis.i.literis publicis. Ferme bonum.i. facile bonum. vt apud Terentium, fidelem haud ferme mulieri inuenias virum.i.non facile. Mensæ ratio: super quã pecunia numerabatur mensa dicitur trapeza. Demosthenes Pylon vocat. Expensi latio. Cicero secũda Pphil. dixit ferre expensum. De hoc ante quædã sunt prælata. Chirographum, manu scriptũ. nunc obligationem vocant Galli. Fit etiam manu notariorum. De calumnia damnatur, qui falso accusatur. & signatur dãnatio mortis per θ, vnde dicitur nigrum. Badius aduersarium putat de calumnia damnari, non qui falso accusetur, sed qui falsam accusationẽ intulerit aut falso postularit. Falsa enim accusatio & quam probare nequeas, calumnia est. Mas. Dimitti pro absolui ponitur. Sedendum insistendum causæ, & immorandum. Sedere debent iudices sententiam laturi: causam adfert Cælius. Vnde Ioannes Euangelista dixit de Pilato iudice meticulosissimo & corruptissimo: cum vellet verum, & vt est adagio, AEgyptium referre iudicem: sedit pro tribunali in loco qui dicitur Lichostrotos: sic enim legendum monet Nestor. Probatio solennis fit cũ adsunt testes, tabularumvẽ obsignatio affertur. Diem diffundi. Iudice sententiam non ferente silentiũ indicebatur causæ & iudicio, quòd veritatis coniectura non erat sufficiens. Quod dictum voluit Plautus in Amphitryone: Iacent rationes, silet iudicium: quid dicam nescio. In quem locum belle expositum Cælius iuris vocabulo coutens ait adlusum esse ad ampliationis morem, cum in aliud tempus diffinditur iudiciũ. Super qua re Pædianus multa. & Io. Bapt. Pius, ait, Silet iudicium, res distrahenda est, diffindenda & amplianda: vt Iurisconsultorum verbis vtar: quod iudices ambigui cum signiare vellent N.L. inscribebant. Legatur Præterea Beroaldus in adnotationibus. Bad. Dixi modo authoritate G. Budæi cur legere placeat diffundi diem, quòd in sequentem negotium tunc agendũ fundatur: Si tamẽ hoc respectu dies diffindi dicatur, vt vnus in duos sit diffissus: vt cum sententiæ dicendæ vnus sit dies assignatus, quia nõ liqueat, in proximum diem differatur: videtur dies vnus diffisus. Faceret me vt essẽm prudentior: locutio Plauto & Terentio perquã familiaris. Bad. est autem græcanica vt illa, scis me quid velim: pro, scis quid ego velim. Mas. Præire est verbũ disciplinæ auguralis, ait Egnatius. Bad. Dixi supra: præire est verba quædã prænunciare nõ pro se, quæ alter pro se subsecuturus dicat: vt dũ verba deuotionis Pontifex olim præibat: aut nunc in baptizando aut matrimonio contrahendo præit, aut iudex in sacramento præstando dicens: tu iuras: & subsequens repetens dicit: ego iuro: rustici tamen aliquando repetentes dicunt, tu iuras. Cunctationis religio: honestas religiosa cunctandi & differendi, non sine metu & timore contra ius procedendi. Dissentitur: impersonaliter dictum. In præsens: aliquando dicunt Impræsentiarum: qua dictione Cicero vsus est in rhetoricis: nequis eam putet exibilandam. Bad. Si in rhetoricis, non continuo Ciceronis: Nec si non Ciceronis, continuo exibilanda. Mas. Qua de: pro de qua. Pro varietate: secũdum diuersitatẽ: alij pro varietate. Non liquere, verbum est iuris N.L. vt notum est. Sponsio interdum est promissio. Item actionis genus, vt hic. Vnde Paulus Iurisconsultus: Sponsio, non solum pro sponsi interrogatione sit, sed stipulationem omnem continet & promissionem. Et sponsor dicitur fideiussor.

Ferme. Trapeza. Pylon. Damnari de calũnia. Præire. Impræsentiarum. Sponsio.

Quemadmodum disseruit Phauorinus consultus à me super officio iudicis.

CAPVT II.

Quo primum tẽpore à Prætorib. lectus in iudicem sum, vt iudicia quæ appellantur priuata, susciperem, libros vtriusque linguæ de officio iudicis scriptos conquisiui, vt homo adolescens, à poetarum fabulis, & à rhetorum epilogis, ad iudicandas lites vocatus, rem iudiciariã, quoniam vocis (vt dicitur) viuæ nimia pœnuria erat, ex mutis, quod aiũt, magistris cognoscerem. Atque in rerum quidem diffusionibus comperendinationibusque & aliis quibusdam legitimis rebus, ex ipsa lege Iulia, & ex Sabini Massurii, & ex quorundam aliorum iuris peritorum commentariis commoniti & adminiculati sumus. In iis autem quæ existere solent negotiorum ambagibus, & in ancipiti rationum diuersarum circunstantia, nihil quicquam nos huiuscemodi libri iuuerunt. Nam etsi

Epilogi. Muti magistri libri.

consilia iudicibus ex præsentium causarum statu capienda sunt, generalia tamen quædam præmonita & præcepta sunt, quibus ante causam præmuniri iudex præpararíq; ad incertos casus futurarum difficultatum debeat: sicut illa mihi tunc accidit inexplicabilis reperiendæ sententiæ ambiguitas. Petebatur apud me pecunia, quæ dicebatur data numeratáque: Sed qui petebat, neque tabulis neque testibus id factum docebat, & argumentis admodum exilibus nitebatur: sed eum constabat virum esse ferme bonum, notæque & expertæ fidei, & vitæ inculpatissimæ: multaque illustria exempla probitatis synceritatisque eius expromebantur: Illum autem vnde petebatur, hominem esse non bonæ rei, vitaque turpi & sordida, conuictúmque vulgo in mendaciis, plenúmque esse perfidiarum & fraudum ostendebatur. Is tamen cum suis multis patronis clamitabat, Probari apud me debere pecuniam datam consuetis modis, expensi latione, mensæ rationibus, chirographi exhibitione, tabularum obsignatione, testium intercessione: ex quibus omnibus si nulla re probaretur, dimitti iam sane oportere, & aduersarium de calumnia damnari. Quod de vtriusque autem vita atque factis diceretur, frustra id fieri atque dici: rem enim de petenda pecunia apud iudicem priuatum agi, non apud CENS. de moribus. Tunc ibi amici mei, quos rogaueram in consilium, viri exercitati, atq; in patrociniis & in operis fori celebres, semperque se circumundique distrahentibus causis festinãtes, non sedẽdum diutius, ac nihil esse dubium dicebant, quin absoluendus foret, quem accepisse pecuniam illam, nulla probatione solenni docebatur. Sed enim ego homines cum considerabam, alterum fidei, alterum probri plenum, spurcissimæq; vitæ ac defamatissimæ, nequaquam adduci potui ad absoluendum. Iussi igitur diem diffundi: atque inde à subselliis pergo ire ad Phauorinum philosophum, quem eo tempore Romæ plurimum sectabar, ac de hominibus, quæ apud me dicta fuerant, vti res erat, narro omnia: ac peto, vt & ipsum illud, in quo hærebam, & cætera etiam quæ obseruanda mihi forent in officio iudicis, faceret me vt earum rerum essem prudentior. Tum Phauorinus religione illa cunctationis, & solicitudinis nostræ comprobata: Id quidem, inquit, super quo nunc deliberas, videri potest specie tenui paruáque esse: sed si de omni quoque officio iudicis præire tibi me vis, nequaquam est vel loci huius vel temporis. Est enim disceptatio ista multiiugæ & sinuosæ quæstionis, multáque & anxia cura & circunspicientia indigens. Nanque (vt pauca tibi nunc quæstionum capita attingam) iam omnium primum hoc de iudicis officio quæritur. Si iudex forte id sciat super qua re apud eum litigatur, eáque res vni ei prius quàm agi cœpta, aut in iudicium deducta sit, ex alio quodam negocio, casuque aliquo cognita liquido & comperta sit, neque id tamen in agenda causa probatur: oporteat ne eum secundum ea, quæ sciens venit iudicare, an secundum ea quæ aguntur. Id etiam, inquit, quæri solet: an deceat atque conueniat iudicii causa iam cognita, si facultas esse videatur componendi negocii, officio paulisper iudicis dilato, communis amicitiæ, & quasi pacificatoris partes recipere. Atque illud amplius ambigi, ac dubitari scio: debeat ne iudex inter cognoscendum ea, quæ dicto quæsitóque opus est, dicere & quærere, etiam si cuius ea dici quærique interest, neque dicat neq; postulet. Patrocinari enim prorsus hoc esse aiunt non iudicare. Præter hæc super ea quoque re dissentitur: an ex vsu exque officio sit iudicis rem causamque de qua cognoscit, interlocutionibus suis ita exprimere consignareque, vt ante sententiæ tempus ex iis, quæ apud eum in præsens confuse varieque dicuntur, perinde vt quoque in loco, ac tempore mouetur, signa & indicia faciat motus atque sensus sui. Nam qui iudices, inquit, acres atque celeres videntur, non aliter existimant rem, qua de agitur, indagari comprehendique posse, nisi is qui iudicat, crebris interrogationibus necessariisque interlocutionibus, & suos sensus aperiat, & litigantium deprehendat. Contra autem qui sedatiores & grauiores putantur, negant iudicem debere ante sententiam, dũ causa vtrinque agitatur, quoties aliqua re proposita motus est, toties significare quid sentiat. Euenturum enim aiunt, vt quia pro varietate propositionum argumentorúmque alius atque alius motus animi patiendus est: aliter atq; aliter eadem in causa, eodémque in tempore sentire & interloqui videatur. Sed de his, inquit, & cæteris huiuscemodi iudicialis officii tractatibus, & nos posthac, cum erit ociũ, dicere quid sentiamus, conabimur: & præcepta AElii Tuberonis super officio iudicis, quæ nuperrime legi, recensebimus. Quod autem ad pecuniam pertinet, quam apud iudicem peti dixisti, suadeo hercle tibi, vtare M. Catonis prudentissimi viri consilio, qui in oratione, quam pro L. Turio contra Cn. Gellium dixit, ita esse moribus maiorum tradi-

Contendẽtiũ dispar forma.

Diffindi diem alij.

Faceret me, Græca figura.

Officia iudicis dubia.

tum obseruatúmque ait, vt si quid inter duos actum est, neque tabulis neque testibus planum fieri possit: tum apud iudicem, qui de ea re cognosceret, vter ex iis vir melior esset, quæreretur. Et si pares essent, seu boni pariter, seu mali: tum illi vnde petitur, crederetur, ac secundum eum iudicaretur. In hac autem causa de qua tu ambigis, optimus est, qui petit: vnde petitur deterrimus: & res est inter duos acta sine testibus. Eas igitur & credas ei, qui petit, condemnésque eum, de quo petitur: quoniam sicuti dicis, duo pares non sunt, & qui petit melior est. Hoc quidem mihi tum Phauorinus, vt virum philosophum decuit, suasit. Sed maius ego altiúsque id esse existimaui, quàm quod meæ ætati, & mediocritati conueniret, vt cognouisse, & condemnasse de moribus, non de probationibus rei gestæ viderer: vt absoluerem tamen inducere in animum nõ quiui: & propterea iuraui mihi non liquere, atque ita iudicatu illo solutus sum. Verba ex oratione M. Catonis, cuius commeminit Phauorinus, hæc sunt, Atque ego à maioribus memoria sic accepi, Siquis quid alter ab altero peteret, si ambo pares essent, siue boni siue mali essent, quòd duo res gessissent, vti testes non interessent: illi vnde petitur, ei potius credendum esse. Nunc si sponsionem fecisset Gellius cum Turio, ni vir melior esset Gellius, quam Turius, nemo opinor tam insanus esset, qui iudicaret meliorem esse Gellium quàm Turium. Si non melior est Gellius Turio, potius oportet credi vnde petitur.

Catonis de iudicãdo verba.

ASCEN. Qui de Xenophontis &c. Talem dicunt fuisse æmulationem inter Scipionem Africanum & Metellum Macedonicum, vt testis est Valerius Maximus cap. de animi moder. Item inter Scipionem & Tib. Gracchum Sempro. Quædam coniectatoriè, vt sit aduerbium, aut coniectatoria legas. Quod παιδείας κύρου. cum pædias sit genitiui casus, aut intelligitur nomine vel titulo: aut legendum est pædia, aut præponenda est præpositio περὶ, vt in sequentis capitis principio περὶ καλοῦ &c. Excelluerunt, ab excelleo verbo secundæ. Mas. Cælius cap. xlviij. libro ix. discordiarum causam inter Aristotelem & Platonem adfert aliam. quòd Aristoteles curiosius vestiretur, calciaretúrque supra quàm philosophum deceret comptius, & comam tonderet delicatius. Annulis nitebant digiti: inerat & Aristoteli quædam μωκία, id est ridendi studium. D. Hieronymus in Ruffinum ait, Nonne saluis amicitijs dissenserunt Apostoli, quum Paulus & Barnabas propter Ioannem cognomento Marcum, stomachati sunt: & separauit eos nauigatio, quos euangelium Christi copulabat? Act. Apost. xv. Nonne idem Paulus in faciem Cephæ restitit, quòd non recto pede ambularet in euangelium? ad Galath. ij. Leuandique eius operis gratia: forte melius eleuandi.

An æmuli infensique inter sese fuerint Xenophon & Plato. CAP. III.

Platonis & Xenophõtis æmulatio & simultas.

QVI de Xenophontis Platonisque vita & moribus pleraque omnia exquisitissime scripsere, non abfuisse ab eis motus quosdam tacitos & occultos simultatis, æmulationisque mutuæ putauere: & eius rei argumenta quædam coniectatorie ex eorum scriptis protulerunt. Ea sunt profecto huiuscemodi, quòd neque à Platone in tot numero libris mentio vsquam facta sit Xenophontis, neque item contra ab eo Platonis in suis libris: quanquam vterque ac maxime Plato, complurium Socratis sectatorum in sermonibus, quos scripsit, commeminerit. Id etiam non syncerae neque amicæ voluntatis indicium crediderunt, ꝙ Xenophon inclyto illi operi Platonis, quod de optimo statu Reip. ciuitatisque administrãdæ scriptum est, lectis ex eo duobus fere libris, qui primi in vulgus exierant, opposuit cõtra, conscripsitque diuersum regiæ administrationis genus, quod παιδείας κύρου inscriptũ est. Eo facto scriptóque eius vsqueadeo permotum esse Platonem ferunt, vt quodam in libro mentione Cyri regis habita, retractandi leuandique eius operis gratia, virum quidem Cyrum nauum & strenuum fuisse dixerit, παιδείας δ' οὐκ ὀρθῶς ἧφθαι τὸ παράπαν. Hæc enim verba sunt de Cyro Platonis. Præterea putant id quoque ad ista, quæ dixi, accedere, ꝙ Xenophon in libris, quos dictorum atque factorum Socratis commentarios cõposuit, negat Socratem de cæli atque naturæ causis rationibúsque vnquam disputauisse: ac ne disciplinas quidem cæteras, quæ μαθήματα Græci appellant, quæ ad bene beateq; viuendum non pertinerent, aut attigisse, aut comprobasse. Idcircoque turpiter eos mentiri dicit, qui dissertationes istiusmodi Socrati attribuerent. Hæc autem, inquiunt, Xenophon cũ scripsit, Platonem videlicet notat, in cuius libris Socrates de Physica & Musica & Geometria differit. Sed enim de viris optimis & grauissimis, si credendum hoc aut suspicandum fuit, causam equidem esse arbitror, non obtrectationis, neque inuidiæ, neque

Pædia Cyri.

Mathemata.

de gloria maiore parienda certationis. (Hæc enim procul à maioribus philosophiæ absunt, in quibus illi duo omnium iudicio excelluerũt.) Quæ igitur est istius opinionis ratio? Hæc profecto est: æquiparatio ipsa plerunque & parilitas virtutum inter sese consimilium, etiam si contentionis studium & volũtas abest, speciem tamen æmulationis creat. Nam cum ingenia quædam magna duorum pluriumve in eiusdem rei studio illustrium aut pari sunt fama aut proxima, oritur apud diuersos fautores eorum industriæ laudisq; æstimandæ contentio. tum postea ex alieno certamine ad eos quoq; ipsos contagiũ certationis aspirat: cursúsque eorum ad eandem virtutis calcem pergentium, quando est cõpar, vel ambiguus, in æmulandi suspitiones non suo, sed fauẽtium studio delabitur. Proinde igitur & Xenophõ & Plato Socraticæ amœnitatis duo lumina, certare æmulariq; inter sese existimati sunt, quia de iis apud alios vter esset exuperantior certabatur. Et quia duæ eminentiæ, cum simul iunctæ in arduum nituntur, simulacrum quoddam contentionis æmulæ pariunt.

Parilitas ingeniorũ æmulationem parit

ASCEN. De iustitiæ oculo vt fuerit hieroglyphicis literis depictus, meminit Bapt. Pius in Annotationibus prioribus tit. vj. Reuerẽdæ cuiusdã tristitiæ. i. seueritatis ac grauitatis, vt apud Iu. Quis enim nõ vicus abũdat Tristibus obscœnis. De iustitia multa profert Cælius ca. xlvj. & sequentibus quatuor lib. xij.

Quod apte Chrysippus & graphice imaginem Iustitiæ modulis coloribúsq; verborum depinxit. CAPVT IIII.

Chrysippus. Iustitiæ imago.

C

ONdigne mehercle & condecore Chrysippus in librorum qui inscribuntur περὶ καλοῦ καὶ ἡδονῆς primo, os & oculos Iustitiæ, vultúmq; eius seueris atq; venerãdis verborũ coloribus depinxit. facit quippe IMAGINEM IVSTITIAE, fierique solitam esse dicit à pictoribus rhetoribúsq; antiquioribus ad hunc ferme modum, Forma atque filo virginali, aspectu vehementi & formidabili, luminibus oculorum acribus, neque humilis neque atrocis, sed reuerẽdæ cuiusdam tristitiæ dignitate. Ex imaginis autem istius significatione intelligi voluit iudicem, qui iustitiæ antistes est, oportere esse grauem, sanctum seuerum, incorruptum, inadulabilem, contráque improbos nocentésque immisericordem atque inexorabilem, erectúmque & arduum, ac potentem, vi & maiestate æquitatis veritatisque terrificũ. Verba ipsa Chrysippi de Iustitia scripta hæc sunt, παρθένος δὲ εἶναι λέγεται, κατὰ σύμβολον τοῦ ἀδιάφθορος εἶναι, καὶ μηδαμῶς ἐνδιδόναι τοῖς κακούργοις, μηδὲ προσίεσθαι, μήτε τοὺς ἐπιεικεῖς λόγους, μήτε παραίτησιν, καὶ δέησιν, μήτε κολακείαν, μήτε ἄλλο μηδὲν τῶν τοιούτων. οἷς ἀκολούθως, καὶ σκυθρωπὴ γράφεται, καὶ συνεστηκὸς ἔχουσα τὸ πρόσωπον, καὶ ἔντονον, καὶ δεδορκὸς βλέπουσα. ὥστε τοῖς μὲν ἀδίκοις φόβον ἐμποιεῖν, τοῖς δὲ δικαίοις θάρσος. τοῖς μὲν ὡς πρὸς φίλους ὄντος τοῦ τοιούτου προσώπου, τοῖς δὲ ἑτέροις, προσάντους. Hæc verba Chrysippi, eo etiam magis ponenda existimaui, vt prompta atque exposita ad considerandum iudicandúmque sint, quoniam legentibus nobis ea, delicatiores quidam disciplinarum philosophi sæuitiæ imaginem esse non Iustitiæ dixerunt.

ASCEN. Conspicatus: à deponentali conspicor: sicut à sperno tertiæ fit aspernor deponentale primæ. Non dubiũ est appellatiua in ius vocatiuum in e mittere, vt egregius egregie, sobrius sobrie: præterq̃ filius fili. sed forsan dubites vtrum si ex appellatiuis propria feceris, ea in e an i pronuncies. Vt Pius ô Pi, an ô Pie. Præsertim cũ propria tertiæ appellatiuis ablatiuum in i aut in e & in i mittentibus similia, ablatiuũ in e tantùm mittant, vt ab hoc Martiale, Iuuenale, Clemẽte. Sed meo quidem iudicio si propria facta sint, licet ab appellatiuis deducta aut appellatiuis similia, propriorum more in i sunt flectenda, vt ô Eleutheri, ô Dionysi, ô Fabi, ô Luci, ô Innocenti, & sic licet eo parcius vtar ô Pi: ne adiectiuum fiat si ô Pie dixeris. Noua litera. scribitur quasi f inuersum. Alemani autem fere pro u consonante f proferunt & cõtra, vt fobis pro vobis, & vilia pro filia. Sicut Vascones vbi nos u proferimus, b pronũciant. Quintilianus primo de arte oratoria ait æolicũ esse digãma. i. peculiare linguæ æolicæ: fuitque litera à Varrone appellata Vau, eáq; Claud. Augustus putauit esse necessariã: sed eo mortuo repudiata est. Erátq; simplex vt Venus Ⅎenus vel fenus: aut duplex, vt cliuus: nam ponitur pro duplici gamma: vnde nomen sumit, & cũ r sit tertia litera, si geminetur fiat f. sed eam modo inuertũt, scribentes Ⅎ. Addit interpres Quintil. Ⅎ poni pro h, vt Ⅎelena pro Helena, Ⅎordeum pro hordeum, Ⅎœdus pro fœdus. Hæc Maserius. Badio videtur digamma æolicum vsurpatum pro u consonante qua Græci carent, sed pro ea vtuntur b litera: sicut celtiberi dicentes bita pro vita, & bos pro vos: ideo autẽ putat per f figurari, quòd æolica lingua vt Alemanica u cõsonũ vt f pronunciet: nam Alemani superiores putãt nullum discrimen inter u & f: eodémque sono dicũt vobis & fobis, feles & veles: vnde Brant in quodam epigrammate velitem pro felem scripsit: ideo autem vocatũ digãma, quia f figuram habet apud Græcos duplicis gamma, quod interdũ r scribetur vt nobis c.

Digãma.

Lis atque contentio grammaticorum Romæ illustrium, enarrata super casu vocatiuo vocabuli quod est egregius. CAP. V.

Egregius quẽ faciat vocatiuũ.

Defessus ego quondam ex diutina commentatione, laxandi leuandiq; animi gratia in Agrippæ campo deambulabam. Atq; ibi duos forte grammaticos conspicatus, non parui in vrbe Roma nominis, certationi eorũ acerrimæ adfui: cum alter in casu vocatiuo vir egregi dicendum contenderet, alter vir egregie. Ratio autem eius, qui egregi oportere dici censebat, huiusmodi fuit, Quæcunque, inquit, nomina seu vocabula recto casu, numero singulari, us syllaba finiuntur, in quibus ante vltimam syllabam posita est i litera, ea omnia casu vocatiuo i litera terminantur, vt Cœlius Cœli, modius modi, tertius terti, Accius Acci, Titius Titi, & similia omnia. Sic igitur egregius, quoniam us syllaba in casu nominandi finitur, eámque syllabam præcedit i litera, habere debebit in casu vocandi i literam extremam: & idcirco egregi non egregie rectius dicetur. Nam diuus, & riuus, & cliuus non u syllaba terminantur, sed ea quæ per duo u scribenda est. Propter cuius syllabæ sonum declarandum, reperta erat noua litera Ⅎ, quæ digamma appellabatur. Hoc vbi ille alter audiuit, O, inquit, egregie grãmatice, vel, si id mauis, egregiissime, dic oro te, inscius & impius, & sobrius, & ebrius, & proprius, & propitius, & anxius, & cõtrarius, quæ us syllaba finiũtur, in quibus ante vltimam syllabam i litera est, quem casum vocandi habent? me enim pudor & verecundia tenet pronunciare ea secundum tuam definitionem. Sed cũ ille paulisper opposit u horum vocabulorum commotus reticuisset, & mox tamen se collegisset, eandémque illam quam definierat regulam retineret, & propugnaret, diceretque & propri, & propiti, & anxi, & contrari itidem in casu vocatiuo dicendum, quia & aduersarius & extrarius ita dicerentur: inscium quoque & impium, & ebrium & sobrium, insolétius quidem paulo, sed rectius per i literam non per e, in casu eodem pronunciandum: eáque inter eos contentio cum lõgius duceretur, non arbitratus ego operæprecium esse, eadem hæc ista diutius audire, clamantes compugnantesq; illos reliqui.

Digãma.

ASCEN. Quæ in hoc capite scribuntur, præsertim ea quæ de mutatis locorum nominibus ponuntur in fine, præter cætera sunt notatu digna: nam eorum ignoratio multos poetarũ & historiographorum locos efficit obscuros. Paupertinas literas, speciosum epitheton à nomine pauper deductũ. q. d. pauperculas, cum faceta irrisione. Iisti. à verbo eo pro iuisti. Instructum ornatúmque. i. quas instruere & ornare cõtendisti. Quærunt. i. inquirunt & disputant. Præ omnibus: alij pro omnibus, vt sit pro omnibus rebus. i. negocijs. Mas. Non tãtùm Vrbibus & regionibus alia à natiuis imposita sunt nomina, sed & fluuijs: qui enim dicebatur ante albula, modo appellatur tybris. Vnde Virg. Amisit verũ vetus albula nomen. Corrigẽdus est ergo Henrici cuiusdã codex, Similiter & interpretis diui Augustini in tert. cap. lib. iij. vbi ponitur ablua quod nomen forte deducunt ab abluendo. Roma dicebatur Valentia nomine forsan secreto: alij alia produnt, vide Solinum in principio. Prædictus interpres ponit Romam secretum nomen: nos alia in Valeriũ Flacc. protulimus. Albion Ptolemæus: Brytanniã Virg. Strabo, & Gulielmus Monumetẽsis in suo Bruto, Neoterici Angliam vocitant. Maiores nostri Lutetiam, Strabo Leucoteciam: nos vero seu Parrhisios dicimus à parrhasijs, vt putauit Baptista Mantuanus in Dionysio: seu Parisios, tam pro vrbe quàm populo: quod vocabulum audaces signat, ait Gulielmus Armoricanus in Philippica dicens, Et se Parisios dixerũt nomine Frãci Quod sonat audaces. Quorum originem Radulphus quidã D. August. interpres varie ponit citans Bernardũ, Guidonem in Catalogo Paparum, Imperatorum, Regúmque Franciæ: Hugonẽ de S. Victore, Gulielmum Armoricanum, Guil. Monumetensem in Bruto, & alios. Alij deducunt à para & Isis. Fuit autem Idolum modo Bricõneti Melden. episcopi sententia & iudicio sanequàm recto deiectum. Alij aiunt Is nomen fuisse eius Vrbis quod Meldunum appellant: & hanc Paris. vrbem ad illius similitudinem cõpositã. Est & Is in Britãnia Armorica vrbs partim modo maris incremẽto & accessu deleta: in cuius conspectu Anglorum Regens visa est: & Britonum Chordigera (nauium bellicarum sunt nomina) præter conuentionem bellicam flammis petita est. Ea non longe est quæ restat Ronquedeco, non multũ à nostra Vrbe situ dispar. Dicitur & Parisius fluuius, de quo in Vale. Flacc. nos aliqua: & plura in Quintiani cleopolim, si deus vitam concedat longiusculam, dicemus. Aliásque Vrbes populósque & oppida licet in mediũ adferre ex Cæsare. Hæc Mas. Ex Cæsare, intelligo ex ijs quæ Commentarijs Cæsaris ad illustrationem Vrbiũ apposita sunt. De superioribus quibusdã varia est opinio, neque inficias it Maserius, sed authores quos sequitur, laudat. Vt vero paucis quæ accepi & legi dicam: Rhoma videtur antiquissimum Vrbis nomen: nã vt lexicon græcolatinũ habet ῥώμη est robur, potentia, sanitas. i. valentia, Rhoma: quod nomen illi Vrbi ab Euandro aut eius matre inditum putãt: ab latinis Valentia interpretatũ, postea instaurata ab Romulo Roma, citra aspirationem ab illo est dicta. Dico instauratam aut in faciem Vrbis ædificatã: nam arcem antea Euander condiderat dicente Marone AEnei. viij. Tum rex Euander Romanæ cõditor arcis. Quo loco Euander ad AEnean, Sæpius & nomẽ posuit saturnia tellus Tũ reges asper. ꝗ immani corpore Tybris, A quo post Itali fluuiũ cognomine Tybrim Diximus: amisit verũ vetus albula

Fluuiorũ mutata nomina.
Albula.
Roma.
Albion.
Anglia.
Lutetia.
Parisij.

nomen Lutetiam Parrhisiorum apud Cæsarem legi:sed puto eũ notasse locum qui est inter montem martyrum & Vrbem:noménque à paludibus lutosis & cœnosis etiãnum habet.Is credam latine Isiũ dici:quo nomine Paulus AEmilius qui Francorum historiam multa cum laude nuper edidit,eum traiectum vocat aut Vrbem eam quæ Galisij nomine vulgo dicitur:si tamen alibi est. Is siue Isium: credam à Gallis locũ illum vocatum calis.i.citra Isium:& vt faciunt,mutata i in e cales:sicut oppidulum allobrogum in ea parte quæ vulgo Brissia dicitur Calemontem vocant,quòd citra montes videlicet alpes sit accolis. Carmen autem Armoricani, siue Armoritani(nam sic scriptum inueni)sic intelligo.Quod scilicet Francorum nomen,sonat audaces:cum alijs Franci dicantur immunes inuectigales,liberi.Sed hæc hactenus. Ad finẽ huius capitis addidit idem Maserius hæc.Prouerbiũ est quo monemur,vt quæ nostra sunt curemus, externa nihili facturi.Martialis notat Orum quendam,qui cum vxorem haberet adulteram,filiámque nubilem,& deberet pro toga,curiose nimis obseruabat alios,& taxabat acerrime, vt siquis magistellus rudes prorsus rerumque & literarum bonarum ignaros ductitans,à se quem in primis deberet nosse & suis oculos languentes vino subducat,quos in alienum gregem euibret fascinandum turpiter:eiusmodi sane homines videntur mihi lamijs perquàm similes,quæ domi oculos habent penitissime reconditos, quos foras egressuræ rursus assumunt.Habent vt ex euangelico dicam oraculo,trabem ob oculos,quam videre nequeunt & tenuissimam in alijs festucam dispiciunt.Phineos intus dicas domi:& Lynceos foris.

Cuiusmodi sint quæ speciem doctrinarum habeant,sed neque delectent, neque vtilia sint:atque inibi de vocabulis singularum vrbium regionúmq; immutatis. CAPVT VI.

HOmo nobis familiaris in literarum cultu non ignobilis,magnámq; ætatis partem in libris versatus,adiutum,inquit,ornatúmque volo ire noctes tuas.& simul dat mihi librum grandi volumine,doctrinis omnigenis (vt ipse dicebat)præscatentem,quem elaboratum sibi esse ait ex multis & variis & remotis lectionibus,vt ex eo sumerem quantum liberet rerum memoria dignarum.Accipio cupidus & libens,tãquam si copiæ cornu nactus essem, & recondo me penitus,vt sine arbitris legam.At quæ scripta erant, prò Iupiter, mera miracula.Quo nomine fuerit,qui primus grammaticus appellatus est:& quot fuerint Pythagoræ nobiles,quot Hippocrates:& cuiusmodi Homerus dicat in Vlyssis domo σειρῆνας. quã ob causam Telemachus cubans iunctũ sibi cubantẽ Pisistratũ,nõ manu attigerit,sed pedis ictu excitarit: εὐρύκλεια Telemachũ quo genere claustri incluserit:& quapropter idẽ poeta rosam non norit,oleũ ex rosa norit:Atque illud etiam scriptum fuit, quæ nomina fuerunt sociorum Vlyssis, qui à Scylla rapti laceratique sunt: Vtrum ἐν τῇ ἔσω θαλάσσῃ Vlysses errauerit, κατ' Ἀρίσταρχον:an ἐν τῇ ἔξω,κατ' Κράτητα. Id etiam istic scriptum fuit,qui sint apud Homerum versus ἰσόψηφοι:& quorum ibi nominum reperiatur παραστιχίς: Et quis adeo versus sit,qui per singula vocabula singulis syllabis increscat: Ac deinde qua ratione dicit,singulas pecudes in singulos annos terna parere:Et ex quinque operimentis, quibus Achillis clypeus munitus est,quod factum ex auro est,summum sit,an medium: Et præterea quibus vrbibus regionibúsq; vocabula iã mutata sint: Quòd Bœotia ante appellata fuerit Aonia:Quòd AEgyptus Aeria dicta est: QuòdCreta eodem quoq; nomine Aeria dicta est:Quòd Attica ἀκτὴ,& Acta apud poetam:Quòd Corinthus, Ephyre: Quòd Macedonis ora,ἠμαθία:Quòd Thessalia,αἱμονία:Quòd Tyrus,Sarra:Quòd Thracia ante Sithon dicta sit:Quòd Seston, ποσειδώνιον. Hæc atque item alia multa istiusmodi scripta in eo libro fuerant.quem cum statim properans redderem, ὄναιό σου inquã doctissime virorum ταύτης τῆς πολυμαθίας,& librum hunc opulẽtissimum recipe,nil prorsus ad nostras paupertinas literas congruentem.Nam meæ noctes,quas instructum ornatúmque isti,de vno maxime illo versu Homeri quærunt,quem Socrates præ omnibus semper rebus sibi esse cordi dicebat,

ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακὸν ἀγαθόν τε τέτυκται.

Bœotia. AEgyptus. Creta. Acte. Corynthus. Emathia. Hæmonia Paupertinus. Prouerb.

ASCEN. Isagogicon,nostri introductoriũ dicunt.Isagoge enim est introductio.Senatum consuleret:consilium rogaret.Epistolicarum quæstionum.Hunc titulum quidam Neotericorum vsurparunt. Interrex proprie is dicitur qui post mortem regis donec alter creetur regio fungitur officio: sed vsurpatur etiam pro eo qui vice consulis aut alterius summi magistratus interea dum nouus creatur,fungitur. Prior alijs esset,potuisset dixisse qui primus inter eos:sed comparatiuus cum ablatiuo inter plura duobus etiam locum habet.Intercedendi.i.impediendi.Intercedit enim qui se medium opponit vni ne impingat in alterum.vnde intercedere sancti pro nobis potius dicuntur,quia mala auertunt, quàm quòd bona conciliant. Templum à contemplãdo dictum est.Post occasum solem:vsitatius diceretur solis:quia ortus & occasus substantiue in quarta declinatione accipiuntur.Licet autem ortus etiam adiectiue in secunda capi posset, Interrex.

insuetius tamen sol occasus dicitur, pro eo quod est qui occiderit. Opus censorium. i. quod censores punire deberent. Ad Senatum referendum esse. i. in Senatu consultādum, vt ex eius sententia de eo iudicetur. Referri, id est consultari: aut infinite, id est sine definitione & limitatione. Per discessionem: dum omnes vnius sententiæ in vnum locum discederent, & ita pedibus in sententiam irent. Memini scribere: Valla diceret scripsisse: sed Agretio in hoc subscripsero.

Quòd M. Varro Cn. Pompeio Consuli primum designato commentarium dedit, quem appellauit ipse Isagogicum, de officio Senatus habendi. CAP. VII.

Cn. Pompeius.

Isagogicō

CN. Pompeio Consulatus primus cum M. Crasso designatus est. eum magistratum Pompeius cum initurus foret, quoniam per militiæ tempora, Senatus habendi consulendique rerum expers humanarum fuit, M. Varronem familiarem suum rogauit, vti commentarium faceret εἰσαγωγικόν, (Sic enim Varro ipse appellat) ex quo disceret, quid facere dicereque deberet, cum Senatum consuleret. Eum librum commentarium, quem super ea re Pompeio fecerat, perisse Varro ait in literis, quas ad Oppianum dedit, quæ sunt in libro epistolicarum quæstionum IIII. In quibus literis, quoniam quæ ante scripserat, non comparebant, docet rursum multa ad eam rem ducentia. Primum ibi ponit, qui fuerint, per quos more maiorum Senatus haberi soleret, eósque nominat, DICTATOREM, COSS. Prætores, Trib. Pleb. Interregem, Præfectū Vrbis: neq; alii, præter hos, ius fuisse dixit facere SENAT. CON. Quotiesque vsuuenisset vt omnes isti magistratus eodem tempore Romæ essent, tum quo supra ordine scripti essent, qui eorum prior aliis esset, ei potissimum Senatus consulendi ius fuisse. Addit deinde extraordinario iure Tribunos quoque militares, qui pro Consulibus fuissent. Item X viros, quibus imperium Consulare tum esset. Item III viros Reipub. constituendæ causa creatos, ius consulendi Senatum habuisse. Postea scripsit de intercessionibus, dixitque intercedendi, ne SENAT. CON. fieret, ius fuisse iis solis, qui eadem potestate, qua ii, qui SENAT. CON. facere vellent, maioresve essent. Tū adscripsit de locis, in quibus SENAT. CON. fieri iure posset: docuit confirmauitq; nisi in loco per Augures constituto, quod templum appellaretur, SENAT. CON. factum esset, iustum id non fuisse. Propterea & in curia Hostilia, & in Pompeia, & post in Iulia, cum profana ea loca fuissent, templa esse per Augures constituta, vt in iis Senatusconsulta more maiorum iusta fieri possent. Inter quæ id quoque scriptum reliquit, non omneis ædes sacras, templa esse, ac ne ædem quidem Vestæ templum esse. Post hæc deinceps dicit, SENAT. CON. ante exortum, aut post occasum solem factum, ratum non fuisse: opus etiam Censoriū fecisse existimatos, per quos eo tempore Senat. Con. factum esset. Docet deinde inibi multa, quibus diebus haberi Senatum ius non sit: immolareque hostiam prius auspicarique debere, qui Senatum habiturus esset. De rebus quoque diuinis prius, quàm humanis ad Senatum referendum esse. Tum porro referri oportere, aut infinite de Repub. aut de singulis rebus finite. Senatusq; cons. fieri duobus modis, aut per discessionē, si cōsentiretur: aut si res dubia esset, per singulorum sentētias exquisitas. Singulos autem debere consuli gradatim, incipique à Consulari gradu: ex quo gradu semper quidem antea primum rogari solitum, qui princeps in Senatum lectus esset. Tum autem, cum hæc scriberet, nouum morem institutum refert per ambitionem gratiámque, vt is primus rogaretur, quem rogare vellet qui haberet Senatum, dum is tamen ex gradu Consulari esset. Præter hæc de pignore quoque capiendo disserit, deque multa dicenda Senatori, qui cum in Senatum venire deberet, non adesset. Hæc & alia quædam id genus in libro quo supra dixi, M. Varro epistola ad Oppianum scripta executus est. Sed quòd ait Senat. cons. duobus modis fieri solere, aut conquisitis sententiis, aut per discessionem, parum conuenire videtur cū eo quod Atteius Capito in Collectaneis scriptum reliquit. Nam in libro CCLIX Tuberonem dicere ait, Nullum Senat. con. fieri posse, nō discessione facta. quia in omnibus Senat. con. etiam in iis, quæ per relationem fierent, discessio esset necessaria. idque ipse Capito verum esse adfirmat. Sed de hac omni re alio in loco plenius accuratiúsque nos memini scribere.

Senatuscō sultum qui faciant.

Intercedē di ius.

Locus Sanatusconsulti faciēdi.

Templū.

Occasus sol.

Senatuscō sulta per discessionem, per sentētias.

Primus quis sentētiam rogādus.

ASCEN. Senatum habere est quod vulgo dicunt Senatorum congregationē facere vt ad eos referatur. Latinæ erant solennes oblationes Ioui constitutæ ab latinis populis in monte Albano.

Quæsitum esse dissensúmque an præfectus Latinarum causa creatus, ius Senatus cõuocandi consulendique habeat. CAP. VIII.

PRæfectũ Vrbi, Latinarũ causa relictũ, Senatũ habere posse Mutius negat, quoniam ne Senator quidẽ sit, neque ius habeat sententiæ dicendæ: cũ ex ea ætate Præfec. fiat, quæ non sit Senatoria. M. autem Varro in IIII epistolicarum quæstionũ, & Atteius Capito in collectaneorum CCLIX ius esse Præfec. Senatus habendi dicunt. deque ea re adsensum esse Capitonem Tuberoni contra sententiam Mutii refert. Nanque & Tribunis, inquit pleb. Senatus habendi ius erat, quanq̃ Senatores non essent, ante Atinium plebiscitum. Præfectus vrbis an ius vocandi Senatũ habeat.

ASCEN. Declamauerat. i. in fictis causis oratoris officium exercuerat: iam cũ prosequebamur. Præterquam semper: id alij dicerent, cum semper &c. & vtrũque eleganter. Scholasticæ. i. in scholis habitæ, & habendæ. Nos ergo: quia feliciter declamauerat. vulgus enim fortunam sequitur. Mõtem Cispium, sic bene reposuit Beroaldus (inepte enim scriptum erat Caspiũ) Est autem Cispius mons Vrbis in regione exquilina de nomine Cispi hominis dictus. Insulam quandam. Insula in Vrbe est domus aut collectio domorũ sic vndique stratis viarũ septa, vt insula in mari aquis. Tabulatis: vulgus tabulata vocat solaria. Vasto. i. amplo & vastitatem inducere potenti. Tum quispiam: pro quidam. Magni inquit: subaudit, sunt. q. d. magni. i. copiosi sunt reditus aut redditus prædiorum vrbanorum. i. terrarum cum ædificijs quæ in vrbe sunt. Repetit. s. Iulianus. Addit Mas. Plutarch. in vita Public. ait insulam sacram esse intra Vrbem: tẽpláque deorum in ea, & porticus esse: & molem superadditam ex firmitate & magnitudine. Meminit autem huius cap. Cælius cap. x. lib. vj. Præterq̃. Cispius. Insula.

AVLI GELLII NOCTIVM ATTICARVM COMMENTARIORVM, LIBER XV.

Quòd in Quinti Claudii Annalibus scriptũ est, lignum alumine illitũ nõ ardere. CAPVT I.

DEclamauerat Antonius Iulianus Rhetor præterquam semper aliàs, tum vero nimium quàm delectabiliter & feliciter. Sunt enim ferme scholasticæ istæ declamationes, eiusdem hominis, eiusdẽmque facũdiæ, non eiusdem tamen quotidie felicitatis. Nos ergo familiares eius circunfusi vndique eum prosequebamur domum: cum deinde subeuntes montem Cispium, conspicimus insulam quandam occupatam igni, multis arduisque tabulatis editam, & propinqua iam omnia flagrare vasto incendio. Tum quispiam ibi ex comitibus Iuliani, Magni, inquit, reditus vrbanorum prædiorum, sed pericula sunt longe maxima. Siquid autem posset remedii fore, vt ne tam assidue domus Romæ arderent, vænum hercle dedissem res rusticas & vrbicas emissem. Atque illi Iulianus, læta, vt mos eius fuit, inter fabulãdum venustate, Si annalem, inquit, vndeuigesimum Q. Claudii legisses, optimi & synceriſsimi scriptoris, docuisset te profecto Archelaus regis Mithridatis præfectus, qua medela, quáque solertia ignem defenderes, vt ne vlla tua ædificatio è ligno, correpta atque insinuata flammis arderet. Percunctatus ego sum quid esset illud mirum Quadrigarii, repetit. In eo igitur libro scriptum inueni, cum oppugnaret L. Sylla in terra Attica Pireum, & contra Archelaus regis Mithridatis præfectus ex eo oppido propugnaret: turrim ligneam defendẽdi gratia structam, cum ex omni latere circumplexa igni foret, ardere non quisse, quòd ab Archelao alumine oblita fuisset. Verba Quadrigarii ex eo libro hæc sunt, Tum Sylla conatus est, & tempore magno eduxit copias, vt Archelai turrim vnam, quam ille interposuit, ligneam incenderet. venit, accessit, ligna subdidit, submouit Græcos, ignem admouit, satis sunt diu conati, nunquam quiuerunt incendere. Ita Archelaus omnem materiã obliuerat alumine. Quod Sylla atque milites mirabantur, & postquam non succendit, reduxit copias. Ant. Iulianus Rhetor. Aluminis vis ignem repellit.

ASCEN. Quispiam. solito more, pro quidam. Adusque. videntur duæ dictiones: vsque ad ludibria. Hebdomadibus lunæ. i. septimo quoque die lunæ. Nostri autem seculi potores dies ipsos lunæ poculis celebrant. Libentiæ complacentiæ, voluptates: quasi libidines quædã decẽtes. Cõminus: coniunctis manibus. Mas. Cælius ca. xxx. lib. xv. multa de vino, vinolẽtia, & ebrietate affert, & à quibus admittatur ebrietas. Iste autem pseudoplatonicus vnus erat ex illis de quibus Archit. in tertio, Ij sunt qui statuæ veniunt, statuæq; recedunt: Ad Bacchi veniunt, non phœbi pocula: nysæ Agmina non Cyrrhæ: Baccho phœbóque ministrant: Pleni illo, hoc vacui: puer intrat delia miles Castra recessurus, dicta sumptáque salute. Et dicto sum-

ptóque vale &c. Vnde fit adagium: A limine salutare. Incitabulum.i.incitamentum ingenij. Dicũt enim medici vinum sumptum modice & aqua dilutum facere ingenium subtilius, præterquam quòd mensam reddit iucundiorem. Nam vt ait Archithrenius, Gratia mensis Absque mero decisa venit: nec plena voluptas Est mensæ quæ fundit aquas. Ad ipsum poetam ingeniosum Bacchi commendationem carmine adferentem, concede. Inde potus superfluos grauiter insectantem libro.ij.cap.ix. Et quia sensus post lxx. versus vix concluditur, plura ex integra quàm concisa & interrupta lectione cognoscentur. Macrobius hoc caput suopte more ingratus repetit.

Quòd Plato in libris, quos de legibus composuit, largiores lætioresq; in conuiuiis inuitatiunculas vini non inutiles esse existimauerit. CAP. II.

Ebriosus philosophaster.

EX insula Creta quispiam ætatẽ Athenis agens, Platonicum esse se philosophum dicebat, & videriér gestiebat. Erat autem nihili homo & nugator, atque in græcæ facundiæ gloria iactabũdus. Præterea vini libidine ad vsq; ludibria ebriosus. Is in conuiuiis iuuenum, quæ agitare Athenis hebdomadibus lunæ solenne nobis fuit, simulatque modus epulis factus, & vtiles delectabilesq; sermones cœperant, tum silentio ad audiẽdum petito, loqui cœptabat. Atque id genus vili & incondita verborum caterua, hortabatur omnes ad bibendũ. idq; se facere ex decreto Platonico prædicabat: tanquam Plato in libris, quos de legibus composuit, laudes ebrietatis copiosissime scripsisset, vtilemque eam esse bonis ac fortibus viris censuisset. Ac simul inter eiusmodi orationem crebris & ingẽtibus poculis omne ingenium ingurgitabat: Fomitẽ esse quendam dicens, & incitabulum ingenii, virtutisq;, si mens & corpus hominis vino flagraret. Sed enim Plato in primo, & in secundo de Legibus, non vt ille nebulo opinabatur, ebrietatem istam turpissimam, quæ labefacere & minuere hominum mentes solet, laudauit: sed hanc largiorem paulo iucundioremque vini inuitationem, quæ fieret sub quibusdam quasi arbitris & magistris cõuiuiorũ sobriis, nõ improbauit. nam & modicis honestisq; inter bibendum remissionibus refici integrariq; animos, ad instauranda sobrietatis officia existimauit, reddique eos sensim lætiores atq; ad intentiones rursum capiendas fieri habiliores: & simul siqui penitus in iis adfectionũ cupiditatũmque errores inessent, quos aliquis pudor reuerens concelaret, ea omnia sine graui periculo libertate per vinum data detegi, & ad corrigendum medendũmque fieri opportuniora. Atque etiam hoc Plato ibidem dicit, non defugiendas esse, neque respuendas huiuscemodi exercitationes, aduersum propulsandam vini violẽtiam. Neque vllum vnquam continentem prorsus ac temperantẽ satis fideliter visum esse, cuius vita victũsq; non inter ipsa errorum pericula, & in mediis voluptatũ illecebris explorata sit. Nam cui libentiæ gratiæque omnes cõuiuiorum incognitæ sint, quique illarũ omnino expers sit: si eum forte ad participãdas eiusmodi voluptates aut volũtas tulerit, aut casus induxerit, aut necessitas cõpulerit, deliniri plerunque & capi: Neq; mẽtẽ animũq; eius cõsistere, sed vi quadam noua ictum labascere. Congrediendum igitur censuit, & tanq̃ in acie quadam cum voluptariis rebus, cũq; ista vini licentia comminus decernendum, vt aduersum eas non fuga simus tuti, nec abstinentia: sed vigore animi & constanti præsentia. moderatóq; vsu, temperantiam continentiamque tueamur: & calefacto simul refotoq; animo, siquid in eo vel frigidæ tristitiæ, vel torpentis verecũdiæ fuerit, diluamus.

Ebrietas qualis à Platone laudetur.

Libentia.

Decernendum cũ vino comminus.

ASCEN. Sunt qui aufingere quoque dicendũ putent, eo quòd Aufidus flumen inde dictũ videtur. Homeri verba præter rem præsentem transferuntur: nihil enim sententiæ eorũ ad institutũ faciũt. AEstumo. nos æstimo dicimus: quod si est ab æs & time, miror quomodo i in u vertat: nisi forte sicut simulo pro similo dicimus. Acerrimæ in studio literarum licentiæ. Si licentia in vulgata significatione accipiatur, non videatur illi congruere epitheton acerrimæ. quocirca putem à liceor, quod est æstimo aut existimo, deductum, vt sit acerrimæ censuræ. αὐέρυσαν.i.supinauerunt: habet pro prima syllaba au particulam.

Quid M. Cicero de particula ista senserit scripseritq;, quæ præposita est verbis aufugio & aufero, & an in verbo autumo eadem ista hæc præpositio esse videri debeat.

CAPVT III.

Aufugio auferóque an sola ab in au vertant.

LEgimus librum Ciceronis, qui inscriptus est Orator. In eo lib. Cicero cum dixisset verba hæc aufugio & aufero, composita quidem esse ex præpositione ab, & ex verbis fugio & fero: sed eam præpositionem, quo fieret vox pronunciatu auditũque lenior, versam mutatámque esse in au syllabam, cœptumque esse dici aufugio & aufero, pro abfugio & abfero. Cum hæc inquam ita dixisset, tum postea ibidem super eadem parti-

cula ita scripsit. Hæc, inquit, præpositio præter hæc duo verba, nullo alio in verbo reperitur. Inuenimus autem in commentario Nigidiano verbum Autumo compositum ex ab præpositione, & verbo æstumo: dictumq; intercise, autumo, quasi ab æstumo: quod significaret totum æstumo, tanquam abnumero. Sed quod sit cum honore multo dictum P. Nigidii, hominis eruditissimi, audacius hoc argutiusque esse videtur quàm verius: Autumo enim non id solum significat, sed & dico & opinor & censeo: cum quibus verbis præpositio ista, neque cohærentia vocis, neque significatione sententiæ conuenit. Præterea vir acerrimæ in studio literarum licentiæ M. Tullius, non sola esse hæc duo verba dixisset, si reperiri posset vllum tertium. Sed illud magis quæri inspicique dignum est, versa ne sit, & mutata ab præpositio in au syllabam propter lenitatem vocis: an potius au particula sua sit propria origine: & proinde vt pleræque aliæ præpositiones à Græcis, ita hæc quoque inde accepta sit, sicut in illo versu Homeri,

Autumo.

Au particula.

Αὐέρυσαν μὲν πρῶτα, καὶ ἔσφαξαν, καὶ ἔδειραν,
καὶ ἄβρομοι αὐίαχοι.

ASCEN. Comparandis mulis &c. quod vulgariter diceretur: comparando.i.emendo mulos & vehicula magistratibus.i.ijs qui magistratum gerebant. Signandum autem quòd comparandis pro emendis dixit: nam nonnulli ita loquendum non putant. Præbenda publice conduxisse.i.ea quæ à parochis præbenda erant, de quibus Horatius in sermonibus. Præstant & parochi quæ debent, ligna saléque. Erant autē in exercitu copiarij, quibus erat præceptum vt præbenda.i. salem & ligna publice missis exhiberent. Vt vero adnotauit Bebelius, in plurali tātum legimus, idque in neutro genere. Canonici etiam panem recipiūt sed præbēdæ nomine: quo vocabulo abstineas. Mas. Hermolaus ait à Plauto dici mulotribas, qui mulos fricant. hic Venditius fuit Cic. inimicus, teste Appiano. Hunc Plau. appellat Mulionem castrensem: alij dixere suffarraneum, à farre vehendo ad castra: ea dictum formatione, qua consecraneum pro sacrato: consectaneum, qui est de eadem secta & hæresi: item militaneum. Alij apud Plinium legunt sufforaneum, alij superforaneum: forte pro partiario mulione, qui mercenarius est, & quartam quæstus partem accipit. Ad hoc adlusit quisquis huius distichi autor est: De furuo raptus clibano tenuique culina, Mulio si fiat, Irus Agenor erit. Vbi quid Irus, quidve Agenor sit, pensiculatum est à Philægidio.

Cōparo.

Præbenda

Mulotribæ.

Historia de Ventidio Basso ignobili homine, quem primum de Parthis triūphasse memoriæ traditum est. CAPVT IIII.

IN sermonibus nuper fuit seniorum hominum & eruditorum, multos in vetere memoria altissimum dignitatis gradum ascendisse ignobilissimos prius homines & despicatissimos. Nihil adeo tamen de quoq; tātæ admirationi fuit, quantæ fuerunt quæ de Ventidio Basso scripta sunt. Eum Picentem fuisse genere & loco humili, & matrem eius à Pompeio Strabone Pompeii Magni patre bello Sociali, quo Asculanos subegit, captam cum ipso esse. mox triumphante Pompeio Strabone, eum quoque puerum inter cæteros ante currum Imperatoris sinu matris vectum esse. post cum adoleuisset, victum sibi ægre quæsisse: eumq; sordide inuenisse, comparandis mulis & vehiculis magistratibus, qui sortiti prouincias forent, præbenda publice conduxisse. In isto quæstu notum esse cœpisse C. Cæsari, & cū eo profectum esse in Gallias. Tum quia in ea prouincia satis nauiter versatus esset, & deinceps ciuili bello mandata sibi pleraque impigre & strenue fecisset: non modo in amicitiam Cæsaris, sed ex ea in amplissimum quoque ordinem peruenisse. Mox Tribunū quoque plebis, ac deinde Præt. creatum. Atque in eo tempore iudicatum esse à Senatu hostē cum M. Antonio. Post vero coniunctis partibus, non pristinam tantum dignitatem recuperasse, sed Pontificatum, ac deinde Consulatum quoque adeptum esse, eamque rem tā intoleranter tulisse Pop. Rom. qui Ventidium Bassum meminerat curandis mulis victitasse, vt vulgo per vias vrbis versiculi proscriberentur,

Ventidij Bassi emersio.

Cōparandis.

Præbēda.

Concurrite omnes augures, aruspices,
Portentum inusitatum conflatum est recens,
Nam mulos qui fricabat, Consul factus est.

Versus defamatorij.

Eundem Bassum Suetonius Tranquillus præpositum esse à M. Antonio prouinciis orientalibus, Parthosque in Syriam introrumpenteis, tribus ab eo præliis fusos scribit. eumque primum omnium de Parthis triumphasse, & morte obita publico funere sepultum esse.

o v

Profligare ASCEN. Profligare est quidem proprie deperdere, & ad perniciem adducere vnde profligatissimi dicuntur perditissimi apud Sueto. in Tybe. Ex iuuẽtute vtriusque ordinis profligatissimus quisque. sed quia res profligata ad exitum tendit: ideo profligare pro eo quod est consummare legitur apud idoneos: & profligatum aut pro eo quod iãiamque desinet esse: aut pro consummato, licet rarius. Vnde Cor. Tacitus, Profligauerat bellum cum Iudæis Vespasianus. i. ad exitum perduxerat: quia bellum cum fuerit pro fligatum. i. ad exitum deductum esse desinit. Et Cic. lib. v. quæstionum Tusculanarum, Atque si ita est, pro fligata iam hæc & pene ad exitum deducta quæstio est. Vbi videtur exponere quod dixerat profligata quia quæstio ad finem deducta desinit esse quæstio. Affectum autẽ in qua significatione hic accipitur, videtur sonare quasi ad finẽ & cõsummationẽ vsque factum. Eãdẽ quoque de affecto sentẽtiã alibi pronũciauit. videtur tamen in duobus exẽplis Cic. quæ citat aliter accipi pro absoluto: & reuera parũ aut nihil à cõmuni significatione differre: vt affectum sit quasi quod dicitur affectatũ: quia cũ bellum est affectum. i. vt interpretari posse videor, affectatum & expetitum: iam fere confectum est. quod si pro absoluto dixerit, quomodo addiderit pene confectum? Præterea si affecta absoluta sunt: quare non sunt perfecta? In vltimo tamen exemplo, affecta pro consummata capi videtur, quia additur iam prope: quod si non adderetur, meo iudicio esset vt in alijs res affecta, quæ non est penitus absoluta aut consummata: sed quæ ad absolutionem tendit, & iam in affectatione est vt absoluatur. Barbatulo. sunt qui legant Barbasculo. i. aliquãtulum barbaro. Profligatum. i. deperditum: quia malum nactum erat patronum seu aduocatum. Mas. Fere vltra significantiam qua vtimur dicentes, fere cæsum quempiam, importat vniuersam connotationem, vt id est fere in ore. i. fere semper, aut fere in omnium ore. Postulauisset, petiuisset, accusasset, querelam aduersario apud prætorem dixisset. De affecto dictum est cap. xvj. lib. iij.

Profligo. Verbum profligo à plerisque dici improprie insciteque. CAPVT V.

SIcut alia verba pleraque ignoratione & inscitia improbe dicentium quæ non intelligant, deflexa ac deprauata sunt à ratione recta & consuetudine: ita huius quoque verbi, quod est profligo, significatio versa & corrupta est. nam cum ab affligendo, & ad perniciem interitumque deducẽdo inclinatum id tractumque sit: semperque eo verbo, qui diligẽter locuti sunt, ita vsi sint, vt profligare dicerent, prodigere & deperdere: profligatasque res quasi profli- ctas & perditas appellarint: nunc audio ædificia & templa, & alia fere multa, quæ prope absoluta adfectaque sunt, in profligato esse dici, ipsaque esse iam profligata. Quapropter vrbanissime respondisse Prætorem non indoctum virum barbatulo cuidam ex aduocatorum turba, Sulpitius Apollinaris in quadam epistola scriptum reliquit: Nam cum ille, inquit, rabula audaculus ita postulasset, verbaque ita fecisset, Omnia V. CLSS. negotia, de quibus te cogniturũ esse hodie dixisti, diligentia & velocitate tua profligata sunt: vnum id solum relictum est, de quo rogo audias. Tum Præt. satis ridicule, An illa negotia, de quibus iam cognouisse me dicis, profligata sint equidem nescio: hoc autem negotium, quod in te incidit, proculdubio, siue id audiam, siue non audiam, profligatum est. Quod significare autem volunt qui profligatum dicunt, ii qui latine locuti sunt, nõ pro fligatum, sed adfectum dixerunt: sicut M. Cic. in oratione, quam habuit de prouinciis Consularibus. eius verba hæc sunt, Bellum adfectum videmus, & vere vt dicam, pene cõ fectum. Item infra, Nam ipse Cæsar quid est quòd in ea prouincia commorari velit, nisi vt ea quæ per eum affecta sunt, perfecta Reip. tradat? Item Cicero in OEconomico, Cum vero affecta iam prope æstate, vuas à sole mitescere tempus est.

Fere multa. — V. CLSS. id est, vir clarissime. — Affectum. — Cic. locus.

ASCEN. Qui est secundus de gloria. Eos libros opinor non extare. Sane in alijs quoque dormitasse Cic. author est Angel. Poli. misc. c. liiij. Vbi id quoque Cic. testimonio cõuincit. Sed & Cic. homo. In vltimo versu cedet pro cadet legã, id est discedet & fluet. Mirum autem quomodo ea carmina ab Hectore dicantur de Hectore.

In libro M. Ciceronis de gloria secundo, manifeste est erratũ in ea parte, in qua scriptum est super Hectore & Aiace. CAPVT VI.

Cic. error. IN libro M. Tullii qui est secundus de Gloria, manifestus error est non magnæ rei. Quem errorem esse possit cognoscere non aliquis eruditorum, sed qui tantum legerit ὁμήρου ή. Quamobrem non tam id mirabimur, errasse in eam rem M. Tullium, quàm non esse animaduersum hoc postea, correctumque vel ab ipso, vel à Tirone liberto eius diligentissimo homine, & librorum patroni sui studiosissimo. Ita enim scriptum in eo libro est, Apud eundem poetam Aiax cum Hectore congrediens depugnandi causa, agit vt sepeliatur, si sit forte victus: declaratque se velle, vt suum tumulum multis etiam post seculis prætereuntes, sic loquantur,

Hic situs est, vitæ iampridem lumina linquens,

Qui quondam Hectoreo perculsus concidit ense.
Fabitur hoc aliquis: mea semper gloria viuet.

Huius autem sententiæ versus, quos Cicero in linguam latinam vertit, nō Aiax apud Homerum dicit, neque Aiax agit, vt sepeliatur: sed Hector dicit, & Hector de sepultura agit, prius quàm sciat an secum depugnandi causa congressurus sit Aiax. Vide quo modo Hector dicat.

ἀνδρὸς μὲν τόδε σῆμα πάλαι κατατεθνειῶτος
ὅν ποτ' ἀριστεύοντα κατέκτανε φαίδιμος ἕκτωρ.
ὥς ποτέ τις ἐρέει. τὸ δ' ἐμὸν κλέος οὔποτ' ὀλεῖται.

ASCEN. In senioribus plerisque omnibus. quomodo & quare plerique omnes simul dicātur alibi diximus. Climax climachos dicitur scala seu gradatio: vnde annus climactericus est scalaris seu scansilis aut gradarius ex septenario per nouem multiplicato resultans. nouies enim septies. lxiij. conficiunt. Vt vero diligenter adnotauit Beroal. Censorinus in libro de die natali tradit septimum quemque annum per omnem vitam esse periculosum. vnde & vulgo dici solet septimo quoque anno mutari ætatē, sed in hebdomadibus triplicatis maius volunt esse periculū, in ter triplicatis multo maius, in quater qui est. lxxxiiij. annus, summū. Vt vero Cælius lib. xj. cap. xxxvj. scripsit, Iulius Maternus author est propterea sexagesimūtertium annū ætatis præcipue videri periculis insignem, quoniā numerus vterque septē & nouē, qui decretorij maleficique sint, & ad vitā succidendā pollentes, in vnū quasi cōfluāt &c. Addit Ptolemæum Astrologorū principem has opiniones penitus reiecisse. Mase. Seneca in quadam epistola ad Lucilium ait Platonem nouies nono anno diem clausisse. In expositione D. August. ponitur æquipollentia sub. lxxxvij. vbi. lxxxj. legendum. Hoc fuit scribentis vitium, aut impressoris. Lege Censorinum de die natali. cap. v.

Obseruatum esse in senibus, quòd annum fere ætatis tertium & sexagesimum agant, aut laboribus, aut interitu, aut clade aliqua insignitū. Atq; inibi super eadē obseruatione exēplum appositum Epistola diui Augusti ad Caium nepotē. CAP. VII.

OBseruatum in multa hominum memoria, expertumque est, in senioribus plerisque omnibus sexagesimumtertium vitæ annum cum periculo & clade aliqua venire, aut corporis morbique grauioris, aut vitæ interitus, aut animi ægritudinis. Propterea qui rerū verborūque istiusmodi studio tenentur, eum ætatis annum appellant κλιμακτηρικόν. Nocte quoq; ista proxima superiore, cum librum epistolarum D. Augusti, quas ad C. nepotem suum scripsit, legeremus, duceremurque elegantia orationis, neque morosa, neque anxia, sed facili hercle, & simplici: idipsum in quadam epistola super eodem anno scriptum offendimus. Eiusque epistolæ exēplum hoc est, IX Calēd. Octobres. Aue mi Cai, meus ocellus iucundissimus, quem semper mediussidius desidero, cum à me abes. Sed præcipue diebus talibus, qualis est hodiernus, oculi mei requirunt meum Caium: quem, vbicunq; & hoc die fuisti, spero lætum, & bene valētem celebrasse quartum & sexagesimū natalem meum: nā vt vides, κλιμακτῆρα cōmunē seniorum omniū, tertiū & sexagesimum annum euasimus. Deos autem oro, vt mihi quantūcūque superest temporis, id saluis vobis traducere liceat, in statu Reip. felicissimo, ἀνδραγαθούντων ὑμῶν, καὶ διαδεχομένων. Climactericus annus. Augusti epistolæ.

ASCEN. Odio esse. expunge esse, redundat enim. Edis: pro es ab edo priore breui, pro manduco. Succenturientur. i. vt in bello lassis aut cæsis qui impetum primum sustinuerunt, noua centuria suppetias fert: ita reiectis prioribus escis appetitum acuant nouæ & delicatiores. Totam comesse. quia ficedulæ intestina pro condimento sunt, aut quia tota caro sapida est, in alijs autem tantum posteriores partes, quod tamen non in omnibus videtur. Nam in capis & perdicibus atque alijs multis anteriores placent. Si causam non adderet, dicerem vt ex Horatij secundo sermonum habetur, aues non videri satis teneras nisi semiputrefactæ sint. Delibari, prægustari, quod non placet. quia sequitur ne edendo defatigentur. vnde legam cum Cale. in vocabulo libro delibrari. i. diligenter quasi ad libram ponderari. Dicitur etiam delibro media breui pro eo quod est librum, id est corticem detraho, sed loco huic non congruit. Mas. Clodius Albinus centū ficedulas comedit vna mensa, centum persica campana, totidem ficus labicanas, & decem melones ostienses, vt apud Spartianum legitur. Gellius vocat Popinæ præfectos, Cælius in lib. vij. vocat Philoxenem & Gnathonem gulæ proceres, immo extremos, perditosque homunciones, cupediuorosque, qui literis infamati sunt quòd conuiuijs adhibiti emungere in paropsides, siue pultaria soliti essent (vt Hermolaus ait in præfatione Themistij, cuius hæc sunt verba) quo soli ampliter fruerentur. Si quid amplius expetis de cibis, conuiuis, mensis, cœnandi tempore, sumptu, polyphagia, lege Cælium in multis locis & Volaterranum in. xxxij. D. Hiero. epist. vj. lib. ij. contra Iouinianum cap. xxxvij. ait, Porro ciborum auiditas, quòd mater auaritiæ sit, & animum quasi quibusdam compedibus degrauatum in terra teneat, quis ignorat? Propter breuem gulæ voluptatem terræ lustrantur & maria, & vt mulsum vinum & preciosus cibus fauces nostras transeat, totius vitæ opera desudamus. Postremissimum quod Mosellanus notat hic modo inuenies scilicet cap. xij. Clo. Albini voracitas.

Locus ex oratione Phauorini veteris oratoris de cœnarũ atq; luxuriæ exprobratione: qua vsus est cũ legem Liciniã de sumptu minuendo suasit. CAPVT VIII.

CVm legeremus orationem veterem Phauorini, non indiserti viri, quam orationem totam vt meminisse possemus, odio hercle istiusmodi sumptus atque victus perdidicimus. verba adposuimus Phauorini, quæ hæc sunt, Præfecti popinæ atque luxuriæ negant cœnam lautam esse, nisi cum libentissime edis tum auferatur, & alia esca melior atque amplior succenturietur. Is nunc flos cœnæ habeatur inter istos, quibus sumptus & fastidiũ pro facetiis procedit. Qui negant vllam auem, præter ficedulam, totam comesse oportere: cæterarum auium atque altilium, nisi tantum apponatur, vt à cluniculis, inferiori parte saturi fiant, conuiuium putant inopia sordere: superiorem partem auium atq; altilium, qui edũt, eos palatum non habere: Si proportione crescit luxuria, & debere epulas crescere. Videte quid relinquitur, nisi vt delibrari sibi cœnas iubeant, ne edendo fatigentur, quando stratus auro, argento, purpura, amplior aliquot hominibus, quàm diis immortalibus adornatur.

Edis. Phauorinus in luxum epularum.

ASCEN. Frons etiã in Gallorũ lingua masculini est generis, vt arbor & arborũ nomina pomus, pyrus & similia. Et quàm audaces & quàm licentes: manifeste hic ponitur quàm cũ positiuo etiã pro valde. Vt tũ ferebat ætas, quia & ipse tunc iunior erat. Mõs põs frõs, lego fõs, ne quod probandũ sit assumat & addi possit. Finitionẽ fictã, quia analogiæ in re cõcedendum nõ est. Festus Põpeius multa sub alio genere quàm nũc proferantur prolata cõmemorat: vt hic Corius, hæc ludus, hæc metus hæc amnis. hic frons, hic collus pro genere tormẽti, hæc lupus, hic crux, vt Gracchus in Popiliũ, Dignus fuit qui malo cruce periret. Mas. Cæliani versus pẽsiculãdi sunt: quibus proditor acriter suggillatur, cuius factũ nõ modo nobilissimo cuique odiosum est, sed & tenuioris fortunæ hominibus, quãdo nihil vnquã proditori fidũ esse debet: quẽ tantisper amandũ Antigenus dicebat dũ proditionẽ faceret. Et Cæsar dicebat sibi proditionẽ placere, proditorem minime. Et Aug. proditionem quidem amo, proditorem non laudo. Hi sunt familiares hostes formidandi maxime hilaritatem præ se ferentes: quorum præcordia tabescunt veneno. Hæc illi. proditionẽ placere & amari ab illis intelligo vt rem vtilem: non vt rem turpem. Verbi gratia, si perniciosus hostis à familiari suo mihi prodatur: proditionem amẽ vt rem vtilem: turpitudinem tamen facti detester, & ita proditorem non amẽ. Quã rem Galli in Tarpeia armillis promissis obruta facto ipso docuerunt: Addit Mas. Vt iuuenis ille quanta licentia dixit: ita & Gel. quàm audaces sumus, pro quantũ: ne quis hic putet positum pro valde. Badius sic putat positum, non tamẽ aliis temere ponendũ. cur putet facit & geminata: nõ enim ita concinne dixeris, immo inquam potius nos & quantum audaces & quantum licentes sumus, vt & valde audaces & valde licentes sumus: de quo sit suum cuique iudicium.

Quòd Cæcilius poeta frontem genere virili, non poeticè sed cum probatione & cũ analogia appellauit. CAPVT IX.

VEre ac diserte Cæcilius hoc in Subdititio scripsit,
Nam ii sunt inimici pessumi, fronte hilaro,
Corde tristi, quos neq; vt adprehendas, neq; vt mittas, scias.

Fronte hilaro.

Hos ego versus, cum de quodam istiusmodi homine sermones essent, in circulo forte iuuenum eruditorum dixi. Tum de grammaticorum vulgo quispiam nobiscum ibi adsistens non sane ignobilis, Quanta, inquit, licentia audaciaq; Cæcilius hic fuit, cum fronte hilaro, non fronte hilara dixit, & tam immanem solœcismum nihil veritus est. Immo, inquam, potius, nos & q̃ audaces & quàm licentes sumus, qui frontem improbe indocteque non virili genere dicimus, cum & ratio proportionis quæ analogia appellatur, & veterum authoritas, nõ hanc, sed hũc frontem debere dici suadeant. Quippe M. Cato in quinta Originum, ita scripsit, Postridie signis collatis, æquo fronte, peditatu, equitibus, atq; aliis cũ hostiũ legionibus pugnauit. Recto quoque fronte idem Cato eodem in libro dicit. At ille semidoctus grammaticus, Missas, inquit, authoritates facias, quas quidem vt habeas, posse fieri puto: sed rationem dic, quam non habes. Atque ego his eius verbis vt tum ferebat ætas, irritatior: Audi, inquam, mi magister rationem, falsam quidem: sed quam redarguere falsam esse non queas. Omnia, inquam, vocabula tribus literis finita, quibus frons finitur, generis masculini sunt, si in genitiuo quoque casu eadem syllaba finiantur, vt mons, pons, fons. At ille contra renidens, Audi, inquit, discipule plura alia consimilia, quæ non sint generis masculini. Petebant ibi omnes, vt vel vnum statim diceret. Sed cum homo vultum intorqueret, & non hisceret, coloresque mutaret: tum ego intercessi, Et vade inquam nũc, & habeto ad requirendum XXX dies. postquam inueneris, repetes nos. Atq; ita hominem nulli rei, ad indagandũ vocabulum, quo rescinderet finitionem fictam, dimisimus.

Quàm audaces. Quàm cũ positiuo. Analogia. Fronte æquo & recto. Nulli rei pro nihili.

ASCEN. Hermolaus Barbarus dicit in Pli.lib.xxxvj.cap.xv.simile remedium ab Aristotele in arti bus referri. Qui essent.i.quo essent præuinctæ.s.ad collum,dum sese suspenderent. Cum eodem laqueo. cum non significat instrumentum,sed comitem.sensus enim est,non vt laqueo illo quasi instrumẽto efferrentur,sed vt efferrentur simul cum laqueo.i. habentes adhuc laqueum in collo.Mas.Docet Hippocrates & Galenus,ægrotos si violentior grassetur morbus & febris ardescat atrocior, arctius vinciendos videri,quòd plerique sic affecti se perditum eunt. Vnde Lucretius, Multi præcipites lymphis putealibus alte In fluuios partim gelidos ardentia morbo Membra dabant,nudum iacientes corpus in vndas.Quidam hoc referunt ad vim mali atrociorem,alij ad diuinam iram,alij hoc in melancholiã reijciunt.Nostris temporibus visa est Ambianẽn.cuiusdam viri sane in omnibus laudabilis religiosique,charitate in pauperes & viduas conspicui,in puteum cum crumena auri referta præcipitatio.Scimus illud Dauidis verum esse:Iudicia dei abyssus multa.Fortius corruit Catonis Portia,constantius Cato ipse,sed alia erat mortis species. hæc sana mente ab insano prodibat,superior mentis insaniam arguebat,& illa vitio datur, hæc cõmendatur ab historicis æthnicis.Bad.Bene dicit ethnicis, quia catholice commendabilis nõ est mors sibi à quoquam illata,nisi à spiritu sancto fuerit commonitus,vt Samson & martyres quædam.Quinetiam Augustinus censet Lucretiam,Catonem,similesque non fortiter sed meticulose mortem oppetiisse:fortiorem cẽset merito Susannam Lucretia, illa enim salua pudicitia amissa tamen fama mori maluisset, quàm viuere violata,hæc ideo violari,vt fama salua vltorem vitij inueniret.Et Cato quia plus timuit Cæsaris quàm mortis de se triumphum:à qua si eam bonam censuisset,filium non dehortatus esset. Sed de his mox paullo.Addit Maserius.Mira mors notatur germani cuiusdam à Seneca in.x.epistol.Diui Augustini interpres in.xxvj.cap.lib.j.de ciuit.Peregrinum authorem citans in virginum speculo,ait Milesias sibi mortem consciuisse quòd à Gabijs fuerant compressæ:sed id alio contigit tempore.D.August.cap.xix.Lucretiam homicidij damnat,& in sequenti probat illud diuinum præceptum,non occides non extendi tãtum ad alios sed ad se,non vlterius procedẽdo,contra Manichæorum hæresim (inquit interpres) qui in hoc pythagorei fuerunt,prohibentes cædem animalium. In.xxj.autem cap. excusat Abrahami voluntatem & Samsonis spontaneum exitium,in quæstione relinquens iudicis Israelitæ sacrificium qui filiam voti reus obtulit. Dãnans in.xxij.Theobertum qui libro Platonis de animæ immortalitate lecto sibi mortem consciuit. Itẽ Catonem Vticensem ex cuius tamen vulnere plus gloriæ quàm sanguinis manasse Val.Max. asserit. D.Hieronymus secundo tractatu contra Iouinianum cap.xxvj.ait septem milesias virgines à Gallis cuncta vastantibus non fuisse oppressas,sed ne id paterentur sibi mortem consciuisse. Quare videndum est an Gabijs an Gallis apud Augustini interpretem & authorem ipsum sit legẽdum, & an sit versa historia. Nulli rei,id est meo iudicio ad nullam rem in dandi casu, sicut cõtra homo frugi id est ad frugem vtilis. Quod autem alibi antique dicit nulli rei in genitiuo:non est huic simile propter genus.diceret enim nullæ rei antiquè:sicut Terentius,Alteræ dum narrat in via.

De voluntario & admirando interitu Virginum Milesiarum. CAPVT X.

Plutarchus in librorum, quos περὶ ψυχῆς inscripsit, primo, cum de morbis dissereret in animos hominum incidentibus, virgines dixit Milesii nominis ferme quod tum in ea ciuitate erant, repente sine vlla euidenti causa, voluntatem cepisse obeundæ mortis, ac deinde plurimas vitam suspendio amisisse. Id cum accideret indies crebius, neque animis earum mori perseuerantium medicina adhiberi quiret:decreuisse Milesios,vt virgines,quæ corporibus suspensis demortuæ forent,vt eæ omnes nudæ cum eodẽ laqueo qui essent præuinctæ,efferrẽtur. Post id decretum virgines voluntariam mortem nõ petisse,pudore solo deterritas tam inhonesti funeris.

Milesiarũ virginum interitus.

Pudoris vis.

ASCEN. In ludũ scilicet literarium. Desidere.i.ociosos sedere.vnde desides dicti. Qui eo .i. ad eos ludos ostenderemus nostrã sententiam videlicet nobis non placere ludos illos:aut legendũ est nostra sententia. Verũetiam Domitiano imperante.sunt qui Christianos & inter eos diuum Ioannem euangelistam exactos,& in exilium missos dicerẽt propter nouã doctrinam. Nicopolis est victoriæ vrbs in Epiro appellata à victoria: qua Augustus M.Antonium & Cleopatrã apud Actiũ prælio nauali vicit. De poetis similiter exigendis Plato legem sanxit:cuius rei D.August.cap.xiiij.lib.ij.de ciui.meminit.

Verba Sena.con.de exigendis vrbe Roma philosophis. Item verba edicti Cens.quo improbati & coerciti sunt,qui disciplinam rhetoricam instituere & exercere Romæ cœperant. CAPVT XI.

Caio Fannio Strabone,M.Valerio Messala COSS.Sena.con. de philosophis & rhetoribus latinis factum est.M.Pomponius Præt.Senatum cõsuluit:quòd verba facta sunt de philosophis & de rhetoribus.D.E.R. I.C.vt M. Pomponius Præt. animaduerteret curaretq; vti ei è rep. fideque sua videretur,vti Romæ ne essent. Aliquot deinde annis post id Senatusc. Cn. Domitius AEnobarbus, & L. Licinius crassus Censs. de coercendis rhetoribus latinis ita edixerunt, Renunciatum est nobis esse homines, qui nouum genus disciplinæ instituerunt: ad quos iuuentus in ludum conueniat: eos sibi nomen

Philosophi Rhetoresque vrbe eiecti

imposuisse latinos rethoras. Ibi homines adolescentulos dies totos desidere. Maiores nostri qui liberos suos discere, & quos in ludos itare vellent, instituerunt. Hæc noua quæ præter consuetudinem ac morem maiorum fiunt, neque placent neque recta videntur. Quapropter & iis qui eos ludos habent, & iis qui eo venire consueuerunt, visum est faciendum, vt ostenderemus nostram sententiam nobis non placere. Neque illis solum tẽporibus nimis rudibus, necdum græca disciplina expolitis, philosophi ex Vrbe Roma pulsi sunt: verum etiam Domitiano imperante, Senatusconsulto eiecti, atque Vrbe & Italia interdicti sunt. Qua tempestate Epictetus quoque philosophus propter id Senatuscõsultum Nicopolim Roma decessit.

Postremissimus.

ASCEN. Memoratissimus in titulo ponitur pra memorabilissimo. Ac de pudicitia sua. Posset etiã dici eius. Versatus sum inquit. vacat inquit, quia præmittitur, ea verba sunt hæc. Inter verba enim Gracchi, nõ erat inquit. Omniũ nationũ postremissimũ. A superlatiuo postremus pro absoluto sumpto format superlatiuũ hũc. Signandum etiam quòd superlatiuus nõ cõueniat cũ genitiuo in genere: dicit enim omniũ nationum: sed subauditur hominum. A seruis. quia tunc masculi cum masculis &c. Zonas. i. cincturas quas lumbacias vulgo vocant: in quibus pecuniæ condi solent. Vnde Horatianum illud in epistolis, Ibit eo quo vis qui zonam perdidit inquit. Vide Sabel. in annot. Horatij.

Locus ex oratione Gracchi de parsimonia, ac de pudicitia sua memoratissimus.

CAPVT XII.

Plutarc. in C. Gracc. Gracchi parsimonia.

CAius Gracchus, cum ex Sardinia rediit, orationem ad populum in concione habuit. ea verba sunt hæc, Versatus sum (inquit) in prouincia, quomodo ex vsu vestro existimabam esse, non quomodo ambitioni meæ conducere arbitrabar. nulla apud me fuit popina, neque pueri eximia facie stabant: sed in conuiuio liberi vestri modestius erant quàm apud principem. Post deinde hæc dicit, Ita versatus sum in prouincia, vt nemo posset verè dicere, assem aut eo plus in muneribus me accepisse, aut mea opera quempiam sumptum fecisse. Biennium fui in prouincia, si vlla meretrix domum meam introiuit, aut cuiusquam seruulus propter me solicitatus est, omnium nationum postremissimum nequissimumque existimatote. Cum à seruis eorum tam caste me habuerim, inde poteritis considerare, quomodo me putetis cum liberis vestris vixisse. Atque ibi ex interuallo, Itaque, inquit, Quirites cum Roma profectus sum, zonas quas plenas argenti extuli, eas ex prouincia inanes retuli. Alii amphoras, quas vini plenas tulerunt, eas argento plenas domum reportauerunt.

Veritum. Pati. Vereor tui. Abusus.

ASCEN. Vtor, vereor, hortor &c. abs te. hoc loco manifeste sentit ablatiuum agentẽ à passiuis mediante præpositione à vel ab vel abs regi, contra Bonfinem. Inusitata: & ideo dicuntur deponentalia. Vereri se à suis, exemplum Africani: ne Gellium contemnas. Cohortatum passiue dixit. i. quem cohortatus fuit. Quos non est veritum sic dicitur ac si veretur sit verbum impersonale quale pudet & tædet, accusatiuum cum genitiuo aut infinitiuo regens. Frustra autem quidam cohortatus legunt: nam sic nihil faceret ad rem exemplum adductum. Mas. Donatus in Hecyram Terentij ait pati esse verbum commune, quod & probat Nestor. Vereor te, abs te, tibi & tui dicitur. Vltimum apud Afranium, Si non vereor nemo vereatur tui. In Afranij autem versu citato, non hisco, sed iste legendum est. Aldus tamen hisco imprimendum curauit. Forte legendum hisce pro hic aut huiusmodi. Abusus passiuum apud Plautum in Asin. Arg. Vbi illa quæ dedi ante. Le. Abusa. Interdum vtor ponitur cum accusatiuo. Varro, Vtile vtamur, potius quàm ab rege abutamur.

De verbis inopinatis, quæ vtroque versum dicuntur, & à grammaticis communia vocantur.

CAPVT XIII.

Verba cõmunia multa, verius deponentia.

VTor, & vereor, & hortor, & consolor cõmunia verba sunt, ac dici vtroque versum possunt: vereor te & vereor abs te, id est, tu me vereris: vtor te & vtor abs te, id est, tu me vteris: hortor te & hortor abs te, id est tu me hortaris: consolor te & consolor abs te, id est tu me consolaris. testor quoque & interpretor significatione reciproca dicuntur. Sunt autẽ verba hæc omnia ex altera parte inusitata, & an dicta sint in eam quoque partem, quæri solet. Afranius in Consobrinis,

Vereri. Vtitur passiue. Cohortatum.

Hem hisce parentum est vitabilis liberis,
Vbi malunt metui quàm vereri se à suis.

Hic vereri ex ea parte dictum est, qua est non vsitatius. Nouius in Ligararta Liciniaria, verbum, quod est vtitur, ex contraria parte dicit,

Quia supellex multa, quæ non vtitur, emitur tamen.

Id est quæ vsui non est. M. Cato in quinta Origine. Exercitum, inquit, suum pransum, paratum, cohortatum eduxit foras atque instruxit. Consolor quoque in partem alteram, preterquã dici solitum est, in epistola Q. Metelli, quam cũ in exilio esset, ad Cn. & ad L. Domitios dedit, Ac cum animum, inquit, vestrum erga me video, vehementer cõsolor, & fides virtusque vestra mihi ante oculos versatur. Testata itidẽ & interpretata eadem ratione dicit M. Tullius in primo libro de Diuinatione, vt testor interpretorq; verba communia videri debeant. Sallustius quoque eodem modo dilargitis proscriptorum bonis dicit, tanquam verbum largior sit ex verbis communibus. Veritum autẽ sicut puditum & pigitum, non personaliter per infinitum modum, dictum esse, non à vetustioribus tantũ videmus, sed à M. quoque Tullio in secundo de Finibus, Primũ, inquit, Aristippi, Cyrenaicorumq; omnium, quos nõ est veritum in ea voluptate, quæ maxima dulcedine sensum moueret, summum bonum ponere. Dignor quoque & veneror, & confiteor & testor, habita sunt in verbis communibus: sicut illa in Virgilio dicta sunt,

Cohortatum passiue. Consolor. Testata. Interpretata. Dilargitis Passi. Veritũ impersonaliter. Cic. locus.

Coniugio Anchisa Veneris dignate superbo. Et,
Cursusque dabit venerata sacerdos.

Dignate. Venerata.

Confessi autẽ æris, de quo facta cõfessio est, in XII tabulis scriptũ est his verbis, AEris cõfessi, rebusq; iudicatis XXX dies iusti sunto. Itẽ ex iisdem tabulis id quoq; est, Quæ si erit testatior, libripensve fuerit, in testimonium feriatur improbus, intestabilisque esto.

Confessi.

ASCEN. Se maximas pecunias exactas esse. se videlicet socios flentes: sed quomodo exactas? credo scribendum exactos: tum quòd sit simile illi, exegit me pecuniam, quod resoluitur exactus sum pecuniam: tum quòd subditur, etiam exactus esse aliquis pecuniam dici potest: sicque dicatur exactus pecuniã vt postulatus equũ & doctus grãmaticen. Nã se à fronte regitur. Mas. Similiter locutus est D. Hierony. in xj. c. Iob. Et intelligeres quod multo minora exigaris ab eo quàm meretur iniquitas tua. Idẽ contra Iouinianum, Maioris est gratiæ offerre quod non debeas, quàm reddere quod exigaris.

Exigor.

Quòd Metellus Numidicus figuram orationis nouam, ex orationibus græcis mutuatus est.

CAPUT XIIII.

A Pud Q. Metellum Numicidum in lib. accusationis in Valerium Messalam tertio, noue dictum esse adnotauimus. Verba ex oratione eius hæc sunt, Cum sese sciret in tantum crimen venisse, atque socios ad Senatũ questum flentes venisse, sese maximas pecunias exactos esse. Pecunias se maximas exactos, id nobis videbatur græca figura dictum. Græci enim dicũt, εἰσεπράξατό με ἀργύριον. Id significat, exegit me pecuniam. quòd si id dici potest, etiam exactus esse aliquis pecuniam dici potest. Cæcilius quoque eadem figura in Hypobolimeo AEschino vsus videtur,

Ego illud minus nihilo exigor portorium.

Metelli verba. Exactos se pecunias. Exigor portoriũ.

ASCEN. Sic etiam AEneid. i. Crinibus Iliades passis. & eiusdem. ij. Ecce trahebatur passis Priameia virgo Crinibus à tẽplo Cassandra. vnde verus est versiculus, Pando, pati, pateo passum fecere supino. In sacris autem literis etiam expansum legitur. Mas. tamen authore, eruditiores legunt expassis in cruce manibus, etiamsi apud Cælium scriptum videatur passim expansis.

Passis velis, & passis manibus dixisse veteres non à verbo suo, quod est patior, sed ab alieno quod est pandor.

CAPUT XV.

A B eo quod est pando, passum veteres dixerunt, non pansum: & cũ præpositione expassum, non expansum. Cæcilius in Synaristusis,

Heri vero prospexisse eum se ex tegulis,
Hæc nunciasse, & flammeum expassum domi.

Passum à pando. Expassum

Capillo quoque esse mulier passo dicitur, quasi porrecto & expanso: & passis manibus, & velis passis dicimus, quod significat diductis atque distentis. Itaq; Plautus in Milite glorioso, à litera in e mutata, per compositi vocabuli morem dispessis dicit pro eo quod est dispassis,

Plau. loc. Dispessis manibus.

Credo ego istoc exemplo tibi esse eundum extra
Portam dispessis manibus patibulum cum habebis.

ASCEN. Artem Athleticam. i. pugillarem. desisset, subaudi facere. Desino enim potius infinitiuo quàm accusatiuo congruit. Proxime viam: sicut prope viam. Sallustius, Proximi Hispaniam Mauri sunt. Tum experiri credo etiam tunc volens. Aliquid ergo differunt tum & tunc, alioqui alterum redũdet: sed videtur tunc significantius aliquid dicere. etiam ad diuersa referenda sunt: nam tum refertur ad cum præmissum: tunc ad ætatem grandem. q. dicat etiã in ea ætate. Dilacerandum feris. hoc tamen minus vero simile facit quòd proxime viam eam arborem dixit: sed multæ sunt viæ minus tritæ & infrequentes hominibus. vnde dixit id contigisse in locis Italiæ syluestribus.

De nouo genere interitus Crotonienſis Milonis. CAPVT XVI.

Milonis interitus. Deſiſſet artem. Proxime viam.

Milo Crotonienſis athleta illuſtris, quem in Chronicis ſcriptũ eſt Olympiade prima coronatum eſſe, exitum habuit vitæ miſerandum & mirandum. Cum iam natu grandis artem athleticam deſiſſet, iterque faceret forte ſolus in locis Italiæ ſylueſtribus, quercum vidit proxime viam patulis in parte media ramis hiantem. Tum experiri (credo) etiam tunc volens an vllæ ſibi reliquæ vires adeſſent, immiſſis in cauernas arboris digitis, diducere & reſcindere quercum conatus eſt, ac mediam quidam partem diſcidit diuellitque: quercus autem in duas diducta partes, cum ille quaſi perfecto, quod erat connixus, manus laxaſſet, ceſſante vi, rediit in naturam: manibusque eius retentis incluſisque, ſtricta denuo & cohæſa dilacerandum hominem feris præbuit.

Cohæſa.

ASCEN. Tibijs canere deſierint, id vſitatius dictum quàm in ſuperiore, artem deſiſſet. Apud auũculum. quia in eius tutela pupillus erat. vnde Perſius, Rem populi tractas magni pupille Pericli. Sunt autẽ apud Tortel. pluſcula de moribus eius, & apud Plutarchum in Alcibiade de vita eius.

Quam ob cauſam nobiles pueri Athenienſium tibiis canere deſierint, cùm patrium iſtum morem canendi haberent. CAPVT XVII.

Alcibiades tibias quî aboleuerit.

Alcibiades Athenienſis, cum apud auunculum Periclem puer artibus ac diſciplinis liberalibus erudiretur, & arceſſi Pericles Antigenidam tibicinem iuſſiſſet, vt eum canere tibiis (quod honeſtiſſimum tum videbatur) doceret, traditas ſibi tibias cum ad os adhibuiſſet inflaſſetque, pudefactus oris deformitate, abiecit infregitque. Ea res cum percrebuiſſet, omniũ tum Athenienſium conſenſu diſciplina tibiis canendi deſita eſt. Scriptum hoc eſt in commẽtario Pamphilæ nono & vigeſimo.

ASCEN. Victoriaque quam vicit. venuſtus ſermo per regulam qua omne verbum regit accuſatiuũ cognatæ ſignificationis: vt viuo vitam, curro curſum, ludo luſum &c. In Theſſalia, ad Philippos. Et caſtitate vitæ ſanctus. Quod Vale. de loco dicit, videlicet quòd magno vbique precio virtus æſtimatur, id de tẽpore quoque dici poteſt: nam illis quoque temporibus religio & caſtitas vt ex hoc loco colligitur, ad donum vaticinij plurimum facere putabatur. vnde & Phœbades virgines ſunt habitæ. Neque nouum eſt religioni addictos caſtos eſſe debere: vt de veſtalibus conſtat, & ideo AEneid. iij. Hac caſti maneant in religione nepotes. Et. vj. eiuſdem dicit quòd in Elyſijs ſunt primo loco quos martyres vocamus: ſecundo ſacerdotes caſti: tertio pij & veridici prophetæ, quarto doctores, quinto benefici, qui opera miſericordiæ exercuerunt. Carmina ſunt huiuſmodi. Hic manus ob patriam pugnando vulnera paſſi: Quique ſacerdotes caſti dum vita manebat: Quique pij vates & phœbo digna locuti: Inuentas aut qui vitã excoluere per artes, Quique ſui memores alios fecere merendo. Pugnam pugnari, per regulam iam poſitam. Maſ. Verba hæc Cælius repetit cap. xxvij. lib. vij. nonnihil adferens de quodam Albigerio Carthaginenſi ex B. Auguſtino. Et ne quid omittam quod ad rem faciat, id addam quod mirabile iudicabunt auditores. Ioannes Raulinus Pariſien. gymnaſij doctor, theologus inſignis ſecularia negligens, factus eſt monachus, quo ſanctius viueret & tutius: qui in domo Cluniacenſi cũ Parrhiſijs ſomnũ media nocte caperet, repẽte ſurrexit, quos habebat ſodales proximos altiſſimũ euocans, iubensque vt preces religioſe easque cõtinuo deo optimo maximo pro fratre Burguino omnes offerrent. Is autẽ aberat. xl. miliaribus domus negotia, vt reor, procurans: & ipſe tunc in agonia luctabatur maxime, & laborabat in extremis: & quo vicinior erat Burguini exitus, eo intenſiores iubebat preces effundi. Inde vnũquẽque remittens, noctẽ trãſegit: & ecce poſt dies admodum paucos Burguini nunciatur obitus: ſcitumque tunc fuit illum ea expiraſſe hora, qua ceſſandũ doctor ille præceperat. Hoc ego ſæpiſſime accepi à D. in ſacra Theologia magiſtro & doctore egregio Iacobo Molino ſeu mauis de Molendino, mœcenate meo & auũculo haudquaquã pœnitendo. Audiuit & Germanus faber ſancti Clodoaldi decanus nõ idignus, præceptor quondã meus: audierunt & plerique alij. Prophetiæ vim his addiderũt antiqui maxime quos inſignijt virginitas: teſtis eſt Auguſtini interpres in. xxv. cap. lib. j. de Ciuitate dei: idque probat ex Caſſandra & Sibyllis.

Raulini Theologi abſentis rei cognitio.

Quòd pugna belli ciuilis victoriaque C. Ceſaris, quam vicit in Pharſalicis cãpis, nũciata prædictaque eſt per cuiuſdam Cornelii ſacerdotis vaticinium, eodem ipſo die in Italia Pataui. CAPVT XVIII.

Cornelij ſacerdotis vaticiniũ de victoria pharſalica.

Qvo C. Cæſar. & Cn. Pompeius die ciuile bellum ſignis collatis in Theſſalia conflixerunt, res accidit Patauii in Tranſpadana Italia memoria digna. Cornelius quidam ſacerdos, & loco nobilis, & ſacerdotii religionibus venerandus, & caſtitate vitæ ſanctus, repente mota mente conſpicere ſe procul dixit pugnam acerrimam pugnari. Ac deinde alios cedere, alios vrgere, cædem, fugam, tela volanta, inſtauratio-

nem pugnæ,impressionem,gemitus,vulnera:perinde vt si ipse in prælio versaretur,coram videre sese vociferatus est. Ac postea subito exclamauit Cæsarem vicisse. At Cornelii sacerdotis ariolatio leuis tum quidem visa est & vecors, magnæ mox admirationi fuit: quòd non modo pugnæ dies,quæ in Thessalia pugnata est, neque prælii exitus qui erat prædictus,idem fuit:sed omnes quoque pugnandi reciprocæ vices,& ipsa exercituum duorum conflictatio vaticinantis motu atque verbis repræsentata est.

ASCEN. Vt tuus pistor &c.non barbare igitur panifex pistor dicitur. sed olim iidem & pinsebant frumenta & coquebant panes.quod nunc diuersi.Nemo centussi.In carmine dicitur etiam centusse.vnde Persius,Et centum Græcos curto centusse licetur. Sane cum assis generaliter sumpti nomine omne pondus mensuraque ac numerus contineatur,specialiter tamen captus modicum quid significat,quando centussis centum asses complectens,& curtus & modicus sit. Apitius quidem dicitur fuisse primus inter ventricolas exquisitus ciborum satrapes. Apitius.

Verba M. Varronis memoria digna ex satyra,quæ inscribitur περὶ ἐδεσμάτων.

CAPVT XIX.

NON paucissimi sunt,in quos potest conuenire id quod Mar. Varro dicit in satyra,quæ inscribitur περὶ ἐδεσμάτων.verba hæc sunt,Si quantum operæ sumpsisti,vt tuus pistor bonum faceret panem,eius duodecimam philosophiæ dedisses, ipse bonus iampridem esses factus. Nunc illum qui norunt,volunt emere milibus centum: Te qui nouit,nemo centussi. Varro in gulæ proceres. Centussi aut centussibus legendum.

ASCEN. Eleusino & Theseo,aut potius Theseio certamine, quod idem puto. sed Eleusinum ab Eleusi,quæ & Eleusin dicitur. Theseiũ à Theseo eius institutore(vt in eius vita apud Plutarchum late patet)dictum est. Huius rei meminit Valerius Maximus cap.de iis qui clari euaserunt, & in cap.de morte non vulgari. Sunt qui immeritum taxent Gellium quod in illo versiculo, Nulla ætate tua Euripides monumenta peribunt, Euripides penult. breui enunciet, cum eius versiculi & similium Gellius author non sit,vt ad frontem totius operis dictum est. Peccauit itaque qui sic vertit non Gellius. Euripides fuit Mnesarchi(alii dicunt Mnesarchidem)filius,& Clitus nobilissimæ fœminæ.quidam dixerũt matrem λαχανοπώλιν,vt Theop.& Val.Max. Ea die natus est qua Xerxes victus est a græcis,pictor primum ait Cælius in.xiii.libro,mox sophistes dictus μισογέλως,id est risus osor,& misogynes, id est mulierum osor. De eo multa dicuntur a Cælio dicente a quibusdam tertiam produci,ab aliis corripi, citatque versum hunc,Nulla ætate tua Euripides &c. Euripides.

Notata quædam de Euripidis poetæ genere,vita, moribus, deque eiusdem fine vitæ.

CAPVT XX.

EVRIPIDIS poetæ matrem Theopompus agrestia olera vendentem victum quæsisse dicit. Patri autem nato illo,responsum est à Chaldæis,eum puerum,cum adoleuisset, victorem in certaminibus fore. Id ei puero fatũ esse pater interpretatus, Athletam debere esse,roborato exercitatoque filii sui corpore Olympiam decertaturum eum inter Athletas pueros deduxit Ac primo quidem in certamen per ambiguam ætatem receptus non est.post Eleusino & Theseio certamine pugnauit,& coronatus est. Mox à corporis cura ad excolendi animi studium transgressus,auditor fuit Physici Anaxagoræ,& rhetoris Prodici:in morali autem philosophia,Socratis. Tragœdiam scribere natus annos duodeuiginti adortus est. Philochorus refert in insula Salamine speluncam esse tetram & horridam, quam nos vidimus,in qua Euripides tragœdias scriptitarit. Mulieres fere omnes in maiorem modum exosus fuisse dicitur:siue quòd natura abhorruit à mulierum cœtu,siue quòd simul duas vxores habuerat, cum id decreto ab Atheniensibus facto ius esset, quarum matrimonii pertædebat. Eius odii in mulieres Aristophanes quoque meminit,ἐν ταῖς προτέραις θεσμοφοριαζούσαις, Euripidis genus. Victoria. Studia. Mores.

Νῦν οὖν ἁπάσαισι προαυδῶ, ὦ λέγω,
τοῦτον κολάσαι τὸν ἄνδρα πολλῶν οὕνεκα.
Ἄγρια γὰρ ἡμᾶς ὦ γυναῖκες δρᾷ κακὰ ἐν ἀγρίοις
τοῖς λαχάνοις αὐτὸς ῥαφείς.

Alexander autem AEtolus hos de Euripide versus composuit,

ὁ δ᾽ Ἀναξαγόρου τρόφιμος ἀρχαίου,
στρυφνὸς μὲν ἔμοιγ᾽ ἔοικε προσειπεῖν,

*παροίνου καὶ μισογέλως, καὶ τωθάζειν οὐδὲ * παροίνους
ἀλλ' οὖν. μεμαθηκώς. ἀλλ' οὖν κεχάνωται, τοῦτ' αὖ ,‘;
μέλιτος καὶ σειρήνων ἐπετύχει.

Cædes. Sepulcrũ. Is cum in Macedonia apud Archelaum regem eſſet, vtereturque eo rex familiariter, rediens nocte ab eius cœna, canibus à quodam æmulo immiſſis dilaceratus eſt, & ex his vulneribus mors ſecuta eſt. Sepulcrum autem eius & memoriam Macedones eo dignati ſunt honore, vt in gloriæ quoque loco prædicarent,

οὔτι ποτε σὸν μνῆμα Εὐριπίδης ὤλετό που,

Quòd egregius poeta morte obita ſepultus in eorum terra foret. Quamobrem cum legati ad eos ab Athenienſibus miſſi petiſſent, vt oſſa Athenas in terram illius patriam permitterent transferri, maximo conſenſu Macedones in ea re deneganda perſtiterunt.

ASCEN. Quinetiam incerto patre natos Neptuni aut Oceani filios dixerunt, quòd Thales Mileſius omnia ex humore procreari putauit. vnde illud Geor. iiii. Oceanumque patrem &c. Venus autem (vt muli) nobiliorem progenitorem ſecuta ad Iouem dicit AEneid. i. Nos tua progenies cæli quibus annuis arcem. Contra Neptunus de tali prole ſuperbior eiuſdem. v. dicit. Fas eſt cytherea meis te fidere regnis, Mare vitandum. Vnde genus ducis &c. Videtur autem vtriuſque particeps. Maſ. Plato in lib. de rep. ait fugiendum mare perinde ac improbitatis magiſtrum. Et Strabo ait mare attingentes deteriores effectos cœpiſſe latrocinari, & hoſpites mactare, hinc factum eſſe adagium, Maritimi mores. i. improbi, ſordidi, peſſimique & barbari.

Quòd à poetis Iouis filii prudentiſſimi, humaniſſimique: Neptuni autem inhumaniſſimi & ferociſſimi traduntur. CAPVT XXI.

Iouis filii. Neptuni filii. PRAEſtantiſſimos virtute, prudentia, viribus, IOVIS FILIOS poetæ appellauerunt, vt AEacum, & Minoa, & Sarpedona: ferociſſimos & immanes, & alienos ab omni humanitate, tanquam e mari genitos, NEPTVNI FILIOS dixerunt, Cyclopa, & Cercyona, & Læſtrygonas.

Ceruus & aper domiti. ASCEN. Valerius Maximus cap. de vafre dictis & factis, eandem rem proſequitur, ſed longe vberius Plutarchus in vita Sertorii, e qua non pauca Sabellicus decerpſit. Immerito autem Hiſpanos dicit nobiliſſimos, cum nulli inuitius ſe fidei Ro. crediderint, nec ab ea tardius defecerint, tanquam ſi deo ſup. parerent. Maſe. Ceruum quoque educatum à Ptolomeo philadelpho ait Cælius in. xii. Indicæ vocis ſonum percipientem. Ego quoque in agro Redonenſi cicures vidi aprum, ceruum & ceruam. Et cum ſyluester porcus ſit efferis impetibus, nunquamque aut perraro canum cønſortia quæritans, aper Fontaneti à canicula nutritus D. Acygnæum Mœcenatem meum ex Britonibus ſatrapis ſeu heroibus primariis (Galli Barones dictitant) inſignem maxime quocunque itat cum canibus adſequitur, feras cum domeſticis canibus inſectans, externos canes e cœtu propellens ad vocem domini confeſtim adcurrens. nec cedit niſi prius pane canum more recepto. Et is cum in Britanniam minorem primum tranſii, erat in quodam domicilio cũ primis amœno (cui nomen Lande) nosque Fontanetum ſex miliaribus & ſupra diſtans, domũ vſque proſecutus eſt. Ceruus autem quòd ſuccreſcentibus ramulis adoleſcentem abs quo iritabatur importunè læſerat, ſinente domino cæſus eſt, cum hæc ſcriberem. Ceruam vero conſpicimus modo quaſi attonitam, luſtraque Fontaneto proxima, & domus latebras ſcrutantem. diceres cerui mortem ferre indigne. Et porcus ſyluester domini veſtigia aut familiarium conſectans, quum ieiunium ſupra ſolitum eſt paſſus adgrunniens domini aulam penetrat, ciboque ſuſcepto de more diſcedit. Habes apud Plinium de ſerpente, de leone, delphine, mira, vt cognoſcas homini nata eſſe omnia. Magmet ſeu Mahumet morbo laborabat comitiali, quod vxor animaduertens rogauit quidnam eſſet. Cui ille, deſine, inquit, vxor mirar, morbus abeſt, ſed cum aduentantis numinis vim pati nequeam, mente collabor ac ſtupent membra, communis eſt hæc prophetarum adfectio, quorum vnus ſum. Habere dicebatur etiam columbam domeſticam, quæ cibum ex ore eius captans ſpiritusſancti ſpeciem videbatur aſſumere, & pſeudoprophetam ſuper futuris certiorem facere. His fraudibus & vaframentis mulier delinita, quem odiſſe cœperat euentus atrocitate, commẽti verſutia, vt diuinum ſuſcipere virum coacta eſt, & ea moriens virum ex aſſe hæredem inſtituit. Huius Ceruæ Sertorianæ ita meminit Plin. xxxii. cap. lib. viii. Fiunt aliquando (ſcilicet ceruæ) ex colore candido, qualem fuiſſe traditur Q. Sertorii ceruam, quam ipſe fatidicam Hiſpaniæ gentibus perſuaſerat.

Mahumeti aſtus.

Hiſtoria de Sertorio duce, deque aſtu eius, commentitiisque ſimulamentis, quibus ad barbaros milites continendos conciliandosque ſibi vtebatur. CAP. XXII.

Sertorii aſtutia. SERTORIVS vir acer egregiusque dux, & vtendi regendique exercitus peritus fuit. Is in temporibus difficillimis mentiebatur ad milites, ſi mendacium prodeſſet: & literas compoſitas pro veris legebat, & ſomnium ſimulabat, & falſas religiones conferebat, ſi quid iſtæ res eum apud militum animos adiutabant. Illud adeo Sertorii nobile eſt. Cerua alba eximiæ pulchritudinis, & viuaciſſimæ celeritatis à Luſitano ei quodam domino data eſt. Hanc ſibi oblatam diuinitus, & inſtinctam Dianæ numine, colloqui ſecum,

Cerua Sertoriana

monereque & docere quæ vtilia factu essent, persuadere omnibus instituit, Ac siquid durius videbatur, quod imperandum militibus foret, à cerua sese monitum prædicabat. Id cum dixerat, vniuersi tanquam si deo libentes parebant. Ea cerua quodam die, cum incursio esset hostium nunciata, festinatione ac tumultu consternata in fugam se prorupit, atque in palude proxima delituit, & postea requisita perisse credita est. Neq; multis diebus post inuentam esse ceruam Sertorio nunciatur. Tum qui nunciauerat, iussit tacere: ac ne cui palam diceret, interminatus est. præcepitque, vt eam postero die repente in eum locum, in quo ipse cum amicis esset, immitteret. Admissis deinde amicis postridie, visum sibi esse ait in quiete, ceruam quæ perierat, ad se reuerti: & vt prius cõsueuerat, quod opus esset facto, prædicare. Tum Sertorio quod imperauerat significante, cerua emissa in cubiculũ Sertorii introrupit. Clamor factus, & orta admiratio est. Eaque hominum barbarorum credulitas Sertorio in magnis rebus magno vsui fuit. Memoriæ proditum est ex iis nationibus, quæ cum Sertorio faciebant, cum multis præliis superatus esset, neminem vnquam ab eo desciuisse: quanquam id genus hominum esset mobilissimum.

ASCEN. Ex hoc historiographorum prouentu notare licet, quòd vt terræ per venas varias, varia producunt metalla, ita tempora varia diuersa ingenia: non tantum in literis, sed etiam in religione.

De ætatibus historicorum nobilium Hellanici, Herodoti, & Thucydidis.

CAPVT XXIII.

HELlanicus, Herodotus, Thucydides, historiæ scriptores in iisdem temporibus fere laude ingenti floruerunt: & non nimis longe distantibus fuerunt ætatibus. Nam HELLANICVS in initio belli Peloponnesiaci fuisse, quinq; & sexaginta annos natus videtur, HERODOTVS tres & quinquaginta, THVCYDIDES quadraginta. Scriptum hoc in libro XI Pãphilæ. Hellanicus. Herodotus. Thucydides.

ASCEN. Hos versus de comicis diuersi varie legunt, vt Nestor & Lancilotus. Maserius noster censet non legendum videmus. & recte, quia trochæo in hoc carmine locus non est. legamus ergo vidimus. dicit etiam vtrũque & incertos, & incerto posse legi: & vbi alii legunt hunc, meo iudicio doctius legitur, Eum iudice me. Vbi autem vulgo habetur Lucium, Nestor legit Lucretium, & Lancilotus Lucetium: primum sequar. Item in vltimo versu mutarem duo prima verba, vt sit, Addo decimum: nam si decimum addo legeris, defuerit syllaba.

Quid Vulcatius Sedigitus in libro, quem de poetis scripsit, de Comicis latinis iudicarit.

CAPVT XXIIII.

SEDIgitus in libro, quem scripsit de poetis: quid de iis sentiat, qui comœdias fecerunt, & quem præstare ex omnibus, cæteris putet, ac deinceps quo quenque in loco & honore ponat, his versibus suis demonstrat, Vulcatius Sedigitus. Comicorum latinorum gradus.

Multos incertos certare hanc rem vidimus,
Palmam poetæ comico cui deferant.
Eum, iudice me, errorem dissoluam tibi,
Vt contra siquis sentiat, nihil sentiat.
Cæcilio palmam statuo de comico, Cæcilii,
Plautus secundus facile exuperat cæteros. Plauti,
Dein Næuius qui feruet, precio in tertio est. Næuii,
Siquid quarto detur, dabitur Licinio. Licinii,
Post insequi Licinium facio Attilium. Attilii,
In sexto consequitur hos Terentius. Terentii,
Turpilius septimum, Trabea octauum obtinet. Tnrpilii. Trabeæ,
Nono loco esse facile facio Lucetium. Lucetii,
Addo decimum antiquitatis causa Ennium. Ennii.

ASCEN. Ex hoc capite mirari licet felicitatem priscorum, cum quicquid finxerint receptum sit. Sane mimiambi pro mimiiambi sic cõponitur vox vt semesus, semustus, vnoculus, & similia, in quibus prioris partis vocalis à sequentis partis prima quæ vocalis est absumitur. nam iambus vox trisyllaba est, & prima syllaba i, literam vocalem habet. Addit Maserius. de versu illo, Commune lumen &c. Cum versus sca zon sit, caue aliter legas quam reponendum puto, Commune lumen hominibus, voluptasque, non & voluptas, nam duplex menda foret.

De verbis quibuſdam nouis, quæ in Cn. Matii Mimiambis offenderamus. CAPVT XXV.

Mimiambi. Recẽtatur.

CN. Matius vir eruditiſſimus in Mimiambis ſuis non abſurde, neque abſone finxit RECENTATVR, pro eo quod græci dicunt ἀνανεοῦται. Verſus, in quibus hoc verbum eſt, hi ſunt,

„ Iam iam albicaſſit phœbus, & recentatur
„ Commune lumen hominibus, voluptasque.

Edulcare. Idem Matius in hiſdem mimiambis, EDVLCARE dicit, quod eſt dulcius reddere, in his verſibus,

„ Quapropter edulcare conuenit vitam,
„ Curasque acerbas ſenſibus gubernare.

ASCEN. Huius capitis verba græca cum Gellius præter morem ſuum exponat, non opus erat exponere niſi vt verbum verbo reddatur.

Quibus verbis Ariſtoteles philoſophus definierit ſyllogiſmum, eiusque definitionis interpretamentum verbis latinis factum. CAP. XXVI.

Syllogiſmus Fruſtra additur prius hoc interpretamẽtũ.

ARIſtoteles quid SYLLOGISMVS eſſet, his verbis definiuit, λόγος ἐν ᾧ τεθέντων τινῶν, ἕτερόν τι τῶν κειμένων ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει διὰ τῶν κειμένων. Eius definitionis nõ videbatur habere incõmode interpretatio facta hoc modo, Syllogiſmus eſt oratio, in qua conſenſis quibuſdã & cõceſſis, aliud quid, quàm quæ cõceſſa ſunt, per ea quæ cõceſſa ſunt, neceſſario cõficitur.

ASCEN. Calata comitia .i. Po. Ro. coitiones aut conuocationes, aut congregationes voce præconis factæ. Quod plebes ſtatuiſſet: antique. ſic hæc trabes dicebatur: vnde & illud, Neſcit plebes ieiuna timere. Curiata quæ per curias vocatas fiebant. Centuriata quæ per centurias. de quibus late Beroaldus. Addit Maſe. Apud Plautum in Aulul. pulcherrimum eſt iuuenis dictum, De capite meo intus comitia habentur .i. fit decretum & deliberatio de morte mea in hoc conuentu. Deteſtatio. Deteſtatio interdum eſt execratio, interdum teſtium abſciſſio emaſculatioque. Apul. in. vii. Adhibita tali deteſtatione manſuetos ac manſues inde factos. Loquitur de aſinis. hic autem ponitur pro denunciatione facta cum teſtatione.

Quid ſint comitia calata, quid curiata, quid centuriata, quid tributa, quid conſilium: atque inibi quædam eiuſmodi. CAPVT XXVII.

Calata comitia. Curiata. Centuriata Teſtamẽtorum tria genera. Conſilium Plebiſcita Lex Hortenſia. Curiata comitia. Centuriata Comitiorũ locus.

IN libro Lælii Felicis ad Q. Mutium primo ſcriptum eſt, Labeonem ſcribere CALATA COMITIA eſſe, quæ pro collegio Pontif. habentur, aut regis ſacrorum, aut flaminum inaugurandorum cauſa. Eorum autem alia eſſe curiata, alia centuriata. CVRIATA per lictorem curiatim calari, id eſt conuocari: CENTVRIATA per cornicinem. Hiſdem comitiis, quæ calata appellari diximus, & ſacrorum deteſtatio, & teſtamenta fieri ſolebant. Tria enim genera TESTAMENTORVM fuiſſe accepimus. Vnum, quod calatis comitiis in concione populi fieret. Alterum in procinctu cum viri ad prælium faciendum in aciem vocabantur. Tertium, per familiæ emancipationem, cui æs & libra adhiberetur. In eodem Lælii Felicis libro hæc ſcripta ſunt, Is, qui non vniuerſum populum, ſed partem aliquam adeſſe iubet, non comitia, ſed conſilium edicere debet. Tribuni autem neque aduocant patricios, neque ad eos referre de re vlla poſſunt. Ita ne leges quidem proprie, ſed plebiſcita appellantur, quæ Trib. pleb. ferentibus accepta ſunt. Quibus rogationibus ante patricii non tenebantur, donec Q. Hortenſius DICT. eam legem tulit, vt eo iure, quod plebes ſtatuiſſet, omnes Quirites tenerentur. Item in eodem libro ſcriptum eſt, Cum ex generibus omnium ſuffragium feratur, curiata comitia eſſe: Cum ex cenſu & ætate, centuriata: cum ex regionibus & locis, tributa. Centuriata autem comitia intra pomœrium fieri nefas eſſe, quia exercitũ extra vrbem imperari oporteat, intra vrbem imperari ius non ſit. Propterea centuriata in campo Martio haberi, exercitumque imperari præſidii cauſa ſolitũ quoniam populus eſſet in ſuffragis ferendis occupatus.

ASCEN. Si diuerſis temporibus primam cauſam egiſſe & Roſcium defendiſſe intellexerimus, non abſurdum fuerit tertio & viceſimo anno primam egiſſe, &. xxvii. Roſcium defendiſſe. De vitæ duratione minus mirandum eſt, eo quòd Cicero vi periit, multos fortaſſis adhuc annos victurus.

Quod errauit Cor. Nepos, cum scripsit Ciceronem tres & viginti annos natum causam pro Sex. Roscio dixisse. CAPVT XXVIII.

C OR. Nepos & rerum memoriæ non indiligens, & M. Ciceronis, vt qui maxime amicus familiarisque fuit: atque is tamen in primo librorum, quos de vita illius composuit, errasse videtur: cum eum scripsit tres & viginti annos natum primam causam iudicii publici egisse: Sex. que Rosciū parricidii reum defendisse. dinumeratis quippe annis a Q. Cæpione, & Q. Serrano, quibus COSS. ante die III Nonas Ianuar. M. Cicero natus est, ad M. Tullium, & Cn. Dolabellam, quibus COSS. causam priuatam pro Quintio apud Aquilium Gallum iudicem dixit, sex & viginti anni reperiuntur. Neque dubium est quin post annum, quam pro Quintio dixerit, Sex. Roscium reum parricidii defenderit, annos iam septem & viginti natus, L. Sylla Felice, & Q. Metello Pio COSS. In qua re etiam Fenestellam errasse Pedianus Asconius animaduertit, quod cum scripserit, sexto & vigesimo ætatis anno pro Sex. Roscio dixisse. Longior autem Nepotis, quam Fenestellæ error est: nisi quis vult in animum inducere, studio amoris & amicitiæ adductum, amplificandæ admirationis gratia quadriennium Nepotem suppressisse, vt M. Cicero orationem florentem dixisse pro Roscio admodum adolescens videretur. Illud adeo ab vtriusque oratoris studiosis animaduersum & scriptum est: quod Demosthenes, & Cicero pari ætate illustrissimas orationes in causis dixerint. Alter κ̀ Ἀνδροτίωνος, καὶ κ̀ τιμοκράτους, septem & viginti annos natus: alter anno minor pro P. Quintio: septimo & vigesimo, pro Sex. Roscio. Vixerunt quoque nō nimis numerum annorum diuersum. Alter treis & sexaginta annos, Demosthenes LX.

Cor. Nepotis erratum. Cicero quoto ætatis anno cām egerit primā Fenestellæ erratulum. Demosthenis Ciceronisque anni vitæ.

ASCEN. Dicere itaque licet, est mihi nomen Iulius, Iulii, Iulio, & Iulium: sed Iulium videtur adiectiue sumptum, & nominatiui casus, sicut & Tarquinium: alioqui non videretur congrue dictum: vnde nō dixero: est mihi nomen Iulum: sed bene, habeo nomen Iulus & Iulum.

Quali figura orationis, & quam noua L. Piso Annalium scriptor vsus sit. CAPVT XXIX.

D Væ istæ in loquendo figuræ notæ satis vsitatæque sunt, Mihi nomen est Iulio, & mihi nomē est Iulii. Tertiam figuram nouam hercle reperi apud Pisonem in secundo Annalium. Verba Pisonis hæc sunt, L. Tarquinium collegam suum, quia Tarquinium nomen esset, metuere. eumque orat, vti sua voluntate Roma concedat. Quia Tarquinium, inquit, nomen esset: hoc perinde est, tanquam si ego dicam, mihi nomen est Iulium.

Est mihi nomen.

ASCEN. Oppido quam inepti, honesta locutio & vera sententia: rari enim sunt qui interiorum literarum haustum verum nisi cum ineunte ætate capiunt: & tamen alienis imbuti plus cæteris sibi sapere videntur: ideoque temere iudicant. Constat etiam gallis multum immutatam linguam: qui quid petoritum sit nesciant, nisi literas sciant: At lancea quid sit, licet Hispanicum vocabulum, intelligunt omnes. Sunt qui petoritum in mula locent: vt essedum apud Belgas repertū in equo. estque quod inter duos trahitur mulos aut equos gestatorium: currus videlicet pensilis. Dictum autem puto quòd sit petauro simile: quia Galli fere au, in o, vertunt: & olim sic græce locuti sunt vt nunc latine. Sed hac origine vnico r scribatur, vt à Calepino scriptum inueni.

Petoritum

Vehiculum quod Petoritum appellatur, cuiatis linguæ vocabulum sit Græcæ an Gallicæ. CAPVT XXX.

Q Vi ab alio genere vitæ detriti iam & retorridi ad literarum disciplinas serius adeunt, si forte iidem garruli natura & subargutuli sunt, oppido quam fiunt in literarum ostentatione inepti & friuoli. Quod genus profecto ille homo est, qui de petoritis nuper argutissimas nugas dixit. nam cum quæreretur petoritum quali forma vehiculum, cuiatisque linguæ vocabulum esset: & faciem vehiculi ementitus est lōge alienam falsamque & vocabulum græcū esse dixit, atque id significare volucres rotas interpretatus est: cōmutataque vna litera petoritum esse dictū volebat, quasi petorotū. Scriptum etiam hoc a Valerio Probo contendit. Ego, cum Probi multos admodum cōmentationū libros inquisierim, neque scriptū in his inueni, nec vsquā alioqui Probū scripsisse credo. Petoritum

Oppido quàm. Petoritū.

enim est non ex græca dimidiatum,sed tota Transalpibus factum:nam est vox gallica. Id scriptum est in libro M.Varronis XIIII rerum diuinarum.Quo in loco Varro, cũ de petorito dixisset,esse id verbum gallicum:lanceam quoque dicit non latinum, sed hispanicum verbum esse.

Lancea.

ASCEN.Ialysi imago erat pictura Ialysi:quæ est vna ex tribus ãtiquissimis vrbibus Rhodi insulæ, vt author est Strabo lib.xiiii.qui nominat eas hoc versu:Lyndon, Ialysonque dein, claramque Camyron. Tortellius dicit alteram eiusdem nominis ab Herodoto commemorari: quæ sita est in Dorica regione Græciæ.Nominatiuus est Ialysos.Idem Tortellius Demetrios plurimos recẽset.Mosellanus Ialyson aut venatorem hominem aut equum venaticum censet.

Quæ verba legauerint Rhodii ad hostium ducem Demetrium,cum ab eo obsiderentur,super illa inclyta Ialysi imagine. CAPVT XXXI.

Demetrius. Poliorcetes. Ialysi Protogenis præstãtia. Rhodiorũ mandata.

RHodum insulam celebritatis antiquissimæ,oppidumque in ea pulcherrimum ornatissimumque obsidebat oppugnabatque Demetrius,dux ætatis suæ inclytus:cui a peritia disciplinaque faciendi obsidii,machinarumque solertia ad capienda oppida repertarum,cognomentum πολιορκητὴς fuit. Tum ibi in obsidione illa ædes quasdam publice factas, quæ extra vrbis muros cum paruo præsidio erant,adgredi & vastare atque absumere igni parabat. In his ædibus erat memoratissima illa imago Ialysi,Protogenis manu facta illustris pictoris.cuius operis pulchritudinem præstantiamque ira percitus Rhodiis inuidebat.Mitt̃ut Rhodii Legatos ad Demetrium cum his verbis,Quæ malum, inquiunt,ratio est, vt tu imaginem istam velis incendio ædium facto disperdere?nam si nos omnes superaueris,& oppidũ hoc totum ceperis,imagine quoque illa integra & incolumi per victoriam potieris:sin vero nos vincere obsidẽdo nequiueris,petimus consideres ne turpe tibi sit,quia non potueris bello Rhodios vincere,bellũ cũ Protogene mortuo gessisse.Hoc vbi ex legatis audiuit,oppugnatione desita,& imagini & ciuitati pepercit.

ASCEN.Honestissima & plane aurea est hæc virtutis capessendæ admonitio,quæ Christiano maximi debeat esse momenti,cum credat benefactis etiam in cælis perpetuam repositam mercedem:& malefactis æternum in inferno supplicium:Opera enim illorum sequuntur illos. Huic autem sententiæ quadrat illud quod dictum est à sapiente, Extremum gaudii luctus occupat. id enim de gaudio non sancto, sed illecebroso intelligendum est.Aliud autem mihi velle videtur adagium illud.cccclxvii. in.ii. Chiliade apud Erasmum,Exiguum malum,ingens bonum.In eius enim adagii sententiam apud Senecam Philippus Macedo audita Alexandri natiuitate cum aliis duobus lætis vno die nunciis,sublatis in cælum manibus:dii superi,inquit,pro his tantis bonis modicum reponite supplicii.Mase.Virtutis fructum in conscientia ponit sapiens,minus vero perfectus in gloria, ait Macrobius in secundo de som. Scip. Voluptas cito abibit &c.iuxta illud Horatii in epistolis,Sperne voluptatem:nocet empta dolore voluptas.

AVLI GELLII NOCTIVM ATTICARVM COMMENTARIORVM, LIBER XVI.

Verba Musonii philosophi græce,digna atque vtilia audiri obseruarique.Eiusdem vtilitatis sententia a M.Catone multis ante annis Numantiæ ad equites dicta. CAPVT PRIMVM.

Musonii verba.

ADOLESCENTVLI Cum etiam in scholis essemus, ἐνθυμημάτιον hoc græcum,quod adposui,dictum esse a Musonio philosopho audiebamus.& quoniam vere atque luculente dictum, verbisque est breuibus & rotundis vinctum, perquam libenter memineramus,Ἄν τι πράξῃς καλὸν μετὰ πόνου,ὁ μὲν πόνος οἴχεται, τὸ δὲ καλὸν μένει.ἄν τι ποιήσῃς αἰσχρὸν μετὰ ἡδονῆς, τὸ μὲν ἡδὺ οἴχεται, τὸ δὲ αἰσχρὸν μένει.Postea istam ipsam sentẽtiã in Catonis oratione,quam dixit Numãtiæ apud equites,positam legimus. Quæ etsi laxioribus paulo longioribusque verbis comprehensa est, præquã illud Græcũ,quod diximus:quoniã tamen priore tẽpore,antiquiorque est,venerabilior videri debet.Verba ex oratione hæc sunt,Cogitate cũ animis vestris,siquid vos per laborẽ recte feceritis,labor ille a vobis cito recedet,bene factũ a vobis,dum viuetis,

Catonis verba de virtute capessenda.

non abſcedet:ſed ſiqua per voluptatem nequiter feceritis, voluptas cito abibit, nequiter factum illud apud vos ſemper manebit.

ASCEN. Aut aias aut neges. Sic Cicero, ai aut nega. Et Comicus in Eunucho: Modo ait, modo negat. Eſt enim aio idem quod affirmo & aſſero: non ſolum quod dico. Sed hanc legẽ in quæſtionibus multiplicibus ſeruare non poſſumus. Ad quæſtiunculam tamen, deſiiſti ne facere adulterium an non? ſiquis reſpondeat non: non videtur vere captus: quia non ſequitur, ergo adhuc facis adulterium. Dicã enim quòd nunquam inceperim, at quod non incepi facere, non deſino facere. Ad illam autem: quicquid non perdidiſti habeas ne an non: Reſpondendum: quicquid aliquando habui & non perdidi, habeo. Captioſis, in quibus eſt fallacia, & capiendi anſa. Aio.

Cuiuſmodi ſit lex apud dialecticos percontandi diſſerendique. & quæ ſit eius legis reprehenſio. CAPVT II.

LEgem eſſe aiunt diſciplinæ dialecticæ, ſi de quapiam re quæratur diſputeturque, atque ibi quod rogere, vt reſpondeas: tum ne amplius quid dicas, quàm id ſolum, quod es rogatus, aut aias, aut neges. Eamque legem qui nõ ſeruent, & aut plus, aut aliter quàm ſunt rogati reſpondeant, exiſtimantur rudes indoctique eſſe, diſputandique morem atque rationem non tenere. Dialecticorum lex de reſpondendo.

Hoc quidem, quod dicunt, in pleriſque diſputationibus proculdubio fieri oportet. indefinitus nanque inexplicabilisque ſermo fiet, niſi interrogationibus reſponſionibusque ſimplicibus fuerit determinatus. Sed enim eſſe quædam videntur, in quibus ſi breuiter, & ad id quod rogatus fueris, reſpondeas, capiare. Nam ſiquis his verbis interroget, poſtulo vt reſpondeas, Deſieris ne facere adulterium an non? vtcunque dialectica lege reſponderis, ſiue aias, ſiue neges, hærebis in captione: tam ſi te dicas adulterum, quàm ſi neges. Sed quod minus eſt in interrogatione, id eſt addendum. Nam qui facere aliquid non deſiuit, non id neceſſario etiam fecit. Falſa igitur eſt ſpecies iſtius captionis, & nequaquam procedere ad id poteſt, vt colligi concludique poſſit, eum facere adulterium, qui ſe negauerit facere deſiſſe. Quid autem legis iſtius propugnatores in illa captiuncula facient, in qua hærere eos neceſſum eſt ſi nihil amplius, quàm quod interrogati erunt, reſponderint? Nam ſi ita ego iſtorum aliquem rogem, Quicquid non perdidiſti, habeas ne an non habeas? poſtulo aut aias, aut neges: vtcunque breuiter reſponderit, capietur. nam ſi habere ſe negauerit, quod non perdidit, colligetur oculos eum non habere, quos non perdidit: ſin vero habere ſe dixerit, colligetur eum habere cornua quæ non perdidit. Rectius igitur cautiusque ita reſpondebitur: quicquid habui, id habeo, ſi id non perdidi. Sed huiuſcemodi reſponſio non fit ex lege, quam diximus. plus enim quàm quod rogatus eſt, reſpondet. Et propterea id quoque ad eam legem addi ſolet, non eſſe captioſis interrogationibus reſpondendum. Interrogationes captioſæ.

ASCEN. Inedia eſt abſtinentia cibi, à non edendo dicta. Et conniuent. i. ſe concludunt, vt conniuentes ſubinde oculi. Compertum eſt anachoretis ex deſuetudine edendi amitti famem, vſqueadeo vt repertus ſit noſtra ætate apud Heluetios vir laudatæ vitæ Nicolaus nomine, qui quatuordecim annos tolerauit inediam. Famem autem inualeſcere volunt ſub frigoribus, quòd repulſo foris calore ad ſedem decoctionis validior tunc fiat digeſtio.

Quanam ratione effici dixerit Eraſiſtratus medicus, ſi cibus forte deerit, vt tolerari aliquantiſper inedia poſſit, & tolerari fames: verbaque ipſa Eraſiſtrati ſuper ea re ſcripta. CAPVT III.

CVM Phauorino Romæ dies plerunque totos eramus, tenebatque animos noſtros homo ille fandi dulciſſimus: atque eum quoquo iret, quaſi ex lingua prorſum eius capti proſequebamur. ita ſermonibus vſquequaq; amœniſſimis demulcebat. Tum ad quendam ægrum cum iſſet viſere, noſque cum eo vna introiſſemus, multaque ad medicos, qui tum forte iſtic erant, valetudinis eius gratia ratione græca dixiſſet: ac ne hoc quidem, inquit, mirum videri debet, quòd cum antehac ſemper edundi fuerit appetens, nunc poſt imperatam inediam tridui, omnis eius appetitio priſtina elanguerit. Nam quod Eraſiſtratus ſcriptum reliquit, inquit, propemodum verum eſt, ESVRITIONEM faciunt inanes patenteſque inteſtinorum fibræ, & caua intus ventris, & ſtomachi vacua hiantia: quæ vbi aut cibo cõplentur, aut inanitate diutina contrahuntur & conniuent, tunc loco, in quem cibus capitur, vel ſtipato vel adducto, volũtas capiẽdi eius deſiderãdiq; reſtinguitur. Scythas quoq; ait eundem Eraſiſtratum dicere, cum ſit vſus vt famem longius tolerent, faſciis ventrem ſtrictiſſime circunligare. ea ventris compreſſione eſuritionem poſſe depelli creditum eſt. Eſuritionem quid faciat, quidve reprimat. Famis repreſſio apud Scythas.

Hæc tum Phauorinus multaque istiusmodi alia affabilissime dicebat. Nos autem postea, cum librum forte Erasistrati legeremus διαιρέσεων primũ, idipsum in eo libro, quod Phauorinum audiebamus dicere, scriptum offendimus. verba Erasistrati ad eam rem pertinentia, hæc sunt, ἐλογιζόμεθα οὖν παρὰ τὴν ἰσχυρὰν σύμπτωσιν τῆς κοιλίας εἶναι τὴν σφόδρα ἀσιτίαν. καὶ γὰρ τοῖς ἐπιπλέον ἀσιτοῦσι κατὰ προαίρεσιν ἐν τοῖς πρώτοις χρόνοις ἡ πεῖνα παρακολουθεῖ, ὕστερον δὲ οὐκέτι. Deinde paulum infra, εἰθισμένοι δέ εἰσι καὶ οἱ Σκύθαι, ὅταν διά τινα καιρὸν ἀναγκάζονται ἀσιτεῖν, ζώναις πλατείαις τὴν κοιλίαν διασφίγγειν, ὡς τῆς πείνης αὐτοὺς ἧττον ἐνοχλούσης. σχεδὸν δὲ καὶ ὅταν πλήρης ἡ κοιλία ᾖ, διὰ τὸ κένωμα ἐν αὐτῇ μηδὲν εἶναι, διὰ τοῦτο οὐ πεινῶσιν. ὅταν δὲ σφόδρα συμπεπτωκυῖα ᾖ, κένωμα οὐκ ἔχει. In eodem libro Erasistratus vim quandam famis non tolerabilem, quam Græci βούλιμον, ἢ βούπειναν appellant, in diebus frigidissimis multo facilius accidere ait, quàm cum serenum atque placidum est. atque eius rei causas, cur is morbus in eo plerunque tempore oriatur, nondum sibi esse compertas dicit. Verba, quibus id dicit, hæc sunt, ἄπορον δὲ καὶ δεόμενον ἐπισκέψεως, καὶ διὰ τοῦτο, καὶ διὰ τῶν λοιπῶν βουλιμιώντων, διατί ἐν τοῖς ψύχεσι μᾶλλον τὸ σύμπτωμα τοῦτο γίνεται ἢ ἐν ταῖς εὐδίαις.

Feciales. ASCEN. Feciales dicti videntur aut à faciendo, aut à ferendo, quòd belli inferendi, aut potius indicendi, & hastæ ad fines hostiles ferendæ ius haberent. vnde Liuius lib. i. ab vrbe condita, Bellum erat consensu fieri solitum, vt fecialis hastam ferratam aut sanguineam præustam ad fines hostium ferret, & non minus tribus puberibus præsentibus diceret, Quòd populi priscorum latinorum hominesque prisci latini populo Romano Quiritium bellum fecerunt, deliquerunt: quòd populus Romanus quiritium bellum cũ priscis latinis iussit esse, senatusve populi Romani quiritium censuit, consensit, consciuit, vt bellum cum priscis latinis fieret: ob eam rem ego populusque Romanus, populo priscorum latinorum hominibusque priscis latinis bellum indico facioque. Id vbi dixisset, hastam in fines eorum emittebat. Hoc tum modo, ab latinis repetitæ res, ac bellum indictum: moremque eum posteri acceperunt. Hæc Liuius: quæ cum Cincii verbis quadrant optime. Concipiebatur iusiurandum. i. formula iurandi certis verbis dabatur. Nisi harunce .i. harum aut huiuscemodi sup. causarum, quæ, pro quæuis aut aliqua causa erit. Sonticus morbus dicitur qui nocet. nocere autem intelligitur qui perpetuus est, non qui tempore finitur: & quia iustam absentiam facit, metaphorice sonticum pro iusto ponitur. vnde Næuius, Sonticam oportet esse causam quamobrem perdas mulierem. De cohorte & manipulo vide Varronem. Maser. Feriæ denicales. Dictio nihili denicales expungenda est, & legendum feriæ vindemiales. Aug. Et opportune iam paucissimi dies supererant ad vindemiales ferias, & statui tolerare illos, vt solenniter absconderem. Idem, Renunciaui vindemialibus. Mosellanus tamen non nihili cẽset: sed quia cum prioribus coinciderat: & dura sit deductio Maserio subscribo: licet ille Pompeium laudat. Præterea vbi est: nisi ipsus eo die &c. alii legunt ipsius: vt sit: nisi ius hostisve ipsius sit eo die & accipitur hostis pro peregrino: vt apud Ciceronem de officiis lib. i. *Manipulus. Cohors.* Manipulus autem continet milites xxv. Cohors. l. manipulos. Centuria, centum milites.

Quo ritu, quibusque verbis fecialis Pop. Rom. bellum indicere solitus sit iis, quibus Pop. Ro. bellum fieri iusserat. Et item in quæ verba conceptum fuerit iusiurandum de furtis militaribus sanciendis, & vti milites scripti intra prædictum diem in loco certo frequentarent: causis quibusdam exceptis, propter quas id iusiurandum remitti æquum esset.

CAPVT IIII.

Belli indictio per fecialem. CINCIVS in libro III de re militari fecialem Pop. Ro. bellum indicentem hostibus, telumque in agrum eorum iacientem, hisce verbis vti scripsit, Quòd Pop. Hermundulus, hominesque populi Hermunduli aduersus Pop. Ro. bellum fecere, deliquereque: quodque Pop. Ro. cum Po. Hermundulo, hominibusque Hermundulis bellum iussit: Ob eam rem ego Pop. que Ro. Po. Hermundulo, hominibusque Hermundulis bellum indico, facioque. Item in libro eiusdem Cincii de re militari V, ita scriptum est, Cum delectus antiquitus fieret, & milites scriberentur, in iusiurandum eos Tribunus militaris adigebat in verba *Iurisiurãdi militaris formula de furto cauendo.* hæc, In magistratu C. Lælii, C. filii COS. L. Cornelii, P. filii COS. in exercitu, decemque millia passuum prope, furtum non facies, dolo malo, solus neque cum pluribus, pluris numi argentei, in dies singulos. Extra hastam, hastile, ligna, pabulum, vtrem, follem, faculã, siquid ibi inueneris, sustulerisve, quod tuũ nõ erit, quod pluris numi argentei erit, vti tu ad C. Læliũ C. filiũ COS. L. ve Corneliũ P. filiũ COS. siue ad quem eorũ iusserit, proferas, aut profitebere in triduo proximo, quicquid inueneris, sustulerisve dolo malo, aut domino suo, cuium id censebis esse, reddes, vti quod recte factũ esse voles. Militibus *Absentiæ militaris causæ.* aũt scriptis dies præfiniebatur, quo die adessent: & vt citati COS. respõderẽt. Deinde ita cõcipiebatur iusiurãdũ, vt adessent, his additis exceptionibus, nisi harũce quæ causa erit, funus familiare, feriæ vindemiales, calẽdæq;, quæ nõ eius rei causa in eũ diẽ collatæ sint,

quo is eo die minus ibi esset: morbus sonticus, auspiciumve, quod sine piaculo præterire non liceat: sacrificiumve anniuersarium, quod recte fieri non posset, nisi ipsius eo die ibi sit ius: hostisve status, condictusve dies cum hoste: si cui eorum harunce quæ causa erit, eum se postridie quàm per eas causas licebit, eo die venturum, aditurumque eum, qui eum pagum, vicum, oppidumve delegerit. Item in eodem libro verba hæc sunt, Miles cū die, qui prædictus est, aberat, neque excusatus erat, infrequens dabatur. Item in libro sexto hoc scriptum est, ALAE dictæ exercitus, equitum ordines, quòd circum legiones dextra sinistraque, tanquam alæ in auium corporibus, locabantur. In legione sunt centuriæ sexaginta, manipuli triginta, cohortes decem. Alæ militares. Legio.

ASCEN. De vestibulo & cæteris quæ hic tractantur: vide Macrob. Satur. lib. vi. Similia enim fere dicit. & quæ hic dicuntur satis aperta sunt. Nescio inquit Maserius qua ratione Franciscus Philelphus in Saty. ix. secundam produxit in vestibulo dicens, Ianua multa Adseruata manu, teneat vestibula custos Peruigil. Bad. Ratio est facilis cogitatu sed erronea: putabat enim vestibulum à vestiendo dictum, quasi sit ianuæ vestitio: cum dicatur quasi ve. i. paruum stabulum & statio ante domos magnatium. Vestibulū.

Vestibulum quid significet, deque eius vocabuli rationibus. CAPVT V.

PLEraque sunt vocabula, quibus vulgo vtimur: neque tamen liquido scimus quid ea proprie atque vere significent: sed incompertam & vulgariam traditionem rei non exploratæ secuti, videmur magis dicere quod volumus, quàm dicimus. Sicuti est vestibulum verbum in sermonibus celebre atque obuium: non omnibus tamen, qui illo facile vtuntur, satis spectatum. Animaduerti enim quosdam haudquaquam indoctos viros opinari VESTIBVLVM esse partem domus primorem, quam vulgus atrium vocat. Cæcilius Gallus in libro de significatione verborum, quæ ad ius ciuile pertinent, secundo, Vestibulum esse dicit non in ipsis ædibus, neque partem ædium: sed locum ante ianuam domus vacuum, per quem à via aditus accessusque ad ædeis est: cum dextra sinistraque inter ianuam tectaque, quæ sunt viæ iuncta, spatium relinquitur: atque ipsa ianua procul à via est area vacanti intersita. Quæ porro huic vocabulo ratio sit, quæri multum solet. sed quæ scripta legi, ea ferme omnia inconcinna atque absurda visa sunt. Quod Sulpitium autem Apollinarem memini dicere, virum eleganti scientia ornatum, huiuscemodi est, VE particula, sicuti quædam alia, tum intensionem significat, tum minutionem. Nam VETVS, & VEHEMENS, alterum ab ætatis magnitudine compositum, elisumque est: alterum à mentis vi atque impetu dicitur. VESCVM autem, quod ex ve particula, & esca copulatum est, vtriusque diuersæ significationis vim capit. aliter enim Lucretius vescum salem dicit ex edendi intensione: aliter Lucilius vescum appellat cum edendi fastidio. Qui domos igitur amplas antiquitus faciebant, locum ante ianuam relinquebant, qui inter fores domus, & viam medius esset. In eo loco qui dominum eius domus salutatum venerant, prius quàm admitterentur, consistebant: & neque in via stabant, neque intra ædes erant. Ab illa ergo grandis loci constitione, & quasi quadam stabulatione, vestibula appellata sunt spatia (sicuti diximus) grandia ante fores ædium relicta, in quibus starent qui venissent, prius quàm in domum intromitterentur. Meminisse autem debebimus id vocabulum non semper à veteribus proprie, sed per quasdam tralationes esse dictum. quæ tamen ita sunt factæ, vt ab ista, de qua diximus, proprietate non longe desciuerint. Sicut illud in sexto Virgilii,

Vestibulūm. Atrium. Ve particula. Vetus. Vehemēs. Vescum. Vestibulū.

Vestibulum ante ipsum, primisque in faucibus orci,
Luctus & vltrices posuere cubilia curæ.

Non enim vestibulum priorem partem domus infernæ esse dicit: quod obrepere potest, tanquam si ita dicatur: sed loca duo demonstrat extra orci fores, vestibulum, & fauces. Ex quibus & vestibulum appellat ante ipsam domum, & ante ipsa orci penetralia. Fauces autem vocat iter angustum, per quod ad vestibulum adiretur. Fauces.

ASCEN. De his quoque Macrob. lib. Saturn. vi. Literator grammatista. Non autem absurdum d, literam inter vocales interpositam sonoritatis gratia: sic enim redeo & redintegro dicimus. Bimum autem, vt notum, dicitur quod duos annos natum. quod si tunc adhuc pusillum sit, venuste dicatur bimulum. sic à tribus annis, trimum & trimulum: & à quatuor, quadrimum & quadrimulum. vnius autem anni, etiam si paruū nō sit, anniculum dicitur, vt author est Varro. Festus Pompeius ait bidental dictum Romæ quoddā templum, quòd in eo bidentibus hostiis sacrificetur: nec id contra Gellium. Sed addit: Bidētes aūt sunt Bidens.

Literator. Literatus. Loc. Virg.

oues duos dentes longiores cæteris habentes. Iungit idem bouem dici bidentem à dentium numero: & idē duidēs.i.hostia bidens. Literator est qui literas docet. Literatus eruditus & doctus literas. Vocamus etiā seruos, quorū frons est literis inusta, literatos, & stigmatias siue stigmaticos. Facturū verre bidenti. Apud Virgilium igitur legendum est, Cum faciam vitula pro frugibus ipse venito. Signat enim sacrificare.

Hostiæ, quæ dicuntur bidētes, quid sint, & quam ob causam ita appellatæ sint: superque ea re P. Nigidii, & Iulii Higini sententiæ. CAPVT VI.

Literator.

REdeuntes è Græcia, Brundusium nauem aduertimus. Ibi quispiam linguæ latinæ literator Roma à Brundusinis accersitus experiundum sese vulgo dabat. Imus ad eum nos quoque oblectamenti gratia. erat enim fessus atque languens animus de æstu maris. Legebat barbare insciteque Virgilii septimum: in quo libro hic versus est,

Centum lanigeras mactabat rite bidentes.

Et iubebat rogare se, siquis quid omnium rerum vellet dicere. Tum ego indocti hominis confidentiam demiratus: Doces ne, inquam, nos magister, cur bidentes dicantur? Bidentes, inquit, oues appellatæ: idcircoque lanigeras dixit, vt oues planius demonstraret. Posthac, inquam, videbimus, an oues solæ (vt tu ais) bidentes dicantur: & an Pomponius Atellanarum poeta, in Gallis Transalpinis errauerit, cum hoc scripsit,

Mars tibi voueo facturum,
Si vnquam redierit, bidenti verre,

Bidēs verres. Nimium quàm audacter.

Sed nunc ego à te rogaui ecquam scias esse huiusce vocabuli rationem. Atque ille nihil cunctatus, sed nimium quàm tum audacter, Oues, inquit, bidentes dictæ, quòd duos tantum dentes habeant. Vbi terrarum quæso te, inquam, duos solos per naturam dentes habere ouem vidisti? ostentum enim est, & piaculis factis procurandum. Tum ille permotus mihi, & iritatus, Quære, inquit, ea potius, quæ à grammatico quærenda sunt. nam de ouium dentibus vpiliones percontantur. Facetias nebulonis hominis risi, & reliqui. P. autem Nigidius in libro, quem de extis composuit, BIDENTES appellari ait, non oues solas, sed omnes bimas hostias: neque tamen dixit apertius cur bidētes. Sed quod vltro existimabamus, id scriptum inuenimus in commentariis quibusdam ad ius Pontif. pertinētibus: Bidennes primo dictas litera immissa, quasi biennes. tum longo vsu loquendi corruptam esse vocem, & ex bidennibus bidentes factum: quoniam id videbatur esse dictu facilius. Higinus tamen Iulius, qui ius Pontif. non videtur ignorasse, in IIII librorum quos de Virgilio fecit, bidentes appellari scripsit hostias, quæ per ætatem duos dentes altiores haberent. Verba illius ipsa posui, Quæ bidens est, inquit, hostia, oportet habeat dētes octo: sed ex iis duo cæteris altiores, per quos appareat ex minore ætate, in maiorem transcendisse. Hæc Higini opinio, an vera sit, non argumentis, sed oculis iudicari potest.

Bidentes. Higinus de bidēte.

Catoniū.

ASCEN. Oppido quàm prælicenter. Vt nimiam licentiam notet, tria quæ augendi vim habent coniunxit, oppido quàm & præ. Manuatus. quasi vncis manibus vsus in furto. Catonium locum carceris & inferni esse volunt. Cælius autem lib. vi. cap. xviii. Sed & orcius (inquit) thesaurus pro Catonio, hoc est inferno, ab eruditis dicitur: sicuti Næuius epigrammate attestatur illo quod sibimet viuens concinnarat: Itaque postquam est orcio traditus thesauro, Obliti sunt Romæ latine loquier &c. Mihi vero (quod sentio dicere ausim) longe differre Catonium aut Charonium potius, ab orcio thesauro videtur. Nam Laberius grauissimum supplicium minitans: tollet vos (inquit) orcus in Charonium vel Catonium. & Næuius nihil tale sibi ominatus de se inquit: Postquam est orcio traditus thesauro: & fidutia quidem bona atque omine felici. Nam ea tempestate (vti verum erat) omnes se ad inferos descensuro s credebant, sed ad varia receptacula. optima autem quæque in Thesauros transferimus: quocirca ille orcio se tradendum thesauro magnifice dixit: pessimos autem mortalium in Catonium: de quo vocabulo variis opinionibus vacillo, recte ne an perperam dictum putem. Nam quia ab Laberio præmittitur, Tollet bona fide vos Orcus nudas. magis congruum videtur vt addatur in Charonicum scilicet carcerem, aut Charoniam scilicet ianuam. Nam inter carceris ianuas fuit & ea quæ vocabatur Charonia: qua producebantur qui vltimo erant plectēdi supplicio. Quia vero apud Romanos sermo est, quibus carceris nomina latina sunt: nō omnino diffitear Catoniū dictū, vt Tullianū: de quo Sallust. Est locus in carcere quod Tullianū appellatur, verū quia Orcus nō in Catoniū, sed in Charoniū aut Charoniā tollat: multo lubētius Charoniū legā. Mosellanus Catoniū legere videtur. Malaxaui: deosculatus sum. Naca apud Horatiū exponitur. Capitiū. vulgus caputiū vocat. De plano vide Beroaldi annotationes aut dicta in illud Horatii in epistolis, Fracto crure planum. Cocio pro arulatore etiā apud Plautū in Asinaria poni videtur. Diē, aquā, solē, lunam, noctem, hæc argento non emo. Cætera quæ volumus vti, græca mercamur fide. Quum à pistore panem petimus, vinum ex œnopolio: si æs habent, dant mercem. Eadem nos disciplina vtimur: semper oculatæ nostræ sunt manus: credunt quod vident: vetus est, nihili Cocio est: scis cuius? non dico amplius. vbi quia fere scribi solebat coactio,

Charonia

Bapt. Pius reponendũ cẽsuit coaxatio.i.vt ipse exponit,quæstio quæ est nihili.i. nihili quidẽ facienda post damnũ susceptũ:vultque traductã vocem à ranis:sed parũ ad rẽ.potius putem apud Plautũ cotionẽ quasi cautionẽ au in o versis dici:quæ mutatio cũ sit vulgaris,bene cõuenit Cleretæ Lenæ : cuius ea verba sunt. Festiue autem dicit Laberius Iusiurandum esse emplastrum æris alieni. Mala enim nomina quãdo soluendo non sunt iureiurãdo se redimunt:iurant enim se nil debere:quod iusiurãdum id præstat æri alieno dissoluendo,quod emplastrum hulceri. ¶ Addit Masc. Festus Pompeius ait:Arulator coctio:qui etiam cocio appellatur:& id ductũ videtur à voce græca,quæ est αἶρε.i.tolle:quia sequitur merces, ex quibus quid lucelli cadens possit tollere. Est autẽ lucellũ diminutiuũ à lucrum. Idem ait: Coctiones dicti videntur à cunctando:quòd in emendis vẽdendisque mercibus tarde veniant ad iusti precii finem. Itaque apud antiquos prima syllaba per u literã scribebatur. Proxenetæ apud Senecã in vltima epistola libri.xxi. dicũtur licitatores siue mediatores,vt res vẽdantur vel emantur. ¶ Elutriare id signat quod græce μεταγγίζειν.i.de vase in vas transferre:quod quidẽ & transuasare dicitur latine,sed rarius:fortasse à lura quæ os culei est:vnde lurcones apud Fest. Pompeium capacis gulæ homines. Apitius detrullare id appellat:hoc est de trulla in trullã imponere:quod ipsum est diffundere à Plinio:sicut in oleo decapulare. Hæc Hermolaus in Plin. Tu lege Cælium cap.xl.lib.x.& ea appone quæ necessaria videbuntur. ¶ Idem ait planos non esse sycophantas delatoresve,sed scurras:nec id quidem simpliciter,sed certi & sui generis,impostores,decollatoresque,à fallendo nominatos teste Athenæo,qui hoc ipsum retulit de Protogene. Inter planos maxime celebres fuere Cephisodorus & Pantaleon. hic enim discessurus vtrũque filiũ decepit, seorsum iis prodendo qua domus parte aurum infodisset,quod nusquã erat. De planis Cicero, Aul. Gellius,& in epist. Horatius. Itẽ de Antigono Rege. Hæc Hermolaus Barbarus,deducens hinc implano as, pro decipere & seducere,vsurpatum à Cypriano dicente, Siquis se putat aliquid esse cum non sit,seipsum implanat. Pro certo autẽ implanator proprius est. Prior in plano breuis est. Hora. Nec semel irrisus triuiis attollere curat Fracto crure planum,licet illi plurima manet Lachryma,per sanctum iuratus dicat Osirim, Credite,non ludo. quem locum Beroaldus in adnotationibus in Horatium sic exponit vt Hermolaus.

Coctio. Proxenetæ. Elutriare. Plani. Implano.

Quod Laberius verba pleraque licentius,petulantiusque finxit, & quod multis item verbis vtitur,de quibus an sint latina,quæri solet. CAPVT VII.

Laberius in mimis,quos scriptitauit, oppido quam verba finxit prælicenter. nam & mendicimonium dicit,& mœchimonium,& adulterionẽ, adulteritatẽque pro adulterio,& depudicauit pro stuprauit, & abluuiũ pro diluuio:& quod in mimo ponit,quem Cophinum scripsit,manuatus est pro furatus est. Et itẽ in Fullone, furẽ manuarium appellat.

Depudico Manuatius. Manuarus.

Manuari,inquit,pudorem perdidisti.

Multaque alia huiusmodi nouat:neque non obsoleta quoque & maculantia ex sordidiore vulgi vsu ponit,quale est in Staminariis,

Tollet bona fide vos orcus nudas in * Charonium.

* Caroniũ aut Catonium.

Et elutriare lintea:& labandria dicit,quæ ad lauandum sint data: & collicior inquit in fullonicam.

Et quid properas,& quid præcurris Caldonia?

Itẽ in Restione, Calabarriũculos dicit,quos vulgus Calaburriões. Itẽ in Cõpitalibus Malas malaxaui. Item in Cacomemnone,

Calabarriunculi.

Hic est,inquit,ille gurdus,quem ego
Me abhinc duos menses ex Africa
Venientem excepisse tibi narraui.

Item in mimo,qui inscribitur Nacca, L. Cippum dicit,& obbam,& camelliam,& pictacium,& capitium. Induis,inquit,capitium tunicæ pictaciũ. Præterea in Anna peranna,gubernium pro gubernatore,& planum pro sycophanta, & nanum pro pumilione dicit. quanquam planum pro sycophanta M. quoque Cicero in oratione scriptũ reliquit,quam pro Cluentio dixit. Atque item in mimo,qui Saturnalia inscriptus est, botulum pro farcimine appellat,& hominem leenam pro leui. item in Necromãtia,* concionem peruulgate dicit,quem veteres arulatorem dixerunt. Verba Laberii hæc sunt, Duas vxores,hoc hercle plus negocii est (inquit cocio) sex ædiles viderat. Sed enim in mimo,quem inscripsit Alexandream,eodem quidem modo,quo vulgus, sed probe latineque vsus est græco vocabulo. Emplastrum enim dixit ἔμπλαστρον non fœminino,vt isti nouitii semidocti. Verba ex eo mimo adposui,

Capitiũ. Pictaciũ. Planus. Botulus. * Coctionem. Emplastrum.

Quid est iusiurandum? emplastrum æris alieni.

ASCEN. Quia dicit:Hoc ego supsedi vertere:videtur alia vertisse. sane illud ita verti solet:dicibile per se perfectũ,enunciabile quantũ ex semetipso. Quæ vero de veritate axiomaton dicũtur,ea sunt quæ de veritate copulatiuarũ,disiunctiuarũ,& cõditionaliũ enunciationũ apud dialecticos traduntur. Pulchre aũt dicit quòd membra disiunctiuarũ pugnãtia esse decet. Nã inepte dixeris,aut deus est, aut ego sum. apte aũt

aut ego non sum:gratia materiæ.Nam non apte cōcluseris de diuersis:aut Adam viuit,aut ego viuo,neque,aut ego non viuo.sed bene:Adā aut viuit.aut nō viuit inepta etiā est disiūctiua ex simul veris, vt ego aut sum aut viuo. Mæandri per metaphoram sunt inextricabiles laquei.sancte autē admonet in fine.Addit ad finem Mase.Ait Cælius in quarto,quód nequis forte miretur, quoniam hæc nō præstet quæ vulgo noscitatur dialectica:scire cōuenit metaphysicā facultatem,quā & primam philosophiam vocant, dialectices nomine à Platone celebrari,quæ logica vtatur tanquam instrumento.Hæc enim circa dictiones,cōceptus,propositiones syllogismosque versatur,in cuius esse non senescendum gyris atque mæandris,tanquam apud sireneos scopulos,traditum est.Hoc ex Gellio repete,quæ dicta sunt in xv.cap.lib.v. Et quia citatus est Tul.Cicero,nequis authorē falso citatū autumet, qui quod dictū est, nūquam in lucem miserit, audiatur D.Hieronymus Ciceronianus:lege ad Herennium libros,lege rhetoricos eius,aut quia illa dicit sibi incohata & rudia excidisse de manibus,reuolue tria volumina de Oratore &c.

Metaphysica & dialectica.

Quid significet,& quid a nostris appellatū sit ἀξίωμα,quod dialectici dicunt,& quædam alia,quæ prima in disciplina dialectica traduntur. CAPVT VIII.

Axiomata.

Lælii proloquia.

Cum in disciplinas dialecticas induci atque imbui vellemus,necessum fuit adire atque cognoscere quas vocant dialectici εἰσαγωγάς, tū in primo περὶ ἀξιωμάτων discendum quæ M.Varro alias profata, alias proloquia appellat.Commentarium de proloquiis Lælii docti hominis,qui magister Varronis fuit,studiose quæsiuimus: cumque in Pacis bibliotheca repertum legimus.Sed in eo nihil edocenter,neque ad instituendū explanate scriptum est: fecisseque videtur eum librum Lælius sui magis admonendi,quam aliorum docendi gratia.Rediuimus igitur necessario ad Græcos libros,ex quibus accepimus ἀξίωμα definitum esse his verbis,λεκτὸν αὐτοτελὲς ἀποφαντὸν ὅσον ἐφ᾽ ἑαυτῷ.

Axioma quid.

Proloquii exempla.

Hoc ego supersedi vertere,quia nouis & inconditis vocibus vtendum sit,quas pati aures per insolentiam vix possent.Sed M.Varro in libro de lingua latina ad Ciceronem IIII & XX expeditissime ita finit,Proloquium est sententia,in qua nihil desideratur. Erit autem planius,quid istud sit,si exemplū eius dixerimus.ἀξίωμα igitur,siue id proloquiū dicere placet, huiusmodi est. Annibal Pœnus fuit.Scipio Numantiā deleuit.Milo cædis dānatus est.Neque bonum est voluptas,neque malum. Et omnino quicquid ita dicitur,plena atque perfecta verborū sententia, vt id necesse sit aut verū aut falsum esse,id a dialecticis ἀξίωμα id est oratio verum aut falsum plene significans,appellatum est:a M.Varrone,sicuti dixi,proloquiū:a Marco autem Cic.pronunciatum.quo ille tamen vocabulo tantisper vti se attestatus est,quoad melius,inquit, inuenero. Sed quod Græci συνημμένον ἀξίωμα dicunt,id alii nostrorū adiunctum alii connexum dixerunt. Id connexū tale est,Si Plato ambulat,Plato mouetur. Si dies est,sol super terras est. Itē quod illi συμπεπλεγμένον,nos vel coniunctū,vel copulatum dicimus:quod huiuscemodi est,P.Scipio Pauli filius,& bis COS.fuit & triumphauit, & Censura functus est, & collega in Censura L.Mummii fuit.In omni autē coniuncto , si vnum est mendacium, etiā si cætera vera sunt,totū esse mendaciū dicitur.Nā si ad ea omnia quæ de Scipione illo vera dixi,addidero:& Annibalem in Africa superauit,quod est falsum,vniuersa quoque illa quæ coniuncte dicta sunt,propter hoc vnū quod falsum accesserit, quia simul dicentur vera non erunt.Est item aliud quod Græci διεζευγμένον ἀξίωμα, nos disiunctum proloquium dicimus.Id huiuscemodi est,Aut malum est voluptas, aut bonum: aut neque bonum est neque malum.Omnia autem, quæ disiunguntur , pugnantia esse inter sese oportet,eorumque opposita ἀντικείμενα Græci dicunt . Ea quoque ipsa inter se aduersa esse.Ex omnibus quæ disiunguntur , vnum esse verum debet , falsa cætera. Quod si aut nihil omnium verum , aut omnia plurave quam vnum vera erunt , aut quæ disiuncta sunt,non pugnabunt,aut quæ opposita eorum sunt, contraria inter sese non erunt : tunc id disiunctum mendacium est , & appellatur παραδιεζευγμένον : sicuti hoc est,in quo quæ opposita,non sunt contraria,aut curris,aut ambulas,aut stas.Nam ipsa quidem inter se aduersa sunt : sed opposita eorum non repugnant. Non ambulare enim,& non stare,& non currere,contraria inter sese non sunt: quoniam contraria ea dicuntur,quæ simul vera esse nō queunt. Possis enim simul eodemque tēpore neque ambulare neque stare,neque currere.Sed hoc iā breue ex dialectica libamentum dedisse nunc satis erit.Atque id solū addendum admonendumque est, quod huius disciplinæ studium atque cognitio in principiis quidē tetra & aspernabilis insuauisque esse & inciuilis videri solet:sed vbi aliquantum processeris,tum denique & emolumentum eius

Connexū axioma.

Copulatum.

Disiunctum.

Dialecticæ vtilitas si non immoreris.

in animo tuo dilucebit, & sequetur quædam dicendi voluptas insatiabilis. Cui sane si modum non feceris, periculum non mediocre erit, ne vt plerique alii, tu quoque in illis dialecticæ gyris aut mæandris, tanquam apud Sirenios scopulos consenescas.

ASCEN. Dicere, id est vti dicendo: non discere, quid significent. Mihi autem videtur sumpta loquendi ratio à bilance, in qua quæ eleuantur minoris sunt, quæ subsidunt, pluris. Itaque susque deque fero: sensus est, fero scilicet æquo animo: susque deque, id est, & si sursum tendat res & ita aliis minoris sit ponderis: & si deorsum, & ita maioris.

Quid significet verbum in libris veterum creberrime positum, susq; deq;. CAP. IX.

SVSQVE DEQVE FERO, susque deque habeo, aut est (his enim omnibus modis dicitur) verbum est ex hominum doctorum sermonibus, in poematis quoque, & in epistolis veterum scriptum plurifariam. Sed facilius reperias, qui id verbum ostentent, quàm qui intelligant. Ita plerique nostrum quæ remotiora verba inuenimus, dicere ea properamus, non discere. Significat autem susque deque ferre, æquo animo esse, & quod accidit, non magni pendere atque interdum negligere & contemnere: & propemodum id valet, quod dicitur ἀδιαφορεῖν. Laberius in Compitalibus, — Susque deque fero, habeo & est.

Nunc tu lentus es, nunc tu susque deque fers. "
Materfamilias tua in lecto aduerso sedet, "
Seruos sextantis verbis nefariis. Vtitur M. Varro in Sisenna, vel de historia, Quòd si "
non horum omnium similia essent principia, susque deque esset. Lucilius in tertio, "
Verum hic ludus ibi susque omnia deque fuerunt. "
Susque & deque fuere, inquam, omnia ludus iocusque. "
Illud opus durum, vt setinum accessimus finem. "
αἰγίλιποι "
Vt aiunt, montes AEtnæ omnes asperi Athones. "

ASCEN. Excubiis in Ennii versibus videtur verior dictio, quàm scutisque, quam tamen vocem quidam subdidisse videntur. quòd s, cum vocali rarius absumatur: verum legendo scutisque ferroque, positione longam corripiant. vt vero non legam scutis ferroque, facit quod repetit, ferro muros, vrbemque forũque Excubiis curat. nã si præmisisset scutis, dicendũ esset, Scutis hic curat &c. Mas. Qui Romani assidui proletariique, plane exponit Gellius: F. Pompeius de tertio vocabulo ita forte meminit. Populi qui supra Romã & infra habitabãt, quòd rebellassent moxque ad officiũ rediissent, sanates appellati sunt. Meminit & Volaterranus in. v. Gæogr. loquẽs de Sena vrbe. Scribit Pædianus accẽsum nomẽ esse ordinis & promotionis in militia, vt nunc inquit dicitur princeps, vel commentariensis aut cornicularius. Hoc Cælius. — Sanates. Accensi.

Quid sint Proletarii, quid Capitecensi, quid item sit in XII tabulis assiduus, & quæ eius vocabuli ratio sit. CAP. X.

OTIVM erat quodam die Romæ in foro à negociis, & læta quædam celebritas feriarum: legebaturque in consessu forte complurium Ennii liber ex Annalibus III. In eodem libro versus hi fuere,
Proletarius publicitus excubiis ferroque
Ornatur. ferro muros, vrbemque, forumque "
Excubiis curat.

Tum ibi quæri cœptum est, quid esset proletarius. Atque ego aspiciens quempiam in eo circulo ius ciuile callentem, familiarem meum, rogabam vt id verbum nobis enarraret. & cum ille se iuris, non rei grammaticæ peritum esse respondisset: eo maxime, inquam, te dicere hoc oportet, quando, vt prædicas, es iuris peritus. nanque Ennius verbum hoc ex XII tabulis vestris accepit, in quibus, si recte commemini, ita scriptum est, Assiduo vindex assiduus esto, Proletario ciui quiuis volet vindex esto. Petimus igitur ne Annalem hunc Q. Ennii, sed XII tabulas legi arbitrere. & quid sit in ea lege proletarius ciuis interpretere. Ego vero, inquit, dicere atque interpretari hoc deberem, si ius Faunorum & Aboriginum didicissem. Sedenim cum proletarii, & assidui, & sanates, & vades, & subuades, & vigintiquinque asses, & taliones, furtorumque quæstiones cum lance & licio euanuerint, omnisque illa XII tabularum antiquitas, nisi in legis actionibus Centumuiralium causarum lege AEbutia lata consopita sit, studium scientiamque ego præstare debeo iuris, & legum vocumque earum, quibus vtimur. Tum forte quadã, Iuliũ Paulũ poetã memoriæ nostræ doctissimum prætereũtẽ cõspeximus. Is à nobis salutatur, — Legis XII tabularum verba.

Proletarii. Capitecesi.

rogatusq; vti de sententia deq; ratione istius vocabuli nos doceret: Qui in plebe, inquit, Romana tenuissimi pauperrimique erant, neque amplius quàm mille quingentum æris in cẽsum deferebãt, PROLETARII appellati sunt. qui vero nullo, aut perq̃ paruo ære cẽsebãtur, CAPITECENSI vocabãtur. Extremus aũt cẽsus capitecẽsorũ æris fuit CCCLXXV. Sed quoniã res pecuniaq; familiaris obsidis vice pignorisq; esse apud Remp. videbatur, amorisque in patriam fides quædã in ea firmamentumque erat: neq; proletarii, neq; capitecensi milites, nisi in tumultu maximo scribebãtur, quia familia iis aut tenuis aut nulla esset. Proletariorum tamen ordo honestior aliquanto, & re & nomine, quàm capitecensorum fuit. Nam & asperis reip. temporibus, cum iuuentutis inopia esset, in militiam tumultuariam legebantur: armaque iis sumptu publico præbebantur. Et nõ capitis censione, sed prosperiore vocabulo, à munere officioque prolis edendæ appellati sunt. quòd cũ re familiari parua minus possent Rempub. iuuare, sobolis tamen gignendæ copia ciuitatem frequentarent. Capitecensos autem primus C. Marius, vt quidam ferunt, bello Cimbrico, difficillimis Reip. temporibus, vel potius, vt Sallustius ait, bello Iugurthino, milites scripsisse traditur, cũ id factum ante, in nulla memoria extaret.

Assiduus.

ASSIDVVS in XII tabulis pro locuplete, & facile munus faciente, dictus ab assibus, id est ære dando, cum id tempora Reipub. postularent: aut à muneris pro familiari copia faciendi assiduitate. Verba autem Sallustii in historia Iugurthina de C. Mario COS. & de capitecensis hæc sunt, Ipse interea milites scribere, non more maiorum, nec ex classibus: sed vt libido cuiusque erat, capitecensos plerosque. Id factum alii inopia bonorum, alii per ambitionem COS. memorabant: quòd ab eo genere celebratus auctusque erat, & homini potentiam quærenti, egentissimus quisque, opportunissimus.

Psylli.

ASCEN. Quod de Marsis hic dicitur, vidimus in Italia quosdã velle efficere: qui se de sancti Pauli familia iactitabant: & pocula in perpetuum remedium contra serpentes venditabant: ipsosque per incentiones seu incantamenta innocuos palã pertractabant. Nasamones è naufragiis viuunt: ea enim colligunt quæ post naufragia mare eiicit. Mase. Donatus in Terent. legit plaustrũ percellis. Pius in Lucretiũ quintũ, austrum percellis: tractum ab psyllis. Idẽ Erasmus. dcccxci. prouerb. primæ chili. ait. Cælius loquẽs de huius austri aquilonisve natura: legit, austrum pertuli, cum aliqui legant, austrum perculi. xxviii. cap. lib. viii. Archithr. Duritia psyllum sic loricauit, vt atris Integer eludat pugnantes morsibus angues. Solaque pro muri cutis est insautia vallo, Parma veneniferi iaculis imperuia dẽtis. D. Hierony. cap. xxxvi. cõtra Iouin. tract. ii. ait afros lacertis viridibus vesci solitos: orientales & Libyæ populos locustis, quibus vsus est D. Ioan. Baptista domini præco & præcursor: quanquam alia tradunt grammatistæ & glossematarii: sed audiant ipsum Hieronymum. orientales & Libyæ populos, qui per desertum & calidam eremi vastitatem locustarum nubes reperiuntur, locustis vesci moris est: hoc verum esse Ioannes quoque Baptista probat. Compelle phrygem & ponticum vt locustam comedat, nefas putabit. Puellam veneno nutritam ostendit Aristoteles, quæ sputo omnia contaminabat contacta: virosque in amplexum receptos & coitum exanimabat. Alteram puellam Albertus tradit in Colonia Agrippina frequenter esitasse araneos.

Locustæ Ioannis Bapt.

Historia ex Herodoti libris sumpta de Psyllorum interitu, qui in Syrtibus Africanis colebant. CAPVT XI.

Marsorum gẽtis origo.

GENS in Italia MARSORVM orta fertur esse à Circes filio Marso. propterea Marsis hominibus, quorum duntaxat familiæ cum externis cognationibus nondum etiam permistæ corruptæque sunt, vi quadam genitali datum, vt serpentium virulentorum domitores sint, & incentionibus hærbarumque succis faciant medelarum miracula. Hac eadem vi præditos esse quosdam videmus, qui PSYLLI vocantur. Quorum nomine super & genere cum in veteribus literis quæsissem: in quarto denique Herodoti libro, fabulam hanc de Psyllis inuenimus. Psyllos quondam fuisse in terra Africa, conterminos Nasamonibus, austrum in finibus eorum quodam in tempore perquam validum ac diutinum flauisse. Eo flatu aquam omnem in locis in quibus colebant, exaruisse. Psyllos re aquaria defectos eam iniuriam grauiter austro succensuisse: decretumque fecisse, vti armis sumptis ad austrum, per inde quasi ad hostem, iure belli res repetitum proficiscerentur. Atque ita profectis vẽtum austrum magno spiritus agmine venisse obuiam, eosque vniuersos cum omnibus copiis armisque, cumulis montibusque arenarum superiectis operuisse. Eo facto, Psyllos ad vnũ omnes interisse. Itaque eorum fines à Nasamonibus occupatos.

Psylli. Psyllorum interitus fabulosus.

Elucus.

ASCEN. Rhodiginus antiquarum lectionum Lib. VI. Cap. XXVI hunc locum ita reponit, vt nos fecimus: dicetis. Tu expuncta dictione nihili & cassa quæ est lucũ, substitue ac repone elucũ. vbi vero scribitur mutari g, in c, scribe a, in e, cõuersa. Siquidem elucum dicimus qui illam sentit animi tarditatem & stuporẽ, qui hallucinantibus plerũque vsuuenit. Id ita esse vt astruimus, ex Pomp. Festi authoritate liquet, in

litera E sic prodentis. Elucum significat languidum & semisomnum: vel vt alii volunt, hallucinatorem & nugarum amatorem, siue alonem .i. hesterno vino languentem: quem Græci ἄλων dicunt. Mase. Oculorum obscuritates dicuntur à Græcis amauroses, quum sine vllo euidenti oculorum vitio lumen eripitur: sicut hebetudo dicitur amblyopia, cum hoc ipsum idem contingit: sed constat quam ob causam euenerit. Ophthalmiam Pollux negat esse oculorum vitium. Celsus appellat lippitudinem: sicut Xerophthalmiam aridam lippitudinem, cum nec tument oculi nec fluunt, sed grauescunt. *Alo. Ophthalmia.*

De iis vocabulis, quæ Cloatius Verrius aut satis commode, aut nimis absurde & illepide, ad origines linguæ græcæ redegit. CAP. XII.

CLOAtius Verrius in libris, quos inscripsit verborum à Græcis tractorum, non pauca hercle dicit curiose & sagaciter conquisita, neque non tamen quædam futilia & friuola. ERRARE, inquit, dictum est ἀπὸ τοῦ ἔῤῥειν. versumque infert Homeri, in quo id verbum est, ἔῤῥε κακὴ γλήνη. & illud, ἔῤῥε ἐκ νήσου θᾶσσον ἐλέγχιστε ζωόντων. *Cloatius. Errare.*

Item HALVCINARI factum scripsit ex eo, quod dicitur græce ἀλύειν. vnde ELVCVM quoque esse dictum putat, a, litera in e, cõuersa, tarditatem quandam animi & stuporem, qui halucinantibus plerunque vsuuenit. Item FASCINVM appellat quasi βάσκανον, & fascinare esse quasi βασκαίνειν. Commode hæc sane omnia & condecenter. Sed in libro quarto, Fœnerator, inquit, appellatus est, quasi φανερώτερον, ἀπὸ τοῦ φαίνεσθαι εἶδι τοῦ χρηστότερον, quoniam id genus hominum speciem ostendant humanitatis, & commodi esse videantur inopibus numos desiderantibus: idque dixisse ait Hypsicratem quempiam grammaticũ, cuius libri sane nobiles super iis, quæ à Græcis accepta sunt. siue hoc autem ipse Cloatius, siue nescio quis alius nebulo effutiuit, nil potest dici insulsius. Fœnerator enim sicut M. Varro in libro tertio de sermone latino scripsit, à fœnore est nominatus. Fœnus autem dictum à fœtu, & quasi à fœtura quadam pecuniæ parientis atque increscentis: & idcirco & M. Catonem & cæteros ætatis eius fœneratorem sine a litera pronunciasse tradit, sicuti fœtus ipse & fœcunditas appellata. *Halucinari. Fascinare. Fœnerator sine a in prima syl. Fœnus.*

ASCEN. De iure atque vocabulo municipium. Lego municipum: ius enim municipium dicitur. de quo lege Vlpianũ .l.i. ad municipes & de incolis .ff. & leges seq. per to. ti. Cornelius etiam Vitellius in Merulam non pauca disserit. Italicenses ab Italica Hispaniarum vrbe dicuntur. Vticenses in Africa non longe à Carthagine, ab Vtica: vnde Cato Vticensis cognominatus, quòd illic sibi necem consciuit. Muneris honorarii. fungendi magistratus. Hinc tabulæ Cerites appellatæ. A quibus videtur traductum prouerbium apud Erasmum celebratum chiliade prima, Cerite cera Digni: id est ingenti ignominia. Vnde Horatius in epistolis, Quid deceat quid non obliti, Cerite cera Digni: remigium vitiosum Ithacensis Vlyssei. Cuius Acron & Porphyrio sic tradunt originem. Romani Ceritibus bello subactis eam dixere conditionem ne suffragii ius haberent, ne leges vllas aut ederent aut haberent. eamque ignominiam in adagium abiisse.

Quid sit municipium, & quid à colonia differat: & quid sint municipes, quæque sit eius vocabuli ratio ac proprietas. atque inibi quòd D. Hadrianus in Senatu de iure atque vocabulo municipum verba fecit. CAP. XIII.

MVNICEPS & municipia verba sunt dictu facilia, & vsu obuia: & neutiquam reperias qui hæc dicat, quin scire se plane putet quid dicat. Sed profecto aliud est, aliud dicitur. Quotus enim fere nostrum est, qui cum ex colonia populi Ro. sit, non & se municipem esse, & populares suos municipes esse dicat? quod est à ratione & à veritate longe auersum. Sic adeo & municipia quid & quo iure sint, quantumque à colonia differant, ignoramus, existimamusque meliore conditione esse colonias, quàm municipia. de cuius opinionis tam promistæ erroribus D. Hadrianus in oratione, quam de Italicẽsibus, vnde ipse ortus fuit, in Senatu habuit, peritissime disseruit: mirarique se ostendit, quòd & ipsi Italicenses & quædam item alia municipia antiqua, in quibus Vticenses nominat, cum suis moribus legibusque vti possent, in ius coloniarum mutari gestiuerint. Prænestinos autem refert maximo opere à Tyberio Imperatore petisse orasseque, vt ex colonia in municipii statũ redigerentur. idque illis Tyberium pro referenda gratia tribuisse, quòd in eorum finibus sub ipso oppido, ex capitali morbo reualuisset. MVNICIPES ergo sunt ciues Romani ex municipiis, suo iure & legibus suis vtentes, muneris tantum cum Pop. Rom. honorarii participes, à quo munere capessendo appellati videntur, nullis aliis necessitatibus, neque vlla Pop. Rom. lege astricti, cum nunquam Pop. Rom. eorum fundus factus esset. Primos autem municipes sine suffragii iure, Cerites esse factos accepimus. concessumque illis, vt ciuitatis Romanæ honorem quidem caperent, sed negociis tamen atque *Italicẽses. Municipes.*

Cerites tabulæ. Coloniæ Rom.

oneribus vacarent, pro sacris bello Gallico receptis custoditisque. Hinc tabulæ Cerites appellatæ versa vice, in quas CENSS. referri iubebant, quos notæ causa suffragiis priuabant. Sed COLONIARVM alia necessitudo est. Non enim veniunt extrinsecus in ciuitatem, nec suis radicibus nituntur, sed ex ciuitate quasi propagatæ sunt: & iura institutaque omnia Pop. Ro. non sui arbitrii habent. Quæ tamen conditio, cum sit magis obnoxia & minus libera, potior tamen & præstabilior existimatur propter amplitudinem maiestatemque Pop. Rom. cuius istæ coloniæ, quasi effigies paruæ simulacraque esse quædam videntur: & simul quia obscura obliterataque sunt municipiorum iura, quibus vti iam per ignorantiam non queunt.

ASCEN. Festino neque à fando, neque ab eo quod fessus sum, deductum videtur: nam fessus non festinat: sed potius ab aduerbio festim, vnde in vsu confestim.

Quòd M. Cato differre dixit properare & festinare. Et quàm commode Verrius Flaccus verbum, quod est festinat, interpretatus sit. CAPVT XIIII.

Properare. Festinare.

FEstinare & properare idem significare, atque in eandem rem dici videtur. Sed M. Cato id differre existimat: eaq; hoc modo diuisa verba sunt ipsius ex oratione, quam de suis virtutibus habuit. Aliud est properare, aliud festinare. qui vnum quid mature trāsigit, is properat: qui multa simul incipit, neque perficit, is festinat. Verrius Flaccus rationem volens dicere differentiæ huius, Festinat, inquit, à fando dicitur: quoniam isti ignauiores, qui nihil perficere possunt, plus verborum quàm operæ habent. Sed id nimis coactum atque absurdum videtur: neque tanti momenti esse potest prima in vtroque verbo litera, vt propter eam vnam tam diuersa verba festinare & fari, eadem videri debeant. Commodius autem propiusque visum est festinare, quasi fessum esse. nam qui multis simul rebus properandis defessus est, is iam non properat, sed festinat.

ASCEN. Huius capitis fides experimentum supra authoritatem desiderat.

Quid Theophrastus mirum de perdicibus scriptum reliquerit, & quid Theopompus de leporibus. CAPVT XV.

Perdices. Lepores Bisaltini.

THeophrastus philosophorum peritissimus omnes in Paphlagonia perdices bina corda habere dicit: Theopompus in Bisaltia lepores bina iecora.

ASCEN. Sursum pedibus elatis. Id quidem in partu prospero vsuuenit: nam quod vulgo dicitur capite anteriore nascimur, posteriore efferimur. Verum volunt infantem sub partum obuerti: quod quando impedita natura fieri nequit, agrippas nasci. Nec vero simile est, quod Varro dicit saltem ante partus horam. Caudicem.i.truncum: vnde codex truncus. Iuuenalis, Residens in codice pellex. & liber: quòd in caudice multi sunt libri. Postuertæ meminit Ouidius in fastis. Porrima placatur postuertaque, siue sorores Siue fugæ comites Mænali diua tuæ &c. Macrob. autem in Saturn. scribit Anteuertam & Postuertam deas habitas: quòd ea omnia intelligi oportere existimarent quæ dilapsa iam essent, aut futura etiamnum viderentur. Mas. Plinio authore, secundum naturam est vt in caput nascamur: efferamur in pedes. Qui nascuntur in pedes, agrippæ dicuntur. Opiter dicitur qui patre mortuo & auo viuo nascitur. Vopiscus, qui ex gemellis altero enecto editur incolumis. Cordus qui sero nascitur. De posthumo ante dictum est. Solinus in principio ait, contra naturam est in pedes procedere nascentes, quapropter velut ægre parti appellantur agrippæ. Ita editi minus prospere viuunt, & de vita æuo breuiore decedunt. Denique vnum M. Agrippam inuenimus beatum, nec tamen vsqueeo inoffense, vt non plura pertulerit aduersa quàm acceperit secūda. Nanque & misera pedum valetudine, & aperto coniugis adulterio, & aliquot infelicitatis notis, retrouersi ortus omen luit. Idem sentit quod Plinius de Vopisco. Addit Scipionem qui defunctæ matris vtero cæso natus est, dictum fuisse primum Romanorum, Cæsarem.

Agrippa. Opiter. Vopiscus. Cordus.

Agrippas à partus ægri & improsperi vitio appellatos. Deque iis duabus Carmentibus quæ vocantur Prosa, & Postuerta. CAPVT XVI.

Agrippæ.

QVorum in nascendo non caput, sed pedes primi extiterant, qui partus difficillimus ægerrimusque habetur, AGRIPPAE appellati vocabulo, ab ægritudine & pedibus. Confixos esse autem pueros in vtero Varro dicit capite infimo nixos, sursum pedibus elatis: non vt hominis natura est, sed vt arboris. nam pedes cruraque arboris appellat ramos: caput stirpem atque caudicem. Quando igitur, inquit, contra naturam forte conuersi in pedes, brachiis plerunque diductis retineri solent, ægrius tunc mulieres enituntur. Huius periculi deprecandi gratia aræ statutæ sunt Romæ duabus Carmentibus, quarum altera POSTVERTA nominata est: PROSA altera, à recti peruersique partus & potestate & nomine.

Postuerta Prosa.

ASCEN. Aius deus quòd aiat. Beroaldus in annot.dicit olim perperã im pressam vocẽ Arius pro ea quæ est Aius:dicitque,vt etiam in Liuio legitur,quòd olim Romæ audita vox est si lentio noctis,clarior humana voce:quæ iuberet magistratibus nunciari,Gallos aduentare &c.Quod vero in Liuio scribitur Alloquutio,mihi videtur dandi casu dictũ,vt sit rectus alloquutius:in quo errare videtur Beroaldus:qui alloquutio huius alloquutionis inflecti putat,si recipiatur.Sane Pius ait quòd apud August.lib.iiij.de ciuit.dei, scribitur Vatiganus pro quo nos vaticanus.Mas.Archith.rectissime vtitur verbo vagio sic, Nascentis ibi mũdi vagit origo,Et iam cana redit teneris infantia rebus:Præteritúmque chaos iterũ puer induit orbis.

Quæ ratio vocabuli sit agri Vaticani. CAP. XVII.

ET AGRVM VATICANVM, & eiusdem agri deum præsidem appellatum acceperamus à vaticiniis,quæ vi atque instinctu eius dei in eo agro fieri solita essent.Sed præter hanc causam Marcus Varro in libris rerum diuinarum,aliam esse tradit istius nominis rationem.Nam sicut AIVS, inquit, Deus appellatus,aráque ei statuta est,quæ est infima noua via, quòd eo in loco diuinitus vox edita erat:ita Vaticanus deus nominatus,penes quẽ essent vocis humanæ initia : quoniam pueri simulátque parti sunt, eam primam vocem edunt, quæ prima in vaticano syllaba est. Idcircóque Vagire dicitur,exprimente verbo sonum vocis recentis.

Vaticanus ager vnde dictus. Aius. Vagire.

ASCEN. Nihil imaginet.i.nullas imagines reddat.Disserit de hac & de alijs scientijs diserte Angelus in præfatione quam panepistemon inscripsit:& Philip.Beroaldus in Catullum: sed quia lectio aperta hic est,illis supersedeo.

Lepida quædam memoratu & cognitu de parte Geometriæ, quæ ὀπτικὴ appellatur. Et item alia quæ μετρικὴ.Et tertia itidem,quæ dicitur κανονικὴ. CAP. XVIII.

PArs quædam Geometriæ ὀπτικὴ appellatur, quæ ad oculos pertinet. Pars altera,quæ ad aureis, κανονικὴ vocatur:qua musici vt fundamẽto artis suæ vtuntur. Vtraque harum spatiis & interuallis linearum & ratione numerorum constat.ὀπτικὴ facit multa demiranda,id genus : vt in speculo vno imagines vnius rei plures appareant. Item vt speculum in loco certo positum,nihil imaginet:aliorsum translatum faciat imagines.Item si rectius speculum spectes,imago fiat tua eiusmodi,vt caput deorsum videatur,pedes sursum.Reddit etiam causas ea disciplina,cur istæ quoque visiones fallant : vt quæ in aqua conspiciuntur, maiora ad oculos fiant:quæ procul ab oculis sunt,minora. κανονικὴ autem longitudines & altitudines vocis emetitur.Longior mensura vocis,ῥυθμὸς dicitur:altior,μέλος. Est & alia species κανονικῆς, quæ appellatur μετρικὴ,per quam syllabarum longarũ & breuium & mediocrium iunctura & modus congruens cum principiis Geometriæ aurium mensura examinatur. Sed hæc,inquit M.Varro,aut omnino non discimus, aut prius desistimus quàm intelligamus,cur discenda sint.Voluptas autem,inquit,vel vtilitas talium disciplinarum in postprincipiis existit,cum perfectæ absolutæque sunt : in principiis vero ipsis ineptæ & insuaues videntur.

Optice. Canonice. Optices virtus. Canonices vis. Rhythmos modulus. numerus. Metrice.

ASCEN. Carmen quod Orthiũ dicitur.de hoc nomine multi disputãt : nec litẽ satis aperte finiũt. Beroaldus enim in Apuleium contendit dicendum Orthrium:legitur tamen apud Herodotum Orchiũ, forsan à cantu manes mouẽte, quali Orpheus vsus est.Cælius itẽ lib.v.ca.xxvij.Orthiũ legit, licet & Suidas scripserit etiam Orthrion.vultque Cælius dicto loco denominationẽ trahere ab Rhythmo:sicut & eũ cantum qui Trochæus dicitur.Additque quòd Orthios dici videtur quòd extentus foret ac robustus:nam ὄρθιον Græci dicunt in altitudinem surrectũ.Cui interpretationi accedit quod hic additur,voce sublatissima cantauit.Pius in Curg.Plauti repellit Orthiũ,admittẽs Orthriũ cantũ dorio similem.Ego Cælium sequor,vt etiã Mosel.vt iã videmus.Sane quod in principio dicitur Celeri & cohibili oratione:pulchra metaphora à pecoribus sumpta dici videtur:nã cohibile pecus celeriter agi potest. Fidibus, chordis plectrorũ.Amicioresque.errant qui amicitiores dicunt.In altũ:quia cũ aqua sphærica sit,mediũ eius altissimũ est in superficie.Sua sibi vestimenta induere permitterẽt.vtrũque bene:& sibi permitterẽt, & induere sibi.Nã Virgilius dixit,Harũ vnã iuueni supremũ mœstus honorẽ induit.Prolubiũ.i.delectatio. In summæ puppis foro:Raro singulariter legitur in ea significatione forus.Fori tamen sunt nauium summa per quæ feruntur dũ ingrediuntur nautæ,vt AEneid.iiij.Implessemque foros flammis &c.Pium facinus.i.factũ.est enim meson vocabulũ tam boni quàm mali significatiuũ.Tænarus est promontorium laconiæ:vnde ad inferos descensum fingũt:quòd illinc multi ad inferos demissi sint per submersionẽ.Ahenea:ex ære. Addit Mas. Hæc & Plinius vt Herod.Et diuus Augustinus cap.xiiij.lib.j.de ciui.dei ait, Ionam prophetam treis dies in Phocæ vtero sanum fuisse adseruatum:quod nolunt(inquiũt)credere vaniloqui, fabulæ fidem habẽtes, quam de Arione circũferunt:idque quia hoc facilius,sed illud potentius & mirabilius.Eius interpres hunc citat locum,sed non sine menda codex inspicitur,quando Agellius in noctibus atticis scribitur: Cæterum vt in fronte primi capitis notatum est,A.Gel.scribendũ,idem interpres constanter defendit. Addit inter-

Forus. Facinus.

prẽs delphina in cælum fuisse propterea relatum. Super Arionem,pro de Arione, mendam esse credã, cum hic bis habeatur,Super fidicine:& Virg.dixerit Super Hectore.

Sumpta historia ex Herodoti libro primo super fidicine Arione. Cap. XIX.

Arionis fabula.

CEleri admodum & cohibili oratione,vocúmq; filo tereti & candido fabulam scripsit Herodotus super fidicine illo ARIONE. Vetus,inquit,& nobilis Arion cantator fidibus fuit. Is loco & oppido Methymnæus,terra atque insula omni Lesbius fuit. Eum Arionem Rex Corinthi Periander amicum amatúmque habuit artis gratia.Is inde à rege proficiscitur,terras inclytas Siciliam atq; Italiam visere. Vbi eo venit,aurésq; omnium mentésq; in vtriusq; terræ vrbibus demulsit:in quæstibus istic & voluptatibus amoribúsq; hominum fuit.Is tũ postea grandi pecunia & re bona multa copiosus,Corinthum instituit redire. Nauem igitur & nautas, vt notiores amicioresque sibi, Corinthios delegit. Sed eo Corinthios homine accepto,nauique in altum prouecta,prædæ pecuniæque cupidos cepisse consiliũ de necando Arione. Tum illum ibi pernicie intellecta,pecuniam cæteráque sua vt haberent,dedisse:vitam modo sibi vt parcerent,orauisse. Nautas precum eius harum commiserationem esse illatenus,vt ei necem adferre per vim suis manibus tẽperarent: sed imperauisse, vt iam statim coram desiliret præceps in mare.Homo,inquit,ibi territus,spe omni vitæ perdita,id vnum postea orauit,vt prius q̃ mortem oppeteret,inducere permitterẽt sua sibi indumenta,& fides capere,& canere carmen casus illius sui consolabile. Feros & immanes nauitas prolubium tum audiendi subit. Quod orauerat,impetrat:atque ibi mox de more cinctus,amictus,ornatus,stánsque in summæ puppis foro,carmen,quod orthiũ dicitur,voce sublatissima cantauit. Ad postrema cantus, cum fidibus ornatúque omni, sicut stabat canebátque,eiecit sese procul in profundũ. Nautæ haudquaquam dubitantes quin perisset,cursum,quem facere cœperant,tenuerunt.Sed nouum,& mirum, & pium facinus contigit: Delphinũ repente inter vndas adnauisse,& dorso super fluctus edito vectauisse:incolumiq; eum corpore & ornatu, Tænarum in terram Laconicam deuexisse. Tum Arionem prorsus ex eo loco Corinthum petiuisse.talemque Periandro regi,qualis Delphino vectus fuerat,sese obtulisse:eique rem,sicuti acciderat, narrauisse. Regẽ isthæc parum credidisse. Arionem,quasi falleret, custodiri iussisse. nauitas requisitos, ablegato Arione,dissimulãter interrogasse,ecquid audissent in iis locis vnde venissent,super Arione.Eos dixisse,hominem,cum inde irent,in terra Italia fuisse:eúmque illic bene agitare, & studiis delectationibúsque vrbium florere, atque in gratia pecuniáque magna fortunatum esse. Tum inter hæc eorum verba Arionem cum fidibus & indumentis, cũ quibus se in salũ eiaculauerat,extitisse. nautas stupefactos cõuictósque ire inficias non quisse. Eam fabulam dicere Lesbios & Corinthios:atque esse fabulæ argumentum,quòd simulacra duo ahenea ad Tænarum viserentur,Delphinus vehens,& homo insidens.

Parcere sibi vitam orat.

A delphino excipitur.

Periãdrũ adit.

Salũ.i. mare salsum.

Simulacra rei vt gestæ.

ASCEN. Ciceromastix.i.flagellũ Ciceronis.Cedo quale &c.cum cedo vulgo pro dic vsurpetur, hic pro agedũ vsurpari videtur.Quantum vero ad ea quæ Gellius hic disserit de vocabulo pœnitere,opinatur Valla in Rauden.eum esse parum fidelem Ciceronis interpretem:& reuera cũ apertissima sint Ciceronis verba,vidẽtur per Gellianam interpretationem obscuriora.Mas.Symmacchus apud Macrobium primo Saturn.De Cicerone,inquit,Euangele,qui conuicijs impenetrabilis est,post videbimus.

AVLI GELLII NOCTIVM ATTICARVM COMMENTARIORVM, LIBER XVII.

Quòd Gallus Asinius & Largius Licinius sententiã M.Ciceronis reprehenderũt ex oratione,quam dixit pro M.Cælio:& quid aduersus homines stolidissimos pro eadem sententia vere digneque dici possit. CAP. I.

VT QVIDAM fuerunt,monstra hominũ,qui de diis immortalibus impias falsásque opiniones prodiderũt:ita nonnulli tam prodigiosi tamq; vecordes extiterunt, (in quibus sunt Gallus Asinius & Largius Licinius,cuius liber etiam fertur infando titulo Ciceromastix)vt scribere ausi sint M.Ciceronẽ parũ integre,atque improprie, atque inconsiderate locutum. Atque alia quidem,quæ reprehenderunt,neq; dictu neque auditu digna sunt:sedenim hi in hoc, quo sibimetipsis præter cætera esse visi sunt verborum pensitatores subtilissimi, cedo quale id sit consideremus. M. Cicero pro M. Cælio ita scripsit, Nam quod obiectum est de

Ciceromastix.

pudicitia,quodque omnium accuſatorum,non criminibus,ſed vocibus maledictisq; celebratum eſt:id nunquam tam acerbe feret M.Cælius,vt eum pœniteat non deformẽ eſſe natum. Non exiſtimant verbo proprio eſſe vſum,quòd ait pœniteat: atq; id prope ineptum etiam eſſe dicunt. Nam pœnitere,inquiunt,tum dicere ſolemus,cum quæ ipſi fecimus,aut quæ de noſtra voluntate noſtróque conſilio facta ſunt, ea nobis poſt incipiũt diſplicere,ſententiamq; in iis noſtram demutamus. Neminem autem recte ita loqui,pœnitere ſeſe,quòd natus ſit:aut pœnitere,quòd mortalis ſit:aut quòd ex offenſo forte vulneratóque corpore dolorẽ ſentiat:quando iſtiuſmodi rerum nec conſilium ſit noſtrũ nec arbitrium. Sed ea ingratis in corporibus noſtris vi ac neceſſitate naturæ nobis accidãt. Sicut hercle,inquiunt,non voluntarium fuit M.Cælio quali forma naſceretur: cuius eum dixit non pœnitere. tanquam in ea cauſa res eſſet,vt rationem caperet pœnitẽdi. Eſt hæc quidem,quam dicunt,verbi huiuſce ſententia:& pœnitet niſi in voluntariis rebus non probe dicitur. tametſi antiquiores verbo ipſo,alio quoque modo vſitati ſunt. Et pœnitet ab eo,quod eſt pœne,& à pœnuria dixerunt,ſed id alioſum pertinet,atq; alio in loco dicitur. Nunc autem ſub hac eadem ſignificatione,quæ vulgo nota eſt, non modo ineptũ hoc non eſt,quod M.Cicero dixit,ſed feſtiuiſſimum adeo & facetiſſimum eſt. Nam cum aduerſarii & obtrectatores M.Cælii,quoniam erat pulchro corpore,formam eius & faciẽ in ſuſpitiones impudicitiæ accerſerent,illudens Cicero tam abſurdam criminationem, quòd formam,quam natura fecerat,vitio darẽt,eodem ipſo errore quem illudebat,ſciens vſus eſt. Et non pœnitet,inquit,M.Cælium non deformem eſſe natum. Vt vel hac ipſa re,quòd ita dicebat,opprobraret aduerſariis,ac per facetias oſtentaret facere eos deridiculum,quòd perinde Cælio formam crimini darent,quaſi arbitrium eius fuiſſet, quali forma naſceretur.

Cedo pro age.
Cic.locus.
Pœnitere.

ASCEN. Sane q̃ vtile exercitium. Quanq̃ lubentius exercitationem dicã:tamen etiã exercitiũ latine dici fatebor. Atque inermi.nominatiuus pluralis ſecundæ: cuius ſingularis inermus. Domus ſuas.quia pro loco domus ſecũdæ eſt,nos diceremus cũ Ouidio,Quo ruitis?veſtras quiſque redite domos:non domus. Quod autem Val.Flaccus ait,Implicat igne domus:& Quærentémque domus: de ædificio dicit. Id fruiſci:antiquo more quo vtor & fungor accuſatiuo coniungebantur. Ponere in mediũ,& in ſaccũ & ſimilia latine & grammatice dixeris cum ſit loci mutatio. Terentius in Andria, In ignẽ poſita eſt. Verba dare vulgo accipitur pro decipere:eo quòd qui verba ſine effectu dat,decipit. Ouid.ait,vt notauit Maſ. Verba dat omnis amans. Archith. Et tantùm verba daturus Singula promittit.vbi pulchre ponitur dare verba.vnde trahitur deceptio:Nã ſequitur,creſcentibus omnia ſpargit Pollicitis,ſed nulla manu.ſpem mandat inanem Pectoribus,dextræque nihil:ſpes credula fallit Pectora,verba manum &c. Cũ de ſolœciſmo eſſet in cauſa quadã quæſtio dixit M.Pomponius Marcel.ſermonis latini exactor modeſtiſsimus, Tu Cæſar ciuitatẽ potes hominibus,verba dare non potes. Vbi verba dare aliter ponitur quàm apud Quintũ Claudiũ. Vide Suetoniũ in lib.de grãmaticis,rheto.& ſenatoribus egregijs. Addidit & hoc. Quintil.in.viij. Certe antigerio,cuius eadem eſt ſignificatio,nemo niſi ambitioſus vtetur. Diuitias opus eſſe. At Plau.aliter vſus eſt in Ciſtellaria,Malum aufer,bonum mihi opus eſt. Licet poſſet eſſe in accuſatiuo. In capt.dixit. Omnes maritimi milites iã opus ſunt. Arboreta. Arbuſtum authore Beroaldo in Seruiũ, ſignificat proprie arbores vitibus maritatas atque vitiferas,quæ in ordinẽ digerũtur,vt docet Plinius. Apud Palladiũ tamen(inquit) pro caſtaneto poſitum legi.quod longe abeſt à Seruij ſignificatione,qui dicit,arbuſtum quidam locum in quo arbores ſunt volunt accipere.quo modo hic arboreta dicuntur. Nam ea quæ in etum exeunt locũ natiuũ ſignificare ſolent,vt vinetũ oliuetũ &c. Copiantur, copias inſtruunt. Sole occaſo etiam prius dictum & ſic interpres Odyſſeæ Homeri lib.ix. Sole occaſo in maris littore dormituri componimur.

Inermus.
Opus eſt cum nominatiuo.

Verba quædam ex Q. Claudii Annalium primo,curſim in legendo notata. Cap. II.

CVM librum veteris ſcriptoris legebamus, conabamur poſtea memoriæ vegetandæ gratia indipiſci animo,ac recenſere,quæ in eo libro ſcripta eſſent, in vtraſque æſtimationes laudis aut culpæ adnotamentis digna. Erátque hoc ſanequàm vtile exercitium ad conciliãdas nobis,vbi veniſſet vſus,verborum ſententiarúmque elegantium recordationes. Velut hæc verba ex Q.Claudii primo Annali,quæ meminiſſe potui, notaui, quem librum legimus biduo proximo ſuperiore. Arma,inquit, plerique abiiciunt,atque inermi inlatebrant ſeſe. Ibi inlatebrant verbum poeticum viſum eſt, ſed non abſurdum neque aſperum. Ea,inquit, dum fiunt, Latini ſubnixo animo, quaſi ſublimi & ſupra nixo: verbum pene ſignificans,& non fortuitum: demonſtrátque animi fortitudinem fidutiámque,quoniã quibus innitimur,iis quaſi erigimur attollimúrque. Domus,inquit,ſuas quenq; ire iubet,& ſua omnia fruiſci. Rarius quidem fuit in ætate M.Tullii, ac deinceps infra rariſſimum. dubitatúmque eſt ab imperitis antiquitatis,an latinum foret. Non modo autem latinũ,

Exc... ũ vtile.
Inlatebro.
Subnixus animus.
Domus ſuas:nobis domos dicendum.
Fruiſci.
Fruiſci id.

Fatiſcor vnde defetiſcor.

ſed iucundius amœniúſq; etiam verbum fruiſcor factum eſt, q̃ fruor: & vt fatiſcor à fateor, ita fruiſcor factum eſt à fruor. Q. Metellus Numidicus, qui caſte pureq; lingua vſus latina videtur, in epiſtola, quam exul ad Domitios miſit, ita ſcripſit, Illi vero omni iure atque honeſtate interdicti: ego neq; aqua neque igni careo, & ſumma gloria fruiſcor. Nænius in Attellana quæ Partus inſcripta eſt, hoc verbo ita vtitur,

Quod magnopere quæſierunt, id fruiſci non queunt.
Qui non parſit apud ſe, fruitus eſt.

Copiari.

Occaſo ſole.

Et Romani, inquit, multis armis, & magnó commeatu, prædáque ingenti copiantur. Verbum caſtrenſe eſt, nec facile id reperias apud ciuilium cauſarum oratores: exque eadẽ figura eſt, qua lignantur & pabulantur, & aquantur. Sole, inquit, occaſo. Sole occaſo, non inſuaui vetuſtate eſt, ſiquis aurem habeat non ſordidam nec proculcatam. In XII autem tabulis, verbum hoc ita ſcriptum eſt, Ante meridiem cauſam conſcito, cum perorant ambo præſentes. Poſt meridiem præſenti litem addicito. Si ambo præſentes, ſol occaſus ſuprema tempeſtas eſto. Nos, inquit, in medium relinquemus: vulgus in medio dicit, nã vitium iſtuc putant: & ſi dicas in medium ponere, id quoque eſſe σόλοικον putant. & tamen probabilius ſignificantiusque ſic dici videbitur, ſiquis ea verba non incurioſe introſpiciat. Græce quoque θεῖναι εἰς μέσον, vitium id non eſt. Poſtquam nunciatum eſt, inquit, vt pugnatum eſſet in Gallos, id ciuitas grauìter tulit. In Gallos mundius ſubtiliusque eſt, q̃ cum Gallis, aut contra Gallos: nam pinguiora hæc obſoletioráque ſunt. Simul, inquit, forma, factis, eloquentia, dignitate, acrimonia, cõfidentia pariter præcellebat, vt facile intelligeretur magnum viaticum. Magnum viaticum, pro magna facultate & paratu magno noue poſitum eſt. videturque Græcos ſecutus, qui ἐφόδιον, ſumptum viæ, ad aliarum quoque rerum apparatus traducunt: ac ſæpe ἐφόδιον pro eo dicunt, quod eſt inſtitue & inſtrue. Nam M. inquit Manlius, quem Capitolium ſeruaſſe à Gallis ſupra oſtendi, cuiuſque operam cum M. Furio DICTATORE apud Gallos cumprime fortem atq; exuperabilem Reſp. ſenſit, is & genere & vi & virtute bellica nemini concedebat. Apprime crebrius eſt, cumprime rarius: traductum ex eo eſt quòd cũ primis dicebant, pro eo quod eſt in primis. Nihil ſibi, inquit, diuitias opus eſſe. Nos diuitiis dicimus. & vitiũ hoc orationis nullum eſt: ac ne id quidem eſt, quod figura dici ſolet. recta enim iſtæc oratio eſt, & veteres compluſculi ita dixere. Nec ratio dici poteſt cur rectius ſit diuitiis opus eſſe q̃ diuitias: niſi qui grammaticorum noua inſtituta vt τεμλίων ἱδρὰ obſeruant. Nam hæc, inquit, maxime verſatur Deorum iniquitas, quòd deteriores ſunt incolumiores: neque optimum quempiam inter nos ſinunt diurnare. Inuſitate dixit diurnare pro diu viuere. ſed ex ea figura eſt, qua dicimus perennare. Cum his, inquit, cõſermonabatur. Sermonari ruſticius videtur, ſed rectius: ſermocinari crebrius eſt, ſed corruptius. Seſe, inquit, ne id quoque, quod tum ſuaderet, facturum eſſe. Ne id quoque dixit, pro ne id quidem: infrequens nunc in loquendo, ſed in libris veterum creberrimum. Tanta, inquit, ſanctitudo fanĩ eſt, vt nunq̃ quiſquam violare ſit auſus. Sanctitas quoq; & ſanctimonia nõ minus latine dicuntur. ſed neſcio quid maioris dignitatis eſt verbum ſanctitudo. Sicuti M. Cato in L. Veturium, duritudinem, quàm duritiem dicere grauius putauit. Qui illius, inquit, impudentiam norat, & duritudinem. Cum tantus, inquit, arrabo penes Samnites pop. Rom. eſſet: Arrabonem dixit DC obſides: & id maluit quàm pignus dicere, quoniam vis huius vocabuli in ea ſententia grauior acriorque eſt. Sed nunc arrabo in ſordidis verbis haberi cœptus. ac multo rectius videtur arra: quanquam arram quoq; veteres ſæpe dixerint. Et compluries, inquit, in laboribus miſerrimas vitas exegerunt. Et hic motus in ociis, inquit, conſumptus. Elegantia vtrobique ex multitudine numeri quæſita eſt. Cominius, inquit, qua aſcenderat deſcendit atque verba Gallis dedit. Verba Cominium dediſſe Gallis dicit, qui nihil quicquam cuiquam dixerat. Neque enim eum Galli, qui Capitolium obſidebant, aſcendentem aut deſcendentem viderant. Sed verba dedit, haud ſecus poſuit, quàm ſi tu dicas latuit atq; obrepſit. Conualles, inquit, & arboreta magna erãt. Arboreta ignobilius verbum eſt, arbuſta celebratius. Putabant, inquit, eos, qui foris atque in arce erant, inter ſe commutationes & conſilia facere. Commutationes, id eſt collationes communicationeſque inuſitate dixit: ſed nõ hercle inſcite nec ineleganter. Hæc ego pauca interim ſuper eo libro, quorum memoria poſt lectionem ſuppetierat, mihi notaui in ſermonibus forte, quos de temporibus rerum ad vſus hominum repertarum agitabamus.

In mediũ relinquo. — In Gallos pugnatũ. — Viaticum magnum. — Cũprime. — Cũ primis — Opus ſibi diuitias. — Diurnare. — Sermonari. — Ne id quoque, pro ne id quidem. — Sanctitudo. — Sanctimonia. — Duritudo. — Arrabo — Verba dare. — Arboreta. — Arbuſta. — Commutationes.

ASCEN. Ex terra Hispania. Ita fere quasi per appositionem loquitur. vt terra Italia, Græcia &c. Spartum dicunt esse genus herbæ in Hispania nascentis. Calepinus credit latine genistam dici: ego lõge aliud censeo. Mas. Quintilianus in. viij. ait sic, Vt ille qui in actione hibericas herbas se solo nequicq̃ intelligente dicebat: nisi irridẽs hanc vanitatẽ Cassius Seuerus, spartum eũ dicere velle indicasset. Est autẽ herba, ait interpres, ex qua rudentes fiunt & sportulæ. Hermol. in Plin. exponens quid sit ocnus, postquã dixit modo esse laboriosos, sed quorum prodiga sit vxor. Itẽ pigros & ignauos à genere picturæ, addidit: ocni fere iidem sunt qui σχοινοτρώγες. i. spartũ rodẽtes. Nam hoc dicebatur prouerbij loco, contra ignauos, vt ait Varro: nisi quis σχινοτρώγοι malit dicere. i. lentiscum mandentes: quoniã & hoc est vetus Græcorũ adagiũ aduersus eos qui nimio se comendi studio superfluũt, quasi dentibus fricandis & exterendis tantùm incubẽt præ desidia: nã ex lentisco fit dentrificium teste Martiale. In lexico græco reperias quòd σπάρτη filum sit, linea carpẽtarij, rubrica, scirpus, & σπάρτον funis. Itẽ quòd σπαρτὸς sit seminatus & σπάρτος spartus. Spartum. Ocnus. Prouerb.

Verba M. Varronis ex libro quinto & vicesimo Humanarũ, quibus contra opinionem vulgariam interpretatus est Homeri versum. CAP. III.

A Dolescens quispiam non indoctus, sparti quoq; vsum in terra Græcia diu incognitum fuisse dixit, multisque post Ilium captum tempestatibus ex terra Hispania aduectum. Riserunt hoc ad illudendum, ex iis qui ibi aderant, vnus atque alter, male homines literati, quod genus Græci ἀγοραίους appellant: atque eum qui id dixerat, librum legisse Homeri aiebant, cui versus hic forte deesset, Sparti vsus.

καὶ δὴ δοῦρα σέσηπε νεῶν, καὶ σπάρτα λέλυνται.

Tum ille prorsum iritatus, Non, inquit, in eo lib. versus, sed vobis plane magister defuit, si creditis in eo versu sparta id significare, quod nos spartũ dicimus. Maiorem enimuero illi risum subiiciunt, neque id destiterũt, nisi liber ab eo prolatus esset M. Varronis xxv humanarum: in quo de isto Homeri versu à Varrone ita scriptum est, Ego sparta apud Homerum non plus spartum significare puto, q̃ σπάρτους, qui dicũtur in agro Thebano nati. In Græcia sparti copia modo cœpit esse ex Hispania. Neq; ea ipsa facultate vsi Liburni: sed hi plerasque naues loris suebant: Græci magis cannabo & stuppa, cæterisque satiuis rebus: à quibus σπάρτα appellabant. Quod cum ita Varro dicat, dubito hercle an posterior syllaba in eo verbo quod apud Homerum est, acuenda sit: nisi quia voces huiuscemodi, cum ex communi significatione in rei certæ proprietatem concedũt, diuersitate accentuum separantur. Varr. loc.

ASCEN. Non erubescis? q. d. merito erubescas, cum id malo iudicio te non ignorante fiat.

Quid Menander poeta Philemoni poetæ dixerit, à quo sæpe indigne in certaminibus comœdiarum superatus est: & quòd sæpissime Euripides in Tragœdia ab ignobilibus poetis victus est. CAPVT IIII.

M Enander à Philemone nequaquam pari scriptore in certaminibus comœdiarum, ambitu gratiáq;, & factionibus sæpenumero vincebatur. eum cũ forte habuisset obuiam, Quæso, inquit, Philemon, bona venia dic mihi, cum me vincis, non erubescis? Euripidem quoque M. Varro ait, cũ quinque & septuaginta Tragœdias scripserit, in quinque solis vicisse: cum eum vincerent aliquot poetæ ignauissimi. Menandrum autem alii centum & octo, partim cẽtum & nouem comœdias reliquisse ferunt. Sed Apollodori scriptoris celebratissimi hos de Menandro versus legimus in libro qui Chronica inscriptus est, Menandri à Philemone victi ad eũ verba. Euripid. vinci solitus.

κηφισιεὺς ὤν, ἐκ Διοπείθους πατρὸς
πρὸς τοῖς ἑκατὸν πέντε γράψας δράματ᾽, ἐξ-
έλιπε, πεντήκοντα ζ δυοῖν ἐτῶν.

Ex istis tamen centum & quinque omnibus, solis eum octo vicisse idem Apollodorus eodem in libro scripsit.

ASCEN. Et minime controuersa. i. de quibus fieri posset controuersia: quasi cõtrouersibilia dicas. Beneficia fœneratur. i. vt hic accipi videtur, ad fœnus & vsuram facit. Neque alius modi: media lõga est in alius: est enim genitiui casus. Illotis (quod aiunt) pedibus. de hoc Erasmus: ἀνίπτοις ποσὶν ἀναβαίνειν. i. illotis pedibus ingredi, est confidenter atque imperite rem egregiam aggredi. tanquam prophane & irreuerenter. vide reliqua. Mas. Seneca in libris de beneficijs ait eos qui videri volunt benefici non eligere plerũque dignos quibus tribuant, sed nomina facturos diligenter patrimoniũ & debitoris vasa inquirere: vbi nomen pones pro debitoris titulo, aut ipso debitore. Lege Senecæ ipsius septimum librum de beneficijs, nec te pœnitebit legisse. Idem Senec. Demus beneficia, inquit, non fœneremus: turpis siquidem fœneratio est, beneficium expensum ferre. Archi. Donatáque gratia gratis, Sed reditura datis.

Nequaq̃ esse verum quod minutis quibusdam artificibus videatur, M. Ciceronem in libro quem de amicitia scripsit, vitioso argumento vsum, ἀμφισβητούμενον, ἀντὶ ὁμολογουμένου posuisse: Totúmq; id consideratius tractatum, exploratúmq;.

CAPVT V.

Ciceronis de amicitia locus.

CIcero in dialogo, cui titulus est Lælius, vel de amicitia, docere volens amicitiam non spe expectationeque vtilitatis, neque precii mercedisque causa colendam, sed quòd ipsa per sese plena virtutis honestatisque sit, expetendam diligendámque esse, etiam si nihil opis, nihilq; emolumēti ex ea percipi queat, hac sententia, atque his verbis vsus est: eáque dicere facit C. Lælium sapientem virum, qui P. Africani fuerat amicissimus, Quid enim Africanus indigens mei? Ne ego quidem illius. Sed ego admiratione quadam virtutis eius, ille vicissim opinione fortasse nonnulla, quam de meis moribus habebat, me dilexit: auxit beneuolētiam consuetudo. Sed quanquam vtilitates multæ & magnæ consecutæ sunt, non sunt tamen ab earum spe causæ diligendi profectæ. Vt enim benefici liberalésque sumus non vt exigamus gratiam, (neque enim beneficium fœneramur, sed natura propensi ad liberalitatem sumus) sic amicitiam nō spe mercedis adducti, sed quòd omnis eius fructus in ipso amore inest, expetendam putamus. Hoc cum legeretur in cœtu forte hominum doctorum, rhetoricus quidam sophista vtriusque linguæ callens, haud sane ignobilis, ex istis argutulis & minutulis doctoribus, qui τεχνικοὶ appellantur, atque in differendo tamen nō impiger, vsum esse existimabat argumento M. Tullium nō probo, neque ἀποδεικτικῷ, sed eiusdem quæstionis, cuius esset ea ipsa res, de qua quæreretur. verbisque id vitium Græcis appellabat, φ accepisset ἀμφισβητούμενον, ἀντὶ ὁμολογουμένου. Nam beneficos, inquit, & liberales sumpsit ad confirmandum id quod de amicitia dicebat: cum ipsum illud & soleat quæri, & debeat, quisquis liberaliter & benigne facit, qua mente, quove consilio benignus liberalisque sit. Vtrum quia mutuam gratiam speret & eum in quem benignus sit, ad parem curam sui prouocet: quod facere plerique omnes videntur: an quia natura sit beneuolus, benignitásq; eum per sese ipsa & liberalitas delectet, sine vlla recipiendæ gratiæ procuratione: quod est omnium ferme rarissimum. Argumenta autem censebat, aut probabilia esse debere, aut perspicua, & minime controuersa. Idque ἀπόδειξιν vocari dicebat, cum ea quæ dubia aut obscura sunt, per ea quæ ambigua non sunt, illustrantur. Atque vt ostenderet beneficos liberalésq; ad id quod de amicitia quæreretur, quasi argumētum exemplúmve sumi non oportere: eodem, inquit, simulacro, & eadem rationis imagine, amicitia inuicem pro argumento sumi potest, si quis affirmet homines beneficos liberalesque esse debere, non spe aliqua compendii, sed amore & studio honestatis. Poterit enim consimiliter ita dicere, Nāq; vt amicitiam non spe vtilitatis amplectimur, sic benefici liberalesque non gratiæ recipiendæ studio esse debemus. Poterit sane, inquit, ita dicere. sed neque amicitia liberalitati, neque liberalitas amicitiæ præbere argumentum potest, cum de vtroque pariter quæratur. Hæc ille rhetoricus artifex dicere quibusdam videbatur perite & scienter. Sed videre licet eum vocabula rerum vera ignorauisse. nam beneficum & liberalem Cicero appellat, ita vt philosophi appellandum esse censent, non eum qui, vt ipse ait, beneficia fœneratur, sed qui benigne facit nulla tacita ratione ad vtilitates suas redundante. Non ergo obscuro neque ambiguo argumento vsus est, sed certo atque perspicuo. Siquidem qui vere beneficus liberalisque est, qua mente bene aut liberaliter faciat, non quæritur. Aliis enim longe nominibus appellandus est, si cum & talia facit, sui potius quàm alterius iuuandi causa facit. Processisset autem argutatori isti fortasse reprehensio, si Cicero ita dixisset, Vt enim benefice liberaliterque facimus, non vt exigamus gratiam. videretur enim benefice facere, etiam in non beneficum cadere posse, si id per aliquam circunstantiam fieret, non per ipsam perpetuæ benignitatis constātiam. Sed cum beneficos liberalesque dixerit, neque alius modi isti sunt, quàm cuius esse eos supra diximus, illotis (quod aiunt) pedibus, & verbis reprehendit doctissimi hominis orationē.

Callēs linguæ. Expositū iam est. Beneficus liberalisq;. Prouerb.

Recipio.

ASCEN. Recipere est quod vulgo dicitur reseruare, & quasi iterum capere: vt cum omnia alicui dederis, ex illis aliqua tibi propria reserues. Inde receptitium, quod sic receptum & quasi de summa exceptum sit. Multa alia recipere significat: vt in locum tutiorem traducere, vnde canere receptui. Item polliceri & promittere, & quasi perficiendum accipere. Sane de columna receptitia quam diuenditis in foro ædibus sibi Menius recepit, vide Calepinum in dictione Meniana.

Falsum esse quod Verrius Flaccus in librorum secundo, quos de obscuris M. Catonis composuit, de seruo receptitio scriptum reliquit. CAP. VI.

MAR. Cato Voconiam legem suadens verbis hisce vsus est, Principio nobis mulier magnam dotem attulit: tum magnam pecuniam recipit, quã in viri potestate non committit, eam pecuniam viro dat mutuam. postea vbi irata facta est, seruum receptitium sectari atque flagitare virum iubet. Quærebatur seruus receptitius quid esset. Libri statim quæsiti, allatique sunt Verrii Flacci de obscuris Catonis. in libro secundo scriptum inuentum est, receptitium seruum dici nequam, & nulli precii, qui cum vænum esset datus, redhibitus ob aliquod vitium, receptúsque sit. Propterea, inquit, seruus eiusmodi sectari maritum, & flagitare pecuniam iubebatur, vt eo ipso dolor maior & contumelia grauior viro fieret, quòd eum seruus nihili petendæ pecuniæ causa compellaret. Cum pace autem, cúmque venia istorum, siqui sunt qui Verrii Flacci authoritate capiuntur, dictum hoc sit. Receptitius enim seruus in ea re, quam dicit Cato, aliud omnino est, quàm Verrius scripsit. atque id cuiuis facile intellectu est. res enim proculdubio sic est, Quando mulier dotem marito dabat, tum quæ ex suis bonis retinebat, neque ad virum tramittebat, ea recipere dicebatur. Sicuti nũc quoq; in venditionibus quæ excipiuntur, neque væneũt. Quo verbo Plautus quoque in Trinummo vsus est in hoc versu,

Posticulum hoc recepit, cum ædeis vendidit.

Particulam quandam quæ post eas ædeis erat, non vendidit, sed retinuit. Ipse etiam Cato mulierem demonstrare locupletem volens, Mulier, inquit, & magnam dotem dat, & magnam pecuniam recipit. Hoc est, & magnam dotem dat, & magnam pecuniam retinet. Ex ea igitur re familiari, quam sibi dote data retinuit, pecuniã viro mutuam dat. Eam pecuniam cum viro forte irata repetere instituit, apponit flagitatorem seruum receptitium, hoc est proprium seruum suum, quem cum pecunia reliqua receperat: neque dederat doti, sed retinuerat. Non enim seruo mariti imperare hoc mulierem fas erat, sed proprio suo. Plura dicere, quibus hoc nostrum tuear, supersedeo. ipsa enim sunt per sese euidentia, & quod à Verrio dicitur, & quod à nobis. Vtrum ergo videbitur cuique verius, eo vtatur.

Catonis verba. Verrij erratum. Receptitius seruus Nulli precij. Recipere.

ASCEN. Tã præteritũ quàm futurũ: forte quòd ex vtroque, surreptũ erit, cõponitur: sed si ea duo pro vno ponãtur, videlicet pro verbo surripietur: tũc mãifeste futuri fuerit tẽporis: sed minus apte dicetur.

Verba hæc ex Atinia lege, Quod subreptũ erit, eius rei æterna authoritas esto: P. Nigidio, & Q. Scæuolæ visa esse non minus de præterito furto, q̃ de futuro cauisse.

CAPVT VII.

LEgis veteris Atiniæ verba sunt, Quod subreptum erit, eius rei æterna authoritas esto. Quis aliud putet in hisce verbis, quàm de tempore tantũ futuro legem loqui? Sed Q. Scæuola patrem suum, & Brutum, & Manilium, viros apprime doctos quæsisse ait, dubitasseque, vtrum ne in postfacta modo furta lex valeret, an etiam in antefacta: quoniam quod subreptum erit, vtrunque tempus videretur ostendere, tam præteritum quàm futurum. Itaque P. Nigidius ciuitatis Romanæ doctissimus, super dubitatione hac eorum scripsit in XXIIII cõmentariorum grammaticorum. atque ipse quoque idem putat, incertam esse tẽporis demonstrationem. sed anguste perquam & obscure disserit, vt signa rerum ponere videas ac subsidium magis memoriæ suæ, quam ad legentium disciplinam. videbatur tamen hoc dicere, Verbum esse, & verbum erit, quando per sese ponuntur, habent atque retinent tempus suum: cum vero præterito iunguntur, vim temporis sui amittunt, & in præteritũ cõcedunt. Cum enim dico, in campo est, in comitio est, tempus instans significo. Item cum dico, in campo erit, tempus futurum demonstro. At cum dico, factum est, scriptum est, surreptum est, quanquam est verbum temporis sit præsentis, confunditur tamen cum præterito, & præsens esse desinit. Sic igitur, inquit, etiam istud quod in lege est, si diuidas separesque duo verba hæc, surreptum, & erit, vt sic audias subreptum tanquam certamen erit, aut sacrificium erit: tum videbitur lex in postfuturum loqui. Si vero copulate permisteque dictum intelligas, vt subreptum erit non duo, sed vnum verbum sit, idque vnica patiendi declinatione sit: tum hoc verbo non minus præteritum tempus ostenditur, q̃ futurum.

Atinia lex Subreptũ erit. Esse. Erit.

Ola. Cucurbita

ASCEN. Ad id diei.i.eã partẽ diei.In olla:credã scribendum, vt Gallis pronunciatur,ola.fit enim ab aula:vnde titulus aulularię Plauti,au in o versis.Lẽtis AEgyptiæ:de qua Maro in Georg. Nec Pelusiacæ curã aspernabere lentis.Et cucurbitæ.ea species est herbæ,cuius fructus in faciem vasis vinarij crescũt: ineptiunt qui cucumerẽ vocant,cum longe differant. Verbero,verbere aut verberari dignus.Ad hoc.i.insuper.De congelatione maris nihil mentitus est Herodotus:nam mare minus salsum, vt illud quod Daciã,seu Daniam & quas Suetiã Norvvegiãque vocant,alluit quotannis fere tam dense cõgelatur vt viginti miliũ exercitũ sustineat. Macrob.lib.vij.Saturn.huius cap.meminit sine Gelliani nominis, vt solet,mẽtione.Seneca in.ij.lib.quæst.natu.ait de fulmine quòd vinũ gelat,ferrum & æs fundit.Illudque est(inquit) mirum quòd vinum gelatum fulmine cum ad priorem habitum redijt, potum aut exanimat aut dementes facit.Quare illud accidat,quærenti mihi illud occurrit.Inest quædam vis pestifera fulmini. & ex hoc aliquem remanere spiritũ in eo humore quẽ gelauit coegitque verisimile est. neq; enim alligari potuisset nisi additũ esset illi aliquod vinculũ.Præterea olei quoq; & omnis vnguẽti teter post fulmen odor est &c. Id dictũ,inquit Mas.volui quòd putarit Taurus vina raro aut nunq̃ cõgelascere.Bad.Id quoque verũ est, si integra & fortia sint:sed aquatica & vappæ & vim fulminis aut tonitru passa facile congelascunt.

In sermonibus apud mensam Tauri philosophi,quæri agitariq; eiusmodi solita, Cur oleum sæpe & facile,vina rarius congelascant,acetum haud fere vnquam & cur aquæ fluuiorum,fontiũmque durentur,mare gelu non duretur. CAP. VIII.

Tauri philosophi cœna.

PHilosophus Taurus accipiebat nos Athenis cœna plerũque ad id diei vbi iam vesperauerat:id enim est tempus istic cœnandi frequens. Eius cœnæ fundus & fundamentum omne erat in ola vna lentis AEgyptiæ,& cucurbitæ inibi minutim cæsæ.Ea quodam die vbi paratis & expectãtibus nobis adlata atque imposita mẽsæ est,puerum iubet Taurus oleum in olam indere.erat is puer genere atticus,ad annos maxime natus VIII festiuissimus, ætatis & gentis argutiis scatens.Guttum Samium ore tenus imprudens inanem,tanquam si inesset oleum,adfert,conuertitque eum:&;vt solitum est,circumegit per omnem partem olæ manum:nullum inde ibat oleum. Aspicit puer guttum atrocibus oculis stomachabundus, & concussum vehementius iterum in olam vertit. idque cum omnes sensim atque summissim rideremus:tum puer græce,& id quidem perquam attice, μὴ γελᾶτε, inquit, οὐ τοὔλαιον,ἀλλ᾽ οὐκ ἴστε οἷα φρίκη περὶ τὸν ὄρθρον γέγονε τήμερον; κεκρυστάλλωται. Verbero,inquit, ridens Taurus,nonne is curriculo atque oleum petis?Sed cũ puer foras emptũ isset, nihil ipse ista mora offensior:Ola,inquit,oleo indiget,& vt video intolerandum feruit.cohibeamus manus:atque interea quoniam puer nunc admonuit solere oleum congelascere,cõsideremus cur oleum quidem sæpe & facile stet,vina rarenter congelascant. Atque aspicit me,& iubet,quod sentiam dicere. Tum ego respondi,coniectare me vinum idcirco minus cito coalescere,quòd semina quædam caloris in sese haberet,essetque natura ignitius: ob eámque rem dictum esse ab Hom. αἴθοπα οἶνον,non,vt alii putarent,propter colorem. Est quidem,inquit Taurus,ita vt dicis:nam ferme conuenit,vinum,vbi potum est, calefacere corpora.Sed non secus oleum quoque calorificum est,neque minorem vim in corporibus calefaciendis habet.Ad hoc,si istæc quæ calidiora sunt,difficilius gelu cogũtur, congruens est,vt quæ frigidiora sunt facile cogantur. Acetum autem omnium maxime frigorificum est:atque id nunquam tamen concrescit. Num igitur magis causa oleo coaguli celerioris in leuitate est? faciliora enim ad coeundum ideo videntur,quæ leuatiora leuioráque sunt.Præterea id quoque ait quæri dignum,cur fluuiorum & fontium aquæ gelu durentur,mare omne incõgelabile sit.Tametsi Herodotus,inquit, historiæ scriptor contra omnium ferme qui hæc quæsiuerunt,opinionem,scribit mare Bosphoricũ,quod Cimmerium appellatur, earũmque partium mare omne quod Scythicum dicitur,gelu stringi & consistere.Dum hæc Taurus,interea puer venerat,& ola deferbuerat,tempúsq; esse cœperat edendi & tacendi.

Vina cur non facile cõgelascãt

Acetũ cur non cõgelascat. Balticum mare congelascit maxime.

Scytala Laconica.

ASCEN.De Scytala Laconica sic scribit Beroaldus in Adnot.in Gel.& Ciceronẽ.Cicero in quadã ad Atticũ epistola sic ait:habes scytalã Laconicam.quo prouerbialiter dicto significare voluit epistolã breuissime concinnatam & occulto significatu obscuratam,sicut Lacedæmones veteres facere consueuerunt,qui occultare volentes literas publice ad imperatores suos missas,ne ab hostibus exceptæ,cõsilia sua reuelarẽt,epistolas mirando cõmẽto scriptas mittebãt.nãq; lorũ tenuissimum surculo tereti atque oblõgo cõplicabant,in eõque loro literas per trãsuersas iuncturarũ oras inscribebant. Id lorum deinde ex surculo reuolutum consimiliter circũplicabant,atque ita literæ per ambitum eũdem surculi coalescentes rursum coibant,& ita integram & incorruptam epistolam & facilem legi præstabant. Præterea Lacedæmonij in scribendo vsi sunt stilo breuissimo qui Laconismos nuncupatur &c.vide reliqua,& Suetoniũ in vita Cæsaris.Alia aliæ locũ &c.videtur aliæ pro alius in genitiuo poni.Ante ijs cõplacebat.i.in hoc cõuenerãt. Cera illita.Herod.in fine Polyhymniæ ait Demaratũ fuisse authorẽ hmõi literarũ:vbi Gorges ingeniũ emicuit.

..dem scripsit de Histieo in Terpsicore. Hoc opertum id est operimentum, celaturam. Mas. Scytalæ meminit Plutarchus in Lysandro. Ab Histieo & Aristagora Herodotus prouerbium manasse dicit, Histieus calceum consuit, quem Aristagoras induit. Prouerbiũ

De notis literarum quæ in C. Cæsaris epistolis reperiuntur, deque aliis clandestinis literis ex veteri historia petitis: & quid σκυτάλη sit Laconica. CAP. IX.

Libri sunt epistolarum C. Cæsaris ad C. Oppium, & Balbum Cor. qui res eius absentis curabant. In his epistolis quibusdam in locis inueniuntur literæ singulariæ, sine coagmentis syllabarum, quas tu putes positas incondite, nam verba ex his literis confici nulla possunt. Erat autẽ conuentum inter eos clandestinum de commutãdo situ literarum, vt inscriptio quidem alia aliæ locum & nomen teneret, sed in legendo locus cuique suus & & potestas restitueretur. Quænam vero litera pro qua subderetur, ante iis, sicut dixi, cõplacebat, qui hanc scribendi latebram parabant. Est autem Probi grammatici commentarius satis curiose factus, de occulta literarum significatione epistolarum C. Cæsaris scriptarum. Lacedæmonii autem veteres cum dissimulare & occultare literas publice ad Imperatores suos missas volebant, ne si ab hostibus exceptæ forent, consilia sua noscerentur, epistolas id genus factas mittebant. Surculi duo erãt teretes oblonguli pari crassamento, eiusdemq; longitudinis, derasi atque ornati consimiliter. Vnus Imperatori in bellum proficiscenti dabatur, alterum domi magistratus cum iure atque cum signo habebant. Quando vsus venerat literarum secretiorum, circum eum surculum lorum modicæ tenuitatis, longum autem quantum rei satis erat, complicabant volumine rotũdo & simplici: ita vti oræ adiunctæ vndique, & cohærentes lori, quod plicabatur, coirent. Literas deinde in eo loro per transuersas iũcturarum oras, versibus à summo ad imum proficiscentibus inscribebant. Id lorum literis ita perscriptis reuolutum ex surculo, Imperatori commenti illius conscio mittebant. Resolutio autem lori literas truncas atque mutilas reddebat, membraque earum & apices in parteis diuersissimas spargebat. Propterea si id lorum in manus hostium inciderat, nihil quicquam coniectari ex eo loro quibat. Sed vbi ille ad quem erat missum, acceperat, surculo compari, quem habebat capto, ad finem perinde vt debere fieri sciebat, circumplicabat: atque ita literæ per ambitum eundem surculi coalescentes, rursum coibant, integrãque & incorruptam epistolam, & facilem legi præstabant. Hoc genus epistolæ Lacedæmonii σκυτάλην appellant. Legebamus id quoque in vetere historia rerum punicarum, virum indidem quempiam illustrem (siue Hasdrubal, siue quis alius est non retineo) epistolam scriptam super rebus arcanis hoc modo abscondisse. Pugillaria noua, nondum etiam cera illita accepisse: literas in lignũ incidisse: postea tabulas vti solitũ est, cera colliuisse: easque tabulas tãquam non scriptas, cui futurum hic prædixerat, misisse: eum deinde ceram derasisse, literasq; incolumes ligno incisas legisse. Est & alia in monimentis rerum græcarum profunda quædam & inopinabilis latebra barbarico astu excogitata. Histieus nomine fuit loco natus in terra Asia nõ ignobili. (Asiam tunc tenebat imperio rex Darius) Is Histieus, cũ in Persis apud Darium esset, Aristragoræ cuipiã res quasdã occultas nunciare furtiuo scripto volebat. cõminiscitur opertum hoc literarum admirandum, Seruo suo diu oculos ægros habenti capillum ex capite omni, tanquã medẽdi gratia deradit, caputq; eius læue in literarum formas cõpingit. His literis quæ voluerat, perscripsit. Hominẽ postea quoad capillus adolesceret, domi continuit. Vbi id factum, ire ad Aristagoram iubet. & cum ad eum, inquit, veneris, mandasse me dicito vt caput tuum (sicut nuper egomet feci) deradat. Seruus, vt imperatum erat, ad Aristagoram venit, mandatumque domini adfert. atque ille id non esse frustra ratus, quod erat mandatum fecit. Ita literæ perlatæ sunt.

Epistolæ Cæsaris. Occulta scriptura.

Laconicæ epistolæ.

Scytalẽ id est loricatũ surculũ.

Punicæ tabellæ.

Histieus capiti serui inscripsit literas.

ASCEN. Memini disserere: more suo dixit, non disseruisse. Nec ab re aut præter artem, cũ Cicero eloquẽtiæ parens & latinitatis (ait Mas.) thesaurus dixerit inuectiua prima in Catilinam, Meministi ne me ante diem. xij. Cal. Nouẽb. dicere in Senatu, fore in armis certo die &c. Et aliubi sæpe. Similia fere apud Macrobiũ leges in quibus suis, hoc est græcis plus quàm latinis, vt hic Phauorinus, forte nõ immerito cõcedit. Vtitur aũt excusationis prætextu, quòd AEneida imperfectã dicit nec satis elimatã. Neque tamẽ id primũ magnopere dãdũ erat vitio, quòd nõ dixerit interdiu: nã dicẽdo interdũ & interdũ facile significauit diuersis id fieri tẽporibus: nocturno videlicet & diurno. Itẽ quod obijcit de fauilla cãdẽte: facile purgatu est: nã dũ piceus erigitur fumus, admiscentur illi nonnullæ scintillæ ac fauillæ cãdẽtes. Præterea cãdens interdum à solo calore dicitur: etiam si nihil alboris habet: etiam non vulgariter. Monstrosissimum, sic fe-

re legitur,vt in Lucano,Monstrosique hominũ partus.Valla tamẽ vult monstruosum verius dici, licet fo- mandi ratio obstet. Addidit supradictis idem Mas.Pontanus in quodam dialogo Virgiliocarpos(sic enim appellat Virgiliomastigas)notans multa refert Virgiliũ aduersus Phauorinum defendentia:primũque citat Claudianũ ita de AEtnæ flagrantia canentẽ.Nũc mouet indigenas nimbos,piceaque grauatũ Fœdat nube diẽ:nũc motibus astra lacessit Terrificis,damnisque suis incendia nutrit.Et inde virgilij verba subiũgens addit.Phauorinus(vt testis est Gellius)ait hos versus inchoatos magis, quàm factos, quòd absolui, quãdo mors præuerterat, nequijssent:sed recte id factũ à Virgilio contẽdit & cõsummatẽ.Nam noluit,vt Claudianus, rei causam exquirere:nec vt Pindarus spumãtis materiæ flumina ostendere : sed cũ cœpisset portũ describere,dixissetque ab accessu ventorũ immotũ,& ingentẽ,rẽ subdidit maxime mirabilẽ & mõstrosam, vt AEneas auerteretur.Ait enim:portus ingẽs quidẽ est nauium multarũ capax,sed visu & auditu mirabile est,AEtnã ruinis terrificis iuxta sonare:qua cõmotus admiratione atque à portu auersus in illa explicãda primũ ab auditu cœpit.Videtis artificiosi poetæ prudẽs consiliũ quòd in re mirabili narrãda tractũ se admiratione ipsa,ab initio statim ostẽdit.Hæc & alia Pontanus addit rẽ exaggerãs:sed nimisquã videtur mordax dicẽs,Nõ possum primo loco nõ magnopere Gelliũ admirari vel potius ridere , qui Virgiliũ arguat quòd dixerit fumantẽ piceo turbine,& fauilla cãdẽte,cũ nec fumare soleãt(vt ipse dicit) nec atra esse,quæ sunt candẽtia,nisi si dixit peruulgate & improprie cãdẽte pro feruẽte nõ pro ignea & relucẽti,quòd candẽs est à cãdore dictũ nõ à calore.eo cõtẽtus debuit esse Põtanus,sed prouectus vltra ait, O bone Gelli cũ nocteis istas atticas scriberes,nõ potuisti nõ aliquãdo dormitare. Ignorabas an parum animaduertebas antiquissimũ hũc & latinissimũ loquẽdi morẽ Virgilio etiã familiarissimũ ? Neque enim dixit fumãtẽ cãdẽte fauilla:sed nubẽ cãdẽte fauilla,vt puella forma adeo venusta , & magno vir ingenio:& quod in loco maxime simili legũt,Ipse Quirinali lituo,paruaque sedebat Succinctus trabea. At vt ibi nõ succinctus Quirinali lituo,sed succinctus parua trabea,quirinalẽque tenẽs seu gestãs lituũ : sic neque hic nubẽ fumãtẽ fauilla candẽte:sed fumantẽ turbine piceo, & emittentẽ seu spargẽtẽ atque efflantẽ simul cãdẽtẽ fauillã. Nolim, inquit Maserius,cætera ego subiũgere,quãdo loquacior videtur impẽdio Põtanus: & magis innixus calũniæ verborũque copiæ q̃ Virgilianæ defensiõi:nõ quòd Virgilius à maiestate defecerit heroica aut imitatione decenti,quatenus(vt videre est) referre contendit , vt in vltimi libri capite vltimo probat:sed cum curat vellicationẽ,arrogantiam incurrit:nec adfert sobrie & honeste quod doctus potuit grãmaticus aut orator philosophũ minus diligentẽ notaturus.hæc ille.Addit. Archith . Sanguine candescunt phaleræ, spumescit habena Indignata regi, fræni natat ardor in ira.Vbi candescũt.i.calidæ fiũt,non candidæ phaleræ,quia sanguine nisi in spumam verso,non candente.

Candens.

Quid de versibus Virgilii Phauorinus existimarit, quibus in describẽda flagrãtia mõtis AEtnæ Pindarum poetam secutus est: collataq; ab eo super eadem re vtriusq; carmina,& diiudicata. CAPVT X.

Virgilius Vrsino more versus parere se dixit.

PHauorinum philosophum,cum in hospitis sui Antiatem villam æstu anni concessisset,nosque ad eum videndum Roma venissemus,memini super Pindaro poeta & Virgilio in hunc fere modum disserere, Amici , inquit, familiaresque P.Virgilii in iis quæ de ingenio moribusque eius memoriæ tradiderunt,dicere eum solitum ferunt , parere se versus more atq; ritu vrsino.nanque vt illa bestia fœtum ederet ineffigiatum informemque, lambendoque id postea,quod ita edidisset conformaret & fingeret:perinde ingenii quoque sui partus recentes rudi esse facie,& imperfecta : sed deinceps tractando colendoque reddere iis se oris & vultus liniamenta . Hoc virum iudicii subtilissimi ingenue atque vere dixisse, res,inquit,ipsa verum indicium facit. nam quæ reliquit perfecta expolitaq;,quibusq; imposuit sensus atq; delectus sui supremã manũ,omni poeticæ venustatis laude florent: sed quæ procrastinata sunt ab eo,vt post recẽserẽtur,& absolui , quoniam mors præuerterat, nequiuerunt,nequaq̃ poetarũ elegantissimi nomine atq; iudicio digna sunt. Itaque cum morbo oppressus,aduentare mortẽ videret , petiuit orauitque à suis amicissimis impense,vt AEneida,quã nondum satis elimauisset,aboleret.In iis autẽ,inquit,quæ videtur retractari & corrigi debuisse,is maxime locus est,qui de monte AEtna factus est . Nam cũ Pindari veteris poetæ carmen,quod de natura atque flagrãtia montis eius compositum est,æmulari vellet,eiusmodi sentẽtias & verba molitus est,vt Pindaro quoq; ipso,qui nimis opima pinguique esse facundia existimatus est , insolentior hoc quidem in loco tumidiorque sit. Atque vti vosmetipsos(inquit)eius,quod dico,arbitros faciam,carmẽ Pindari quod est super monte Aetna,quantulum mihi memoriæ est,dicam,

Versusqui dã non re formati à Virgilio. Pindari de Aetna versus in Pithijs. Vide Macrob.lib.v.

τᾶς ἐρεύγονται μὲν ἀπλά-
του πυρὸς ἁγνόταται
ἐκ μυχῶν παγαί. ποταμοί
δ᾽ ἁμέραισι μὲν προχέοντι ῥόον καπνοῦ
αἴθων᾽, ἀλλ᾽ ἐν ὄρφναισι πέτρας
φοίνισσα κυλινδομένα φλὸξ ἐς βαθεῖ-

ἐν φέρει πόντου πλάκα σὺν πατάγῳ.
κεῖνο δ' ἀφαίστοιο κρουνοὺς ἑρπετὸν
δεινοτάτους ἀναπέμ-
πει. τέρας μὲν θαυμάσιον προσιδέ-
σθαι, θαῦμα δὲ καὶ παριόν-
των ἀκοῦσαι.

Audite nunc, inquit, Virgilii versus, quos inchoasse eũ verius dixerim quàm fecisse, Virgilij de AEtna versus. AEnei. iii.

Portus ab accessu ventorum immotus, & ingens
Ipse, sed horrificis iuxta tonat AEtna ruinis.
Interdumq; atram prorumpit ad æthera nubem
Turbine fumantem piceo, & candente fauilla:
Attollitque globos flammarum & sydera lambit.
Interdum scopulos, auulsaque viscera montis
Erigit eructans, liquefactaque saxa sub auras
Cum gemitu glomerat, fundoque exæstuat imo.

Iam principio, inquit, Pindarus veritati magis obsecutus, id dixit, quod res erat, quodque illic vsu veniebat, quodque oculis videbatur, interdiu fumare AEtnam, noctu flammigare. Virgilius autem, dum in strepitu sonituque verborũ conquirendo laborat, vtrũque tempus nulla discretione facta confudit. Atque ille Græcos quidem imitatus, fontes ignis eructari, & fluere, amnes fumi & flãmarum fulua & tortuosa volumina in plagas maris ferre, quasi quosdam igneos amnes luculente dixit. At hic noster atram nubẽ turbine piceo, & fauilla fumantem ῥόον καπνοῦ αἴθωνα interpretari volens, crasse & immodice congessit globos quoque flammarum, quod ille κρουνοὺς dixerat, duriter & ἀκύρως transtulit. Item quòd ait, Sydera lambit. vacanter hoc etiam, inquit, accumulauit & inaniter. Neque nõ id quoque inenarrabile esse ait, & propemodum insensibile, ꝙ nubem atram fumare dixit turbine piceo, & fauilla cãdente. Non enim fumare, inquit, solent, neque atra esse, quæ sunt cãdentia: nisi si cãdenti dixit peruulgate & improprie pro feruenti fauilla, non pro ignea & relucenti. nam candens scilicet est à candore dictum, non à calore. Candens. Quod saxa autem & scopulos eructari & erigi, eosdemque ipsos statim liquefieri & gemere atque glomerari sub auras dixit, hoc, inquit, nec à Pindaro scriptum, nec vnquam fando auditum: & omnium, quæ monstra dicuntur, monstrosissimum est.

ASCEN. Duas quasi canaliculas. hoc diminutiuũ testatur quòd potius dicatur hæc canalis, quàm hic canalis, licet vtrunque legatur. habet autem primam breuem: vnde peccaret qui cannalis scriberet. Patet etiam quòd arteria secundam producat cum per η scribatur. Sed quadam quasi obijce. hoc inusitatius. Nam hic obiex frequentius legitur, & analogia defendit. Nam obijcis media correpta facit vt indicis: sed confusa sunt & alia: vt silex, cortex &c. Verum quia primam semper protrahit, idque positu: nam ob natura breuis est: non scribetur obex, sed obiex: nec obicis, sed obijcis. Hæc obiex.

Quòd Plutarchus in libris Symposiacis opinionem Platonis, de habitu atque natura stomachi, fistulæque eius, quæ τραχεῖα dicitur, aduersum Erasistratum medicum tutatus est, authoritate adhibita antiqui medici Hippocratis. CAP. XI.

ET Plutarchus, & alii quidam docti viri reprehensum esse ab Erasistrato nobili medico Platonem scripsere, ꝙ potum dixit defluere ad pulmonem: eoque satis humectato, dimanare per eum, quia sit rimosior, confluere inde in vesicam. Errorisque istius fuisse Alcæum ducẽ, qui in poematis suis scriberet, τόν τε πνεύμονα οἴνῳ, τὸ γὰρ ἄστρον περιτέλλεται. Vide Macrob. lib. vij. cap. xv. Alcæi loc. Ipsum autem Erasistratum dicere duas esse quasi canaliculas quasdam, vel fistulas, easque ab oris faucibus proficisci deorsum, per earumque alteram deduci delabique in stomachum esculenta omnia & poculenta: ex eoque ferrì in ventriculum, qui græce appellatur ἡ κάτω κοιλία, atque ibi subigi digerique: ac deinde aridiora ex iis recrementa in aluũ conuenire quod græce κῶλον dicitur, humidiora autem per renes in vesicam. Per alteram Colon. autem fistulam, quæ græcè nominatur τραχεῖα ἀρτηρία, spiritum à summo ore in pulmonem, Trachia. atque inde rursum in os & in nareis commeare: perque eandem vocis quoque fieri meatum. Ac ne potus cibusque aridior, quem oporteret in stomachum ire, procideret ex ore, labereturque in eandem fistulam, per quam spiritus reciprocatur, eaque

offensione intercluderetur animæ via, impositã esse arte quadã & ope naturæ ἐπιγλωττίδα quasi claustra quædam vtriusque fistulæ mobilia, conniuentia vicissim & resurgẽtia: eamque ἐπιγλωττίδα inter edendum bibendumq; operire atq; protegere τὴν τραχεῖαν ἀρτηρίαν, nequid ex esca potuve incideret in illud quasi æstuantis animæ iter. Ac propterea nihil humoris influere in pulmonem, ore ipso arteriæ communito. Hæc Erasistratus medicus aduersum Platonem. Sed Plutarchus in libro Symposiacorum, authorem Platonis sententiæ Hippocratem dicit fuisse, idemque esse opinatos & Philistiona Locrum, & Dioxippum Hippocraticum, veteres medicos & nobiles. atq; illam, de qua Erasistratus dixerit, ἐπιγλωττίδα non idcirco in eo loco constitutam, ne quid ex potu influeret in arteriam: (Nam pulmoni quoque fouendo rigandoque necessarios humores videri) sed appositam quasi moderatricem quandam, arbitram prohibẽdi admittẽdive, quod ex salutis vsu foret: vti edulia quidem omnia defenderet ab arteria, depelleretque in stomachum: potum autem partiretur inter stomachum & pulmonem. Et quod ex eo admitti in pulmonem per arteriam deberet, non rapidum id, neque vniuersum, sed quadã quasi obiice sustentatum ac repressum, sensim paulatimque transmitteret: atque omnem reliquum in alteram stomachi fistulam deriuaret.

Platonis defensio. *Quadam obijce.*

ASCEN. Thersitæ laudes. qui ab Homero illaudatus astruitur. vnde & Iuuenalis, Malo pater tibi sit Thersites: dummodo tu sis AEacidæ similis, Vulcaniaque arma capessas: Quàm te Thersitæ similem producat Achilles. Quartis diebus recurrentem. abiecte dixisset quartanam. Ea autem difficillime curatur: quocirca dum cæteræ ægritudines AEsculapio prætereunti assurgerent, ea medium vnguem ac podicem illi ostendisse fingitur. Ipsa dies &c. vt verba responderent, posset sic verti, Ipsa dies aliquando nouerca, aliquanda parens est. Mas. Lucianus muscæ laudes cecinit, ei conferens Aiacem. quẽ muscæ Hom. cõtulit: in quẽ versus dicitur Periclimenus: de quo nos multa in Valeriũ Flaccũ. De hoc ait Pius in Merc. Plauti: Tãquã Homerus multitius illã baroni & satrapi inclitissimo Aiaci cõparauerit. Vbi vsus est dictione Baro & Neotericus cũ Neotericis. & quia dicitur σατράπης & satrapa: lapsus videtur factus per literæ mutationẽ. Addit Mase. Febriũ quædã sunt cõtinuæ: quedã interuallatæ, & quotidianæ, tertianæ, quartanæ, quintanæ, septimanæ, nonanæ, sunt etiam erraticæ, quæ ordine grassantur nullo, ait Cælius lib. xij. cap. viij. Quum ego, inquit idem Maserius, febre laborarẽ quartana, accepi à M.N. Michaele Crellio doctore egregio, eum qui ea curatus fuerit, postea morbo comitiali, hydropisi, lepraque neutiquam infectũ iri: aliaque superaddidit ex medicis scriptoribus non pœnitenda. Is sua industria, arte & opera me duplici quartana febre tandem liberauit, exacto inter quartanam simplicem, triennio & supra. Scriptis mandatũ video Mar. Porcium Latronem duplicis quartanæ tædio sibi manum admouisse atque ita fato functum. Bad. Maserius tamen paulo post in Btitannia extinctus est cum ingenti literarum iactura.

De materiis infamibus, quas Græci ἀδόξους appellant, à Phauorino exercendi gratia disputatis. CAPVT XII.

Hypotheses inglo-riæ infames & sine locis. Febris encomion.

INfames materias, siue quis mauult dicere inopinabiles, quas Græci ἀδόξους καὶ ἀτόπους ὑποθέσεις appellant, & veteres adorti sunt, non sophistæ solũ, sed philosophi quoq;: & noster Phauorinus oppido quàm libens in eas materias dicebat, vel ingenio expergificando ratus idoneas, vel exercendis argutiis, vel edomandis vsu difficultatibus. Sicuti cum Thersitæ laudes quæsiuit, & cum febrim quartis diebus recurrentem laudauit: lepida sane multa, & non facilia inuentu in vtranque causam dixit, eaque scripta in libris reliquit. Sed in febris laudibus testem etiam Platonem produxit: quem scripsisse ait, Qui quartanam passus conualuerit, viresque integras recuperauerit, fidelius constantiusque postea valiturum. Atque inibi in eisdem laudibus non hercle hac sententiola inuenuste lusit. Versus, inquit, est longo hominũ æuo probatus, ἄλλοτε μητρυιὴ πέλει ἡμέρη, ἄλλοτε μήτηρ. Ipsa dies quandoque parens, quandoque nouerca est. Eo versu significatur, non omni die bene esse posse, sed isto bene, atque alio male. Quod cum ita sit, inquit, vt in rebus humanis bene aut male, vice alterna sit: hæc biduo medio interuallata febris, quanto est fortunatior, in qua est μία μητρυιά, δύο μητέρες.

Quin.

ASCEN. Quin particula ex qui & non aut ne composita videtur. Est itaque interdum, quasi quare non. vt quin venis? Interdum quasi quòd vel vt non: sed sic vt illa inepte pro quin ponas: vt non dubiũ quin iratus sit pater. Interdum quo minus: vt in tertio exemplo. In illo autem: quin eius famam prostitueret: videtur accipi pro eo quod est nisi. & in illo: quin triũphus: videtur accipi pro vt: sicut & in illo, quin castra relinquerent.

Quin particula, quot, qualesque varietates significationis habeat, & quàm sæpe in veterum scriptis obscura sit. CAPVT XIII.

QVIN particula, quam grãmatici cõiunctionẽ appellant, variis modis sententiisq; connectere orationẽ videtur. Aliter dici putatur, cũ quasi increpantes, vel interrogãtes, vel exhortãtes dicimus, quin venis? quin legis? quin fugis? Aliter cũ ita cõfirmamus, Non dubiũ est, quin M. Tullius omnium sit eloquentissimus. Aliter autẽ cũ sic cõponimus: quod quasi priori videtur contrariũ. Nõ idcirco causas Isocrates nõ defendit, quin id vtile esse & honestũ existimarit. A quo illa significatio nõ abhorret, quæ est in tertia origine M. Catonis, Haud eos, inquit, eo postremũ scribo, quin populi boni & strenui sint. In secũda quoq; origine M. Cato nõ longe secus hac particula vsus est, Neq; satis, inquit, habuit, quòd eũ in occulto vitiauerat, quin eius famã prostitueret. Præterea animaduertimus Quadrigariũ in VIII Annalium particula ista vsum esse obscurissime. Ipsius verba posuimus, Romam venit, vix superat quin triũphus decernatur. Item in VI annali eiusdẽ verba hæc sunt, Pene factũ est, quin castra relinquerent, atq; cederent hosti. Non me autẽ præterit dicere aliquem posse de summo pectore, nihil esse in his verbis negotii. nam quin vtrobiq; positum pro vt, planissimumq; esse, si ita dicas, Romã venit, vix superat, vt triumphus decernatur. Itẽ alio in loco, Pene factum est, vt castra relinquerẽt, atque cederent hosti. Sed vtantur sane, qui tã expediti sunt, perfugiis cõmutationũ in verbis quæ nõ intelliguntur: vtãtur tamen, vbi id facere potuerũt, verecundius. Hanc vero particulã, de qua diximus, nisi quis didicerit cõpositam, copulatamq; esse, neq; vim tãtum coniũgendi habere, sed certa quadam significatione factam, nunquam profecto rationes ac varietates istius comprehensurus est. Quod quia longioris dissertationis est, poterit cui ocium est, reperire hoc in P. Nigidii cõmentariis, quos Grammaticos inscripsit.

Quin particula.

ASCEN. Plurimi ex his versiculis cõperiuntur in adagijs Erasmicis: nec immerito: sunt enim festiui & lepidi, & adagiorum munere fungentes. Ita amicum habeas &c. ea sentẽtia Ciceroni minus placet. Improbe neptunum. Primus pes amphibrachos videtur. Maserius non pœnitenda huc adnotanda cõgessit dicens. Seneca inter sentẽtias prouerbiales has inserit non sane inutiles: quæ quoniam multum Publianas aut iuuare possint aut illustrare, hoc cap. adsuẽtur. Beneficium qui dare nescit, iniuste petit. Senecæ videtur esse. Beneficium dando accepit, qui digno dedit. Beneficium dignis vbi des, omneis obligas. Cuius dolori remedium est patientia. Reperitur in Seneca Comes facundus &c. Item Feras, non culpes, quod immutari non potest. Tunc ponitur creticus. Lege quod sequitur ex Macrobio. Item furor fit &c. Item, hæredis fletus &c. Inuitat culpam qui peccatum præterit. Ita amicum habeas &c. Ita crede amico, ne sit inimico locus. Male secum agit æger medicum, qui hæredem facit. Magis hæres fidus nescitur quàm scribitur. Minus decipitur, cui negatur celeriter. Nunquam periculum &c. Item, Nimium altercando &c. Itẽ quid est dare beneficium? Est imitari deum. Stultum est timere quod vitari non potest. Celebratur & illud Publianum à Sene. lib. de tranquillitate vitæ: Cuiuis potest accidere, quod cuiquam potest. Apud Macrob. in secundo Satur. legitur: Feras non culpes, quod mutari non potest: & omittitur Malum consilium &c. In nouissimo versu vbi legitur, Si belle neges &c. non est eadem sententia cum Macrobiana: nã ponitur Si cito neges. Laberij Romani equitis sententiæ sunt inter alias. Porro quirites libertatem perdidimus: aut perdimus. Item multos necesse est timeat, quem multi timent. Item, Non possunt primi esse omnes omni in tempore. Summum ad gradum quum claritatis veneris, Consistes ægre: & citius quàm descendas decides. Sed adiunge Consistes versui sequenti, licet alia sit in codice Macrobiano formula. Citantur à Macrobio. xxvij. versus huius Laberij, qui sunt iambici: de quibus quod sequitur sentio. Ex primo versu subtrahe s, sunt enim omnes trimetri. In secũdo & decimo potuerũt penult. corrupit, vt apud Virg. Miscuerunt, steterunt, tulerunt, &c. Decimustertius autem & decimusquartus sic ponuntur. Eques Romanus lare egressus meo, domum reuertar minus: nimirum hoc die. Vbi vnoculus facile errorem dignoscet, si pauxillulum immoretur. Ego sane legere soleo Eques Romanus ex lare (vel ẽ lare) egressus meo: Inde adsuo versui sequenti, Domum reuertar &c. Vbi est satisfacere populo: lego satfacere. Vbi, Nunc me deijcis: quo? lego, Nunc me quo deijcis.

Laberij sententiæ.

Locus Macrobij.

Sententiæ ex Publii Mimis selectæ lepidiores. CAP. XIIII.

PVblius Mimos scriptitauit, dignusque habitus est qui super Laberio iudicaretur. C. autẽ Cæsarẽ, ita Laberii maledicẽtia & arrogãtia offendebat, vt acceptiores & probatiores sibi esse Publii, q̃ Laberii Mimos prædicaret. Huius Publii sententiæ feruntur pleræque lepidæ, & ad cõmunem sermonum vsum commodatissimæ. Ex quibus sunt istæ singulis versibus circunscriptæ, quas libitum hercle est adscribere,

Malum consilium est, quod mutari non potest.

Mimi Publij.

Laberij arrogantia.

Publij sententiæ.

,, Beneficium dando accepit, qui digno dedit.
,, Feras, non culpes, quod vitari non poteſt.
,, Cui plus licet quàm par eſt, plus vult quàm licet.
,, Comes facundus in via pro vehiculo eſt.
,, Frugalitas miſeria rumoris eſt boni.
,, Hæredis fletus ſub perſona riſus eſt.
,, Furor fit læſa ſæpius patientia. Improbe
,, Neptunum accuſat, qui iterum naufragium facit.
,, Ita amicum habeas, poſſe vt fieri hunc inimicum putes.
,, Veterem ferendo iniuriam, inuitas nouam.
,, Nunquam periculum ſine periculo vincitur.
,, Nimium altercando veritas amittitur.
,, Pars beneficii eſt, quod petitur, ſi belle neges.

ASCEN. Helleborum dicitur etiã helleborus. quia tute in Anticyra ſumebatur, dicit in ſermonibus Horatius de inſano, Nauiget Anticyrã, vt videlicet illic ſe helleboro purget: quod nunc tute ſumi negant. Illud autẽ quod nigra radice eſt, melãpodion dicitur, non à Melampode vt vult Beroaldus in annotationibus in Pliniũ: ſed ab radice: quæ quaſi pro pede illi eſt. Maſ. Beroaldus tamẽ idẽ in Propertij ſecundum librum Plinij opinionem neutiquam improbat. Huius autẽ capitis Cælius lib. xij. cap. xlij. meminit.

Quòd Carneades Academicus Helleboro ſtomachũ purgauit, ſcripturus aduerſus Zenonis ſtoici decreta. Deque natura medelaq; Hellebori cãdidi, & nigri. CAP. XV.

Carneades.

CArneades Academicus ſcripturus aduerſum Stoici Zenonis libros, ſuperiora corporis helleboro candido purgauit, ne quid ex corruptis in ſtomacho humoribus ad domicilia vſque animi redundaret, & conſtantiam vigoremque mentis labefaceret. tanta cura, tantoque apparatu vir ingenio præſtanti ad refellenda, quæ ſcripſerat Zeno, aggreſſus. Id cum in hiſtoria græca legiſſem, quod helleboro candido ſcriptum erat, quid eſſet quæſiui. Tum comperi duas ſpecies hellebori eſſe diſcerniculo coloris inſignes, candidi & nigri. Eos autem colores non in ſemine hellebori neque in virgultis, ſed in radice dinoſci. Cãdido ſtomachũ, & ventrem ſuperiorem vomitionibus purgari: nigro aluum, quæ inferior vocatur, dilui. Vtriuſque eſſe hanc vim, vt humores noxios, in quibus cauſæ morborum ſunt, extrahãt. Eſſe autem periculum, ne inter cauſas morborum omni corporum via patefacta, ea quoque ipſa in quibus cauſa viuendi eſt, exinaniantur: amiſſoque omni naturalis alimoniæ fundamento, homo exhauſtus intereat. Sed Helleborum ſumi poſſe tutiſſime in inſula Anticyra, Plinius Secũdus in libris Naturalis Hiſtoriæ ſcripſit. Præterea Liuiũ Druſum, qui Trib. pleb. fuit. cum morbũ, qui comitialis dicitur, pateretur, Anticyram nauigaſſe, & in ea inſula helleborum bibiſſe ait, atque ita morbo liberatum. Præterea ſcriptum legimus, Gallos in venatibus tingere helleboro ſagittas, quòd iis ictæ exanimatæ feræ teneriores ad epulas fiant. Sed propter hellebori contagium vulnera ex ſagittis facta circuncidere latius dicuntur.

Hellebori ſpecies duæ.
Hellebori vis.
Anticyra Helleborum.
Galli ſagittas helleboro tingunt in feras.

ASCEN. Antidotos dicitur & antidoton. i. contra datum. ſ. contra venena remedium. De Mithridate & eius antidoto Pli. lib. xxv. cap. ij. plurima ſcripſit. inter quæ ſunt hæc. Mithridates maximus ſua ætate regum, quem debellauit Pompeius: omnium ante ſe genitorum diligentiſſimus vitæ fuiſſe argumẽtis præterquam fama intelligitur. Vni ei excogitatum quotidie venenum bibere, præſumptis remedijs, vt conſuetudine ipſa innoxium fieret. Primo inuenta genera antidoti, ex quibus vnum etiam nomen eius retinet. Illius inuentum autumant, ſanguinem anatum ponticarum miſcere antidotis, quoniam veneno viuerent. Ad illum Aſclepiadis medendi arte clari volumina compoſita extant, cum ſollicitatus ex vrbe Roma præcepta pro ſe mitteret. Illum ſolum mortalium Mithridatem. xxij. linguis locutum certũ eſt. Nec de ſubiectis gentibus vllum hominem per interpretem appellatum ab eo annis. lvj. quibus regnauit. Is ergo in reliqua ingenij magnitudine, medicinæ peculiariter curioſus ab hominibus ſubiectis (qui fuere pars magna terrarum) ſingula exquirens, ſcrinium commentationum harum & exemplaria effectuſque in arcanis ſuis reliquit. Pompeius autem omni regia præda potitus, transferre ea ſermone noſtro libertũ ſuum Lenæum grammaticæ artis doctiſſimũ iuſſit, vitæque ita profuit non minus quàm reip. victoria illa. Hæc illic. lib. autem xxiij. cap. viij. ſic. In ſanctuarijs Mithridatis maximi regis deuicti Cn. Põpeius inuenit in peculiari cõmentario ipſius manu cõpoſitionem antidoti è duabus nucibus ſiccis, item ficis totidem, & rutæ folijs viginti ſimul tritis, addito ſalis grano. Ei qui hoc ieiunus ſumat, nullũ venenũ nociturum illo die. Vide de his Cæliũ. cap. xxxv. lib. vj. D. Hierony. epiſtola. xl. contra Ruffinũ poſuit Antidotus in maſculino genere. Miſi hos ipſos apologiæ meæ libros ad eos quos tu vulneraueras, vt venena tua noſter ſequeretur antidotus. Nunc aliud Mithridaticum conficiunt aromatarij.

Mithridates.
Mithridaticum antidoton.

Anates Ponticas vim habere venenis digerendis potentẽ. Atq; inibi, de Mithridatis regis in id genus medicamenti solertia. CAPVT XVI.

A Nates Ponticas dicitur edundis vulgo venenis victitare. Scriptum etiã à Lenæo Cn. Pompeii liberto, Mithridatem illum Ponti regem medicinæ rei, & remediorum id genus solertem fuisse: solitumque earum sanguinem miscere medicamentis, quæ digerendis venenis valent: eumque sanguinem vel potentissimum esse in ea confectione. ipsum autem regẽ adsiduo taliũ medelarũ vsu à clãdestinis epularũ insidiis cauisse. Quin & sciẽtẽ quoq; vltro & ostentandi gratia venenũ rapidũ & velox sæpenumero hausisse atque id tamẽ sine noxa fuisse. Quãobrẽ postea cum prælio Po. Ro. victus in vltima regni refugisset, & mori decreuisset, & venena violentissima festinãdæ necis gratia frustra expertus esset, suo se ipse gladio trãsegit. Huius regis ãtidotus celebratissima est, quæ Mithridatios vocatur.

Anates Ponticæ veneno victitantes. Antidotus Mithridatios.

ASCEN. Quæ hoc capite habentur superiori Plinij testimonio cõfirmauimus. Sane si Ennius tria corda habuisse dicitur, quòd trilinguis habitus est: multo iustius id diuo Hieronymo summis tribus linguis prædito dandum est. Huius Mithrid. crudelitatem notat Augus. in de ciui. dei.

Mithridatẽ Põti regẽ duarũ & viginti gẽtiũ linguis locutũ: Q.q; Enniũ tria corda habere sese dixisse, ꝙ treis linguas percalluisset, Græcã, Oscam, Latinã. CAP. XVII.

Q Vintus Ennius tria corda habere sese dicebat, ꝙ loqui græce, & osce, & latine sciret. Mithridates autẽ Ponti atq; Bithyniæ rex inclytus, qui à Cn. Põpeio bello superatus est, duarum & XX gẽtium, quas sub ditione habuit, linguas percalluit: earumque omnium gentium viris haud vnquam per interpretem locutus est. sed vt quemque ab eo appellari vsus fuit, perinde lingua & oratione ipsius, non minus scite, quàm si gentis eius esset, locutus est.

Ennius tri cor. Mithridates linguas xxij. calluit.

ASCEN. Hoc caput cũ neque ad mores, neque ad literas, sed solũ ad vnius hominis infamiã cõducat, potuit sine graui iactura prætermitti. Mas. Cælius cap. lv. lib. xj. ait. Scite admodũ & docte Hippobinũ vsurpãt pro eo qui meretricio amore debacchetur, aut qui inexplebiliter veneria cõsectetur: quẽ latinorũ nõnulli etiã dicũt lastaurũ, sed græce tamẽ, vt ex Athenæo liquet. Nã eo verbo Põp. Lenæus nobilissimo historico velut neuũ inussit. Id verò signare hominẽ libidinis validæ, author est Suetonius in lib. de gram. & rhetorib. Vocabuli ratio hæc est, quia græcorũ lingua λα dictiones intẽdit. Taurus vero est pudẽdorũ pars, sicut adnotatũ à Galeno scimus & Quintiliano. Alibi idẽ Cælius ait, Taurũ vocãt eã portionẽ quæ testiculos interiacet. vnde trahitur ataurotos. i. virgo quasi sine tauro. Et quoniã incidi in Quintil. locũ, explicabo eũ Cælio duce. Locus est in viij. lib. vbi agit de perspicuitate dicẽs, Sicut in ijs quæ homonyma dicũtur, vt taurus animal sit, an mõs, an signũ in cœlo, an nomẽ hominis, an radix arboris. Ex quibus verbis nemo est qui possit Cæliũ intelligere vera dixisse. Nã Taurus dicitur interdũ nomẽ esse proprium hominis, cuius meminit Plutarch. in vita Theseos: meminere & alij qui diuinã poesim reuelantes latẽtem ostẽdũt veritatẽ. Scio quòd taurũ dixerũt taurenẽ hominis pudẽdũque: græci vocãt αἰδοῖον. Sed de radice arboris nemo est quẽ legerim loquentẽ. Diomedes in secũdo ait post Quintilianũ quẽ citauimus, fit & per homonyma, cum dicimus taurũ, & nescias an de armẽto, an obscœnã corporis partẽ, an mõtẽ qui est in Cilicia, an qui est in sideribus, taurũ dicamus. Ex quo liquet Taurũ quatuor significare: & si Quintil. perpẽdis, dictiões appositas recipiẽs, iã inuenies quintuplicẽ significãtiã. Sic & Io. Bapt. Pius cap. lxxxiiij. adnot. posteriorũ quatuor tãtũ adfert ex Diomede: quare putarẽ facile ex nouissima significatione duarũ vel triũ dictionũ glutine iungẽdo factã esse seiũctionẽ, ita vt sit tauren corporis, interdũ taurus. si vero nomẽ hominis admittis (hoc iã est prolatũ) supererit vt radicẽ corporis adsumas pro parte obscœna & pudenda, quæ videtur arboris humanæ. i. corporis quiescẽtis sessitãtisque radix quædã secũdaria. Nã id accepimus, corpus humanum arbori inuersæ cõferri, cuius radix sit in capite, rami in brachijs & pedibus. Hoc perpẽde: nã vix crediderim saluũ esse Quintiliani codicẽ. Hæc Mas. Notũ autẽ est mẽbrũ virile præcipue mẽtulã, eo quòd pudẽdũ, & suis nominibus verecũde nominetur: pluribus improbrijs per metaphorã appellari, cuiusmodi sunt, cauda, penis, virga, ramale, muto, curgulio, taurus: nouissimi ratio videtur quòd taurus sit animal ad coitũ potẽs & sagax. vnde Flaccus: pereat male Lesbia, quæ te Quærẽti taurũ vitulũ monstrauit inertẽ. Salax autẽ dicitur quòd è centũ vaccis dignoscat quæ taurum appetat.

Hippobinus Lastaurus. Taurus. Quintil. loc.

Quòd M. Varro Sallustiũ historiæ scriptorẽ deprehensum ab Annio Milone in adulterio scribit, & loris cæsum, pecuniaq; data dimissum. CAPVT XVIII.

M Arcus Varro in literis atq; vita, fide hõ multa, & grauis, ĩ libro quẽ inscripsit Pius, aut de pace, C. Sallustiũ scriptorẽ seriæ illius & seueræ oratiõis, in cuius historia notiões Cẽsorias fieri atq; exerceri videmus, ĩ adulterio deprehẽsum ab Annio Milone loris bene cæsum dicit: & cũ dedisset pecuniã, dimissum.

Inscripsit Pius. Sallustius loris cæsus.

ASCEN. In hoc titulo si mẽdũ nõ est: dicitur lõge salubria: quod Valla diceret saluberrima. Quod aũt sequitur in textu græcũ proximũ: quia auctor interpretatur, nolui inculcare pluscula verba. sic tamẽ ab alijs vertitur. Sine vlla actiõe ad dicẽdũ parati. Cõsidera nũquid purgatũ vas sit. vnde in epist. Hor. Syncerũ est nisi vas quodcũq; infundis acescit. Patere & abstine, Christiano hoĩe dignissima ꝑcepta.

Quid Epictetus philosophus dicere solitus sit hominibus nequã & impuris, disciplinas philosophiæ studiose tractantibus. Et quæ duo verba obseruanda præceperit, omnium rerum longe salubria. CAPVT XIX.

Epictetus.

PHauorinum ego audiui dicere, Epictetũ philosophũ dixisse, plerosq; istos qui philosophari videntur, philosophos esse huiuscemodi, ἄνευ τοῦ πράττειν, μέχρι τοῦ λέγειν. Id significat, factis procul, verbis tenus. Iam illud est vehementius, quod Arrianus solitum eum dictitare in libris, quos de dissertationibus eius composuit, scriptum reliquit. Nã cum, inquit, animaduerterat hominem pudore amisso, importuna industria, corruptis moribus, audacem, confidentem lingua, cæteraq; omnia, præterquã animũ procurantẽ: istiusmodi, inquit, hominem cum viderat, studia quoque & disciplinas philosophiæ contrectare, & physica adire, & meditari dialectica, multaq; id genus theoremata suspicari sciscitariq;, inclamabat, Deũ atq; hominũ fidem, ac plerũq; inter clamandũ his eũ verbis increpabat, Ἄνθρωπε ποῦ βάλλεις. σκέψαι εἰ κεκάθαρται τὸ ἀγγεῖον. ἂν γὰρ εἰς τὴν οἴησιν αὐτὰ βάλλῃς, ἀπώλετο: ἢν σαπῇ, οὖρος ἢ ὄξος ἐγένοιτο ἂν, ἢ τι τούτων χεῖρον. Nil profecto his verbis grauius, nil verius: quibus declarabat maximus philosophorum literas atque doctrinas philosophiæ, cum in hominẽ falsum atq; degenerẽ, tanquã in vas spurcũ atq; pollutum influxissent, verti, mutari, corrumpi, & quod ipse κυνικώτερον dixit, vrinam fieri, aut si quid est vrina spurcius. Præterea idẽ ille Epictetus, quod ex eodẽ Phauorino audiuimus, solitus dicere est, duo esse vitia multo omnium grauissima ac teterrima, intolerantiam, & incontinentiam: cum aut iniurias, quæ sunt ferendæ, non toleramus neque ferimus: aut à quibus rebus voluptatibusque nos tenere debemus, non tenemus. Itaq;, inquit, siquis hæc duo verba cordi habeat, eaque sibi imperando atque obseruando curet, is erit pleraque impeccabilis, vitamque viuet tranquillissimam. Verba duo hæc dicebat, ἀνέχου καὶ ἀπέχου.

Intolerantiæ & incõtinentiæ mala.

Patere & abstine.

ASCEN. In diatribã .i. in ludum literariũ aut scholã. Petulantia à nominatiuo petulans neutri generis. animalia autẽ petulantia vocat non petulca sed agilia, & ad agendũ viuacia. Sententia totius capitis grauis est, ea quæ bene & male fieri possunt, ex se neque bona, neque mala esse, sed ex facientis animo. Maſ. Symposiũ est cõpotatio: sed pro cõuiuio vsurpatur. Sympotes cõpotor. Vbi in margine adnotatur omni &c. legendũ est in litera omnis. Nã authoris græci verba id sonant. καὶ ὁ ἔρως οὐ πᾶς ἐστι καλός. vbi πᾶς nominatiuus, cuius genitiuus est παντὸς, est omnis: nec repetitur in secundo adiuncto, sed si repetatur sit in eodem casu. Enthymema dicitur ratiocinatio imperfecta, & pars syllogismi. Cicero ait quòd omnis cõceptio mẽtis, sentẽtia & actio dicatur enthymema. Et differt à syllogismo qui cõcludit aperte, enthymema vero minime. Vnde Quintilianus in fine quinti artis & institutionis oratoriæ. Enthymema (inquit) habet rationẽ & propositionẽ, nõ habet cõclusionẽ, ita est imperfectus syllogismus. Subdit inde, Enthymema ab alijs oratoribus syllogismus, & ab alijs pars syllogismi: propterea quòd syllogismus vtique cõclusionẽ & propositionẽ habet, & per omneis partes efficit quod proposuit. Enthymema tãtũ intẽtu cõtẽtũ sit intelligi. Enthymema est, Si spirat nõ est mortuus homo: atqui spirat. Syllogismus fiat si addatur cõclusio. Quidã appellãt Enthymema epichirema: vt viuit homo: spirat enim. habet tãtũ propositionẽ cũ affirmatiõe. Est etiã Enthymema ex pugnãtibus ait Quintilianus, Eius mortis sedetis vltores, cuius vitã si putetis per vos posse restitui, nolitis. Parerga dicũtur quæ præter propositũ pictores alicui additãt picturæ. Vnde ea vocat modo Gellius parerga viæ, quæ inspici possunt extra viã propositã: vt siquis poetã amplectatur, quẽ euoluat causa tãtũ poeseos perspiciendæ, si forte cõtingat ipsum profundius rem scrutari & allegoriã aut quid aliud, quod nõ intendebat, dicetur videre ὁδοῦ πάρεργον. est enim ὁδὸς via.

Enthymema.

Parerga.

Ex Symposio Platonis sumpta verba, numeris coagmentisq; verborũ scite modulateque & apte, exercẽdi gratia, in latinam orationẽ versa. CAP. XX.

Symposiũ Platonis.

SYmposium Platonis apud philosophum Taurum legebatur. Verba illa Pausaniæ inter conuiuas amorem vice sua laudantis. ea verba ita prorsum amauimus, vt meminisse etiam studuerimus. sunt adeo, quæ meminimus, verba hæc, πᾶσα γὰρ πρᾶξις ὧδε ἔχει, αὐτὴ ἐφ' ἑαυτῆς πραττομένη, οὔτε καλὴ, οὔτε αἰσχρά. οἷον νῦν ἡμεῖς ποιοῦμεν, ἢ πίνειν ἢ λαλεῖν ἢ διαλέγεσθαι. οὐκ ἔστι τούτων αὐτὸ καλὸν οὐδὲν, ἀλλ' ἐν τῇ πράξει, ὡς ἂν πραχθῇ τοιοῦτον ἀπέβη. καλῶς μὲν γὰρ πραττόμενον καὶ ὀρθῶς, καλὸν γίγνεται: μὴ ὀρθῶς δὲ, αἰσχρόν. οὕτω καὶ τὸ ἐρᾶν, καὶ ὁ ἔρως, οὐ πᾶς ἐστι καλὸς, οὐδὲ ἄξιος ἐγκωμιάζεσθαι, ἀλλ' ὁ καλῶς προτρέπων ἐρᾶν. Hæc verba vbi lecta sunt, atq; ibi Taurus mihi, Heus, inquit, tu ῥητορίσκε, (sic enim me in principio recens in diatribam acceptũ appellitabat, existimãs eloquentiæ vnius exercẽdæ gratia Athenas venisse) vidẽsne, inquit, ἐνθύμημα crebrum, & coruscum & connexum breuibusque & rotundis numeris, cum quadam æquabili circũactione deuinctum? Habes ne nobis dicere in libris rhetorum vestrorum tam apte tamque modulate compositam orationem? Sed hos, inquit,

tamen numeros censeo videas οὐδὲ πάρεργον. Ad ipsa enim Platonis penetralia, ipsarūq; rerum pondera & dignitates pergendum est, non ad vocularum eius amoenitatem, nec ad verborum venustates diuersitandum. Hæc admonitio Tauri de orationis Platonicæ modulis, non modo non repressit, sed instruxit etiam nos ad elegātiam græcæ orationis verbis latinis adfectandam. Atque vti quædam animalium parua & vilia, ad imitandum sunt, quas res cunq; audierint viderintve, petulantia: proinde nos ea, quæ in Platonis oratione demirabamur, non æmulari quidem, sed lineas vmbrásque facere ausi fuimus: velut ipsum hoc est, quod ex illis iisdem verbis eius effinximus, Omne, inquit, omnino factum sic sese habet: neque turpe est, quantum in eo est, neque honestum: velut, quas nunc facimus ipsi res, bibere, cantare, disserere. Nihil nanque horum ipsum ex sese honestū est: quale, cum fieret mo do factum est, tale extititSi recte honesteque factum est, tum honestum fit: sin parum recte, turpe fit. sic amare, sic amor non honestus omnis, neque omnis laude dignus: sed qui facit, nos vt honeste amemus. Factum omne neq; turpe neque honestū per se.

ASCEN. Chronici libri sunt qui de temporibus tractant, vt Eusebij libri: & fasciculus temporum. Quadam tenus: Mirum vt tenus fœmininū amet. Dicimus enim hactenus, non hoctenus, quatenus, eatenus, & hic quadā tenus. Poematis. quod multi nunc dicerent poematibus. A Rep. desciuit. i. defecit & amotus est. quasi scitu probare nouit: & cum esset alterius factiōis defecit. i. cū ea facere noluit. Apud Caudiū. apud furcas caudinas. Sex & trecenti. Valla diceret trecenti & sex. Fabulas docere. s. populum agēdo eas. Mas. Plutarchus in multis locis cap. hoc explicatius reddere potest, & enodatius: In Numa, Coriolano, Gracchis, Marcello, In Pelopida & Epaminonda. duobus nouissimis non iniuria conferre possimus nobilissimum Heroa illum Fuxēsem. Nam Epaminondas victis hostibus cum letale vulnus accepisset, extracto telo dixit, Satis vixi: inuictus morior. & is non duxit vxorem: vnde reprehensus dixit se natam relinquere patriæ pugnam Leuctricam, quæ erat immortalis futura. Pelopidas vero parta victoria moriēs miris est adfectus honoribus. quorum similia contigerunt Fuxensi. Epaminōdæ dictum

Quibus temporibus post Romam conditam, Græci Romanique illustres viri floruerunt, ante secundum bellum Carthaginensium. CAP. XXI.

VT conspectum quendam ætatum antiquissimarum, item virorum illustrium, qui in his ætatibus nati fuissent, haberemus: ne in sermonibus forte inconspectum aliquid super ætate atque vita clarorum hominum temere diceremus, sicuti sophista ille ἀπαίδευτος qui publice nuper disserens, Carneadem philosophum à rege Alexādro Philippi filio pecunia donatum, & Panætium stoicum cum superiore Africano vixisse dixit: vt ab istiusmodi inquam tēporum ætatūmque erroribus caueremus, excerpebamus ex libris, qui Chronici appellantur, quibus temporibus floruissent Græci simul atque Romani viri, qui vel ingenio vel imperio nobiles, insignesque post conditam Romam fuissent ante secundum bellū Carthaginensium: eásque nūc excerptiones nostras variis diuersisque in locis factas, cursim digessimus. Neque enim id nobis negocium fuit, vt acri atque subtili cura excellentium in vtraque gente hominum συγχρονισμοὺς componeremus: sed vt noctes istæ quadam tenus his quoque historiæ flosculis leuiter iniectis aspergerentur. Satis autem visum est in hoc commentario de temporibus paucorum hominum dicere, ex quorum ætatibus de pluribus quoque, quos non nominaremus, haud difficilis coniectura fieri posset. Incipiemus enim à Solone claro: quoniam de Homero, & Hesiodo, inter omnes fere scriptores constitit, ætatem eos egisse, vel iisdem fere temporibus, vel Homerum aliquanto antiquiorem: vtrunque tamen ante Romam conditam vixisse Syluiis Albæ regnantibus annis post bellum Troianum, vt Cassius in primo Annalium de Homero atque Hesiodo scriptum reliquit, plus C atque LX. Ante Romam autem cond. vt Cornelius Nepos in primo Chronicorum de Homero dixit, annis circiter C & L. Solonem ergo accepimus vnum ex illo nobili numero sapientum leges scripsisse Atheniensium, Tarquinio Prisco Romæ regnante, anno regni eius trigesimotertio. Seruio autem Tullio regnante Pisistratus Athenis tyrannus fuit: Solone ante in exilium voluntarium profecto, quoniā id ei prædicenti non creditum est. Postea Pythagoras Samius in Italiam venit, Tarquinii filio regnum obtinente, cui cognomentum Superbus fuit. Iisdemque temporibus occisus est Athenis ab Harmodio & Aristogitone Hipparchus Pisistrati filius, Hippiæ tyranni frater. Archilochum autem Nepos Cornelius tradit Tullo Hostilio Romæ regnāte, iam tunc fuisse poematis clarum & nobilem. Ducentesimo deinde & LX anno post Romam cond. aut non longe amplius victos esse ab Atheniensibus Persas, memoriæ tra

Chronici libri.

Solonis tēpora, Hesiodi, Homeri, Tar. prisci Ser. Tullij Pisistrati, Pythago. Tar. Sup. Hipparchi Archilo. Tul. Host.

ditum est, pugna illa inclyta Marathonia Militiade duce, qui post eam victoriam damnatus à populo Atheniensi in vinculis publicis mortem obiit. Tũ AEschylus Athenis tragœdiarum poeta celebris fuit: Romæ autem ferme istis temporibus Tribunos, & AEdiles, tum primum per seditionem sibi plebes creauit. Ac non diu post, Cn. Martius Coriolanus exagitatus vexatúsque à Trib. pleb. ad Volscos, qui tum hostes erant, à Rep. desciuit, bellúmque Pop. Rom. fecit. Post deinde paucis annis Xerxes rex ab Atheniensibus & pleraque Græcia Themistocle duce nauali prælio, quod ad Salamina factum est, victus, fugatúsque est. Atq; inde anno fere quarto, Menenio Agrippa, Marco Horatio Puluillo COSS. bello Veiẽte apud fluuium Cremeram, ab iis sex & trecenti patricii Fabii cum familiis suis, vniuersi ab hostibus circunuenti perierunt. Iuxta ea tempora Empedocles Agrigentinus in philosophiæ naturalis studio floruit. Romæ autem per eas tempestates x viros legibus scribundis creatos constitit. tabulásque ab iis primo decem conscriptas, mox alias duas additas. Bellum deinde, terra Græcia maximum Peloponnesiacum, quod Thucydides memoriæ mandauit, cœptũ est, circa annũ fere post cond. Ro. CCCXXIII. Qua tempestate A. Posthumius Torquatus Dictator Romæ fuit: qui filium suum, quòd contra suum dictum in hostem pugnauerat, securi necauit. Hostes tum Pop. Rom. fuerant Fidenates. Itaque inter hæc tempora nobiles, celebresque erant, Sophocles, ac deinde Euripides tragici poetæ, & Hippocrates medicus, & Democritus philosophus: quibus Socrates Athenien. natu quidem posterior fuit, sed quibusdam temporibus iisdem vixerunt. Iam deinde Trib. militaribus Consulari imperio Rempub. Romæ regentibus, ad annum fere conditæ Vrbis CCCXLVII triginta illi Tyranni præpositi sunt à Lacedæmoniis Atheniensibus: & in Sicilia Dionysius superior tyrannidem tenuit. Paucisq; annis post Socrates Athenis capitis damnatus est, & in carcere veneno necatus. Ea fere tempestate Romæ M. Furius Camillus Dictator fuit, & Veios cepit. Ac post non longo tempore bellum Senonicum fuit. Tum Galli Romam præter Capitolium ceperunt. Neque multo postea, Eudoxus astrologus in terra Græcia nobilitatus est, Lacedæmoniique ab Atheniensibus apud Corinthum superati duce Phormione. Et M. Manlius Romæ, qui Gallos in obsidione Capitolii obrepentes per ardua depulerat, conuictus est consiliũ de regno occupando inisse: damnatúsq; capitis è saxo Tarpeio, vt M. Varro ait, præceps datus est: vt Cor. autem Nepos scriptum reliquit, verberando necatus est. Eoque ipso anno, qui erat post recuperatam Vrbem septimus, Aristotelem philosophum natum esse, memoriæ mandatum est. Aliquot deinde annis post bellum Senonicum Thebani Lacedæmonios duce Epaminonda apud Leuctra superauerunt. Ac breui post tempore in Vrbe Roma lege Licinii Stolonis COSS. creari, etiam ex plebe cœpti, cum antea ius nõ esset, nisi ex patriciis gentibus fieri COSS. Circa annum deinde Vrbis cond. quadringentesimum, Philippus Amyntæ filius Alexandri pater, regnum Macedoniæ adeptus est. Inq; eo tempore Alexander natus est. Paucisque inde annis post Plato philosophus ad Dionysium Siciliæ tyrãnum posteriorem profectus est. Post deinde aliquanto tempore, Philippus apud Chæroneam prælio magno Athenienses vicit. Tum Demosthenes orator ex eo prælio salutem fuga quæsiuit. cumq; id ei, quòd fugerat, probrose obiiceretur, versu illo notissimo illusit,

ἀνὴρ ὁ φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται.

Postea Philippus ex insidiis occiditur: & Alexander regnum adeptus, ad subigendos Persas in Asiam, atque in orientem transgressus est. Alter autem Alexander, cui cognomentum Molosso fuit, in Italiam venit bellum Pop. Rom. facturus. Iam enim fama virtúsque felicitatis Romanæ apud exteras gentes enitescere inceptabat. Sed prius quàm bellum faceret, vita decessit. Eum Molossum cum in Italiam transiret, dixisse accepimus, Se quidem ad Romanos ire, quasi in ἀνδρωνίτιν: Macedonem isse ad Persas, quasi γυναικωνίτιν. Postea Macedo Alexander pleraque parte orientali subacta, cum annos regnauisset XI obiit mortis diem. Neque ita longe post Aristoteles philosophus, & post aliquãto Demosthenes, vita functi sunt. Hisdemque ferme tempestatibus Pop. Rom. graui ac diutino Samnitum bello conflictatus est. COSS. q; T. Veturius, & Sp. Posthumius, in locis iniquis apud Caudium à Samnitibus circunuallati, ac sub iugum missi, turpi fœdere facto discesserunt. ob eámque causam Pop. iussu Samnitibus per feciales dediti, recepti nõ sunt. Post annum deinde Vrbis cõd. CCCC fere & LXX bellum cum rege Pyrrho sumptum est. Ea tempestate Epicurus Atheniensis, & Zeno Cittiensis philosophi celebres

Marathoniæ pugnæ, Miltiadis, AEschyli, Trib. pl. Coriolani, Xerxis, Themisto. Salaminiæ pugnæ, Veientis, Fab. cædis Empedoclis, Decemuirorum. Le. xij. tab. Pelop. bel. Torquati. Sophoclis. Euripidis. Hippocra. Democri. Socratis. Trib. mil. xxx. tyrã. Fu. Camil. Seno. bel. Capitolij capti, Eudoxi, Phormionis, Mãlij supplicij. Aristotelis, Epaminõ. Coss. è pl. Philippi, Platonis, Dionys. tyranni. Demosth. & eius fuga. Alexãdri Magni. Alexandri Molossi, & eius dicta. Samnitici belli. Pyrrhi, Epicuri, Zenonis,

erant.Eodémque tempore C.Fabritius Lucinus,& Q.AEmilius Papus CENSS.Romæ fuerunt,& P.Cornelium Rufinum,qui II COS.& DICT.fuerat,Senatu mouerũt.cauſamq; iſti notæ ſubſcripſere,quòd cum comperiſſent argenti facti cœnæ gratia decẽ pondo habere.Anno deinde poſt Romam cond.cccc ferme & xc COSS.Appio Claudio, cui cognomentum Caudex fuit,Appii illius Cæci fratre,& Marco Fuluio Flacco,bellum aduerſum Pœnos primum cœptum eſt.Neque diu poſt Callimachus poeta Cyrenenſis Alexandriæ apud Ptolemæum regẽ celebratus eſt.Annis deinde poſtea paulo pluribus, q̃ xx cum Pœnis pace facta,COSS.Claudio Centone Appii Cæci filio,& M.Sempronio Tuditano,primus omnium L.Liuius poeta fabulas docere Romæ cœpit, poſt Sophoclis & Euripidis mortẽ annis plus fere c & lx:poſt Menãdri,annis circiciter quinquaginta duobus.Claudium,& Tuditanum COSS.ſequuntur Q.Valerius, & C.Manilius:quibus natum eſſe Q.Ennium poetam M.Varro in primo de poetis libro ſcripſit: eũq; cum ſeptimum & ſexageſimum annum ageret,duodecimum annalem ſcripſiſſe,idq; ipſum Enniũ in eodẽ lib.dicere.Anno deinde poſt Romam cond.D vndeuigeſimo,Spurius Caruilius Ruga primus Romæ de amicorum ſententia diuortium cum vxore fecit, ꝙ ſterilis eſſet,iuraſſetq; apud CENS.vxorem ſe liberorum quærendorum cauſa habere. Eodemque anno C.Næuius poeta fabulas apud populum dedit,quem M.Varro in libro de poetis primo ſtipendia feciſſe ait,bello Punico primo. idque ipſum Næuium dicere in eo carmine,quod de eodem bello ſcripſit. Porcium autem Licinium Seruius poeticã Romæ cœpiſſe dicit in his verſibus,

Punico bello ſecundo muſa pennato gradu
Intulit ſe bellicoſam in Romuli gentem feram.

Ac deinde annis fere poſt xv bellum aduerſum Pœnos ſumptum eſt.Atq; non nimium longe,M.Cato orator in ciuitate,& Plautus poeta in ſcena floruerunt. Hiſdéque temporibus Diogenes Stoicus,& Carneades Academicus, & Critolaus Peripateticus,ab Athenienſibus ad Senatũ Pop.q; Ro.negocii publici gratia legati ſunt. Neq; magno interuallo poſtea,Q.Ennius,& iuxta Cæcilius,& Terẽtius,ac ſubinde Pacuuius;& Pacuuio iam ſene Accius,clariórq; tũc in poematis eorũ obtrectãdis,Lucilius fuit.Sed progreſſi lõgius ſumus,cũ finem propoſuerimus adnotatiunculis iſtis,bellũ Pœnorũ ſecundum.

Fabritij Cenſoris Rufini, Caudicis Punici belli primi. Callima. Liuij And. Menandri Valerij, Ennij, Caruilij, Diuortij primi. Næuij, Porcij Lic. Pu.bel.ij. Catonis, Plauti, Dioge. Carnea. Critolai, Ennij, Cæcilij. Terentij, Pacuuij, Accij, Lucilij.

ASCEN. Hanc rem pro Peripateticis definit Boetius dicẽs,Beatitudinem eſſe ſtatum omnium bonorũ aggregatione perfectũ.Neq; enim cui quicq̃ quod ad beatitatẽ faciat deſit,beatũ eſſe poſſe.Id quidẽ verũ:ſed ex eo cõcluditur nullã hic eſſe beatitudinẽ.quæ tamẽ ad beatitudinẽ verã cõducant eſſe virtutes, ſed(quas Stoici ignorauerũt)maxime theologicas,quibus habitis ſi cætera deſint quæ peripatetici magni æſtimant,nihil ad futuram beatitatem deſideretur : immo quanto minus mundanæ felicitatis fuerit,tanto maiorem eſſe ad ſupramundanum cumulum.Quod in fine quidã habent minuta magis:lego munita magis.Maſ.Ouidij ſententia eſt quòd nemo dici debeat beatus ante ſupremum funus.De hoc beatus Auguſtinus in lib.ix.cap.xiiij.de ciui.dei & alijs in locis egregie diſputauit.Eam quoque ſententiam Crœſo dictam,& ab Lucano repetitam aliubi docet Badius,& alij præterea multi.

Beatituuo

AVLI GELLII NOCTIVM ATTICARVM COMMENTARIORVM, LIB. XVIII.

Diſputationes à Philoſopho Stoico,& contra à Peripatetico, arbitro Phauorino,factæ:quæſitúmque inter eos quantum in perficienda vita beata virtus valeret, quantumque eſſet in iis,quæ dicuntur externa. CAPVT I.

FAMILIARES Phauorini duo erant quidam non incelebres in vrbe Roma philoſophi: eorum fuit vnus Peripateticæ diſciplinæ ſectator,alter Stoicæ. His quondam ego acriter atque contẽte,pro ſuis vtrinque decretis,propugnantibus,cum eſſemus vna Hoſtiæ omnes cum Phauorino,interfui. Ambulabamus autem in litore,cum iam aduesperaſceret æſtate anni noui. Atq; ibi ſtoicus cenſebat, & vitam beatam hominum virtute animi ſola,& miſeriam ſummam malitia ſola poſſe effici,etiam ſi cætera bona omnia quæ corporalia & externa appellarentur,virtuti deeſſent,malitiæ adeſſent.Ille cõtra peripateticus, miſeram quidem vitam vitiis animi & malitia ſola fieri cõcedebat. ſed ad complendos omnes vitæ beatæ numeros, virtutem ſolam nequaquam ſatis eſſe exiſtimabat: quoniam & corporis integritas ,ſanitasq;, & honeſtus modus formæ,& pecunia familiaris,& bona æſtimatio,cæteraq; omnia corporis & fortunæ bona neceſſaria viderentur perficiendæ beatæ vitæ. Reclamabat hoc in

Vitia beata an in ſola virtute.

loco stoicus,& tanq̃ ille duas res diuersas poneret,mirabatur:ꝙ cum essent malitia & virtus duo contraria,vita misera & beata quoq; æque contraria,non seruaret in vtrisque vim & naturam contrarii:& ad miseriam quidem vitæ conficiendam,satis valere malitiã solã putaret,ad præstandam vero vitam beatam non satis solam esse virtutem diceret. Atque id maxime dissidere,neque conuenire dicebat,ꝙ qui profiteretur vitam nullo pacto beatam effici posse,si virtus sola abesset,idẽ contra negaret beatam fieri vitam, cum sola virtus adesset:& quem daret haberetque absenti virtuti honorem,eũdem patenti atq; præsenti adimeret. Tũ peripateticus perq̃ hercle festiue,Rogo te,inquit,cũ bona venia respõdeas,an existimes esse vini amphorã cũ abest ab ea vnus cõgius? Hæc vbi accepit stoicus, Minime,inquit,vini amphora dici potest ex qua abest congius.Hoc vbi accepit peripateticus,Vnus igitur congius amphoram facere dici debebit,quoniam cum deest ille vnus, non fit vini amphora,& cum accessit,fit amphora.Quòd si id dicere absurdũ est vno congio solo fieri amphoram:itidem absurdũ est vna sola virtute vitam fieri beatã dicere:quoniam cũ virtus abest,beata esse vita nunq̃ potest.Tũ Phauorinus respiciens peripateticũ, Est quidem,inquit,argutiola hæc,qua de cõgio vini vsus es,exposita in libris. sed(vt scis) captio magis lepida,q̃ probum aut simile argumentum videri debet. Cõgius enim cum deest,efficit quidem,ne sit iustæ mensuræ amphora:sed cum accedit,& additur,non ille vnus facit amphoram,sed supplet. Virtus autem(vt isti dicunt) non accessio, neque supplementum,sed sola ipsa vitæ beatæ instar est,& propterea vitam beatã sola vna cũ adest, facit. Hæc atque alia quædam minuta magis & nodosa,tanq̃ apud arbitrum Phauorinũ, in suam vterq; sententiam conferebant. Sed cum iam prima fax noctis,& densiores esse tenebræ cœpissent,prosecuti Phauorinum in domum,in quam diuertebat,discessimus.

Captiosũ argumẽtũ.

ASCEN. Saturnalia,festa adipalia Saturno mense Decẽbri consecrata,quòd ille deus habitus aureo regnauit seculo,quo nulla erat seruitus,auaritia nulla,adulteriũ nullum,egestas nulla,quia omnis tulit omnia tellus:& ideo seruis eo mense permissum cum dominis epulari,& familiariter loqui. vnde illud Horatianum secundo sermonum,Age libertate Decembri. Quo mẽse(vt in Georgicis canit Maro)Inuitat genialis hyems.De his autem in Saturnalibus Macrobij diffusius.Hilare.à nominatiuo hilarus,quod nos hilariter à nominatiuo hilaris dicimus.Deo.Saturno.In prima quæstione quia dicit vnius verbi multifariam implicationem,adducor vt credam aduerbium frustra nõ multifariam accipi sed verbũ frustror: quod aut deponens est actiue significans aut passiuum verbi frustro : quod idem significat quod frustror deponentaliter.Si tamen etiam frustra varie capitur:pro vno accipiuntur cum sint coniugata.Et est frustrare vel frustrari efficere vt frustra.i.incassum quis conatus videatur : quod & gallicana lingua indicat. Actiua voce vtitur Cæsar,nõ frustrabo vos milites.Deponẽtali Plautus in Amphitr.Nescio quis præstigiator hãc frustratur mulierẽ.In quod Baptista Pius sensum horũ versuũ innuit:vt frustratorẽ & deceptorem denotet,frustrari & decipi si nõ arte decipiat.quod sic exprimit Ouidius,Si latet ars,prodest:affert deprẽsa pudorem.Atque adimit merito tempus in omne fidem.Ordo igitur & sensus est . Nam is qui postulat, alterũ.s.quẽuis quẽ frustratur.i.à spe & conatu deijcit:hoc est quẽ decipit: frustrari.i.decipi,lepide.i.vrbane eo non percipiente sed arridente.Tunc enim lepide & vrbane quis decipitur quando deceptus nõ accipit graue damnum,nec percipit se deceptum,immo opinatur decipere illum à quo decipitur.Dicit frustra.i.incassum nequicquam eũ esse frustra.i.frustratũ & deceptũ. Nam è contrario qui sentit sese frustrari.i.decipere quem.i.aliquem:frustra.i.incassum:is qui frustratur sup.eũ,est frustra.i.inutiliter & in vanum conatus:si ille nõ est frustra.i.à spe & instituto suo frustratus.In passiua significatiõe frustror legitur apud Fenestellã:Frustratus igitur à spe deuictus in castra se recepit. Secunda quæstio dat intelligere,nõ vulgariter esse dictũ à Platone:mulieres debere esse communes, quocirca fit vnicuique excogitandæ rationis & formæ potestas.vna est vt cũ cõmunes sint non diuulgato corpore:sed liberis in cõmunẽ vtilitatem genitis & educatis:aut viris qui bellãdo Reip.inseruierint,solatiũ.Quod Mosel.altius interpretatur de brutali hominis parte quæ omnibus debet æqualiter subdita esse:sicut rationi sensualitas, id tamen Platonem sensisse est creditu difficile. Suauiationes autẽ intelligo ab liberis expetẽdas:quæ redeũtibus è bello suauissimæ sunt quòd salui saluos inueniũt. Tertiæ quæstionis nodus dissolutus est supra vbi dictũ est ad interrogationẽ vt plures vel multiiugã,respõdendũ sub distinctione.Potest etiã dici argumẽtũ peccare:quia ex indefinitis & particularibus nihil sequitur.At si maiorẽ vniuersalẽ feceris, Omne quod non perdidisti habes:iam falsa est,nisi dicatur sic,Omne quod habuisti & nõ perdidisti.De secundo etiã aliubi dictum. De quarto sophismate dici solet quòd seipsum perimit.Sũt autẽ enũciationes,quæ quia in se veræ esse nõ possunt,de præterito aut futuro vt veræ sint intelligũtur.vt ego mẽtior.i.mẽtitus sum.Ego bibo dilutius.i.bibi aut bibere solitus sum:ego taceo.i.tacebo &c. Quinta quæstio,quia is ritus Christianis incognitus, nõ facilis mihi quidẽ est solutu:diuinare autẽ lubet quòd in megalesijs seu megalẽsibus quæ magnæ matri deũ instituta erant,res patriciorũ agebatur,Cerealibus plebeiorũ:& ideo quia tũc rerũ suarũ vtrique satagebãt mutitabãt.i.mutua cõuiuia celebrabãt,vt exponit Mosellanus : aut præ horrore religioso,mutos agebant. vnde vbi nunc canitur hymnus:olim canebatur de vero deo, Te decet silentium deus &c. Vero vt Gellius statim dicet apud Ennium legitur.Et vt Calepinus testatur, pro eo quod est vera repræsentare apud

Quæst.I.

Frustro. Frustror.

Quæst.II.

Quæstio III.

Quæstio IIII.

Quæst.V.

Quæs.VI.

Vero.

Sidoniũ. Quoties verba Graia carmina verant. Sextæ quæſtionis prior verſus, quàm toto ſit dimidium plus, pulchre & abunde à Beroaldo explicatur: & facile eſt intelligere mediocritatem in eo laudari, vituperarique qui omnia ad extremũ vſque exigat. Aſphodeli autem herbæ virtutem Plin. explicat lib. xx. ca. vii. dicens, Aſphodelus folium oblõgum & anguſtum habet, & mãditur & ſemine toſto & bulbo. Sed hoc in cinere toſto, dein ſale & oleo addito: præterea tuſo cum ficis præcipua voluptate, vt videtur Heſiodo. Traditur & ante portas villarum ſatum remedio eſſe contra veneficorum noxã. Aſphodeli mentionẽ & Homerus fecit. Radix eius napis modicis ſimilis eſt, neque alia numeroſior, octoginta ſimul aceruatis ſæpe bulbis. Theophraſtus & fere Græci, princepsque Pythagoras caulẽ eius cubitalẽ & ſæpe duum cubitorum folijs porri ſylueſtris anthericon vocauere: Radicẽ vero. i. bulbos aſphodelon. noſtri illud albuciũ vocant, & aſphodelum haſtulã regiã. hæc Plin. illic. Vide & Dioſcoridem. Septimæ quæſtionionis facillima eſt ſolutio, Prima enim in ſingulari numero perſona eſt præterito & futuro ſubiunctiui modi diſcreta. Nam præterito exit in rim, futuro in ro: reliquæ vtriuſque numeri communes in voce, differentes in ſignificatione, & nonnihil (vt quidã opinati ſunt) in quantitate. ſed de hoc in grammatica. Quintilianus tamẽ in declinationibus & alibi ſæpe cõfundit etiã in prima perſona in qua ſecũdũ grammaticã in rim ſunt tantũ præteriti temporis non præſentis vt in Moſellano male legitur. Addidit nuper Maſ. Fruſtra eſſe eſt decipi apud Plautũ in Amphitry. Iam hi ambo & ſeruus & hera fruſtra ſunt duo. i. fallũtur. Et in Capt. Nec nihil hodie: nec multo plus tu hic edes, ne fruſtra ſis. i. fallaris & fruſtra ſperes. Ergo dicere potes. Nã qui vult alterũ fruſtrari, aut fruſtrari lepide alterũ. (Poni enim poteſt actiue & paſſiue) quem fruſtratur (actiue) lepide autem dico iocoſe, & vt dicũt gratioſe, non dolo malo, nõ nocendi, ſed hilaritatis cauſa, nõ damnoſe. Ergo qui ſic vult fruſtrari aliquẽ, quẽ fruſtratur (adde ſi velis) lepide: dicit fruſtra & incaſſum, eum eſſe fruſtra. i. deceptum. Si enim te velim lepide decipere, & ita falleris: ſi dico te fruſtratum, fruſtror ego: qui enim fruſtratur lepide nõ fruſtratur, & qui oppoſitum ſentit, decipitur. Sequitur inde. Nam qui ſentit ſeſe fruſtrari quem. i. aliquẽ fruſtra (actiue ponitur) qui etiã fruſtratur (paſſiue: adde ſi vis) fruſtra. i. qui fruſtra fruſtratur: nam rem repetet & redhibebit ſuam: is prior ſcilicet qui ſentiebat ſe quem fruſtra fruſtrari (actiue) eſt fruſtra & falſus, ſi non ille eſt fruſtra. i. deceptus. Aut ſeruata inter duo pronomina differentia, is poſterior eſt fruſtra, ſi ille non eſt fruſtra. Et is ſenſus eſt ſatis apertus. At ſi nõ pateris lepide & fruſtra repeti, ſenſus erit, qui lepide vult aut poſtulat alterũ fruſtrari, quem reuera fruſtratur, dicit fruſtra (alioqui infidus improbúsque) alium eſſe fruſtra. i. deceptũ. Non enim fruſtra eſt qui lepide fruſtratur: mẽtitúrque dicens ſe fefelliſſe illum, quem fallere nolebat niſi lepide. Senſus eſt ſequẽs ſimilis. Nam qui ſentit fruſtra ſe fruſtrari quẽpiã, qui fruſtratur &c. vt ſupra: is fruſtra eſt & fallitur, & vt dicũt, nihil lucratur, quia ſublatũ reſtituturus integrum, ſi ille non eſt deceptus ad decipientis vtilitatem. Et quoniam Pius ait alluſionem eſſe factam ad Ouidij ſententiam: cum venitur ad locum illũ, qui ſentit ſe fruſtra fruſtrari quẽpiam, qui tamen non fallit, ſed fallitur & fruſtratur, quia nõ fallit arte, ſed percipitur ab eo qui dolo impetitur lepide: is eſt fruſtra. i. falſus, qui volebat fallere. ſi ille &c. De megaleſijs ludis loquentes adi in adnot. Philip. Beroald. & Corneliũ Vitelliũ, qui de iis copioſe diſſerunt. Seneca inter prouerbia ait, Arcum intentio frangit, animũ remiſſio. Cælius cap. viij. lib. iiii. hos citat Heſiodi verſus: legit tamen νήπιος pro νήπιοι. In quem locum citans Proclum ait viliſſima eſſe quibus ali poſſumus, cuiuſmodi ſunt maluæ & Aſphodeli: ex iis enim ſuccus exprimebatur parabaturq; in vſum, ex quo vtilitas profluit maior q̃ ex ſũptuoſioribus per iniuſtitiam cõquiſitis, aut certe (inquit Proclus) Heſiodus ex obuio victũ ſignificauit. Epimenidem tertio legum Plato ſcribit modico & interim viliſſimo cibo fuiſſe contentum. Conſtabat is ex Aſphodelo & Malua, quæ illũ ſeruabãt alimon & adipſon, hoc eſt ab fame procul & ſiti. Hactenus Heſiodicus interpres. Quod ſiquis amplius noſſe cupit cuiuſmodi ſit Aſphodelos, legat viceſimum ſecundum librum naturalis hiſtoriæ Plinii. Addit Cælius Græcos putare aſphodelon eſſe ſacram Proſerpinæ & omnino inferis. Et Rhodii Proſerpinã & Dianam ideo Aſphodelo coronant. Vtuntur & latini dictione Malache. Iunius, Et Malache prono ſequitur quæ vertice ſolẽ. Putauit olim Pius eſſe heliotropiũ helioſcopiũ quòd ad ſolẽ verteretur. Inde maluã exponit ca. clxviii. adno. Poſteriorũ. Malache ſane ſeu μαλάχη eſt malua, quia mollit: eſt enim μαλαχὸς mollis. Malachiſſandus apud Plautũ pro molliẽdus. Vnde in malacho ſanum apud Quintil. in quo exponendo cruciatur Hermolaus: at Cælius exoluit.

Marginal notes: Aſphodelus. — Quæſtio VII. — Fruſtra. — Malache.

Cuiuſmodi quæſtionũ certaminibus Saturnalia ludicra Athenis agitare ſoliti ſumus. atq; inibi inſperſa quædam ſophiſmata & ænigmata oblectatoria. CAP. II.

SAturnalia Athenis agitabamus hilare proſum ac modeſte, non, vt dicitur, remittentes animum: Nam remittere, inquit Muſonius, animũ, quaſi amittere eſt: ſed demulcentes eum paulum atque laxantes iucundis honeſtiſque ſermonum illectationibus. Conueniebamus autem ad eandem cœnam compluſculi, qui Romani in Græciam veneramus, quiq; eaſdẽ auditiones, eoſdemq; doctores colebamus. Tum qui cœnulam ordine ſuo curabat, præmiũ ſoluendæ quæſtionis ponebat, librum veteris ſcriptoris vel græcum vel latinum, & coronam ẽ lauro plexam. totidemque res quærebat, quot homines iſtic eramus. cúmq; eas omneis expoſuerat, rem locũq; dicendi ſors dabat. Quæſtione igitur ſoluta, corona & præmio donabatur: non ſoluta autem tranſmittebatur ad eum qui ſortito ſucceſſerat: idq; in

Marginal notes: Saturnalia — Remittere animum.

orbem vice pari seruabāt. Si nemo dissoluebat quæstionis eius nodum, præmium ipsum & corona deo cuius id festum erat, dicabatur. Quærebantur autem res huiuscemodi: aut sententia poetæ veteris lepide obscura, non anxie: aut historiæ antiquioris requisitio: aut decreti cuiuspiam ex philosophia perperam inuulgati purgatio: aut captionis sophisticæ solutio: aut inopinati rariorisque verbi indagatio: aut tempus itē in verbo perspicuo obscurissimum. Itaque nuper quæsita esse memini numero septem, quorū prima fuit enarratio horum versuum, qui sunt in Satyris Q. Ennii, vno multifariam verbo concinniter implicati: quorum exemplum hoc est,

Frustrari.

Nam qui lepide postulat alterum frustrari,
Quem frustratur, frustra eum dicit, frustra esse. (*)
Nam qui sese frustrari quem frustra sentit,
Qui frustratur, is frustra est; si non ille est frustra.

Vxores cō munes. Captiones

Secunda quæstio fuit, quonam modo audiri atque accipi deberet, quòd Plato in ciuitate quam in libris suis τῆς πολιτείας fingebat, κοινὰς τὰς γυναῖκας esse censuit: & præmia viris foribus summisque bellatoribus posuit suauiationes puerorum & puellarum. Tertio in loco hoc quæsitum est, In quibus verbis captionum istarum fraus esset, & quo pacto distingui resoluique possent. Quod non perdidisti habes, cornua non perdidisti, habes igitur cornua. Item altera captio, Quod ego sum, id tu non es, homo ego sum, homo igitur tu non es. Quæsitum id quoque ibi est, quæ esset huius quoque sophismatis resolutio, Cum mentior, & mentiri me dico, mentior, an verum dico? Postea quæstio ista hæc fuit. Quam ob causam patricii Megalensibus mutitare soliti sint: plebs Cerealibus? Secūdum ea quæsitum hoc est, Verbum verant, quod significat vera dicunt, quisnam veterum poetarum dixerit? Sexta quæstio fuit, Asphodelum cuiusmodi herba sit, quod Hesiodus in isto versu posuerit,

Vero verbū. Asphodelum. Dimidiū plus toto.

νήπιοι οὐδ᾽ ἴσασιν ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντὸς
οὐδ᾽ ὅσον ἐν μαλάχῃ τε, καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ᾽ ὄνειαρ.

Et quid item Hesiod. se dicere sentiat, cum dimidium plus esse toto dicit. Postrema quæstionum omniū hæc fuit, Scripserim, venerim, legerim, cuius temporis verba sint, præteriti an futuri, an vtriusque. Hæc vbi ordine quo dixi proposita, atque singulis sorte ductis disputata explanataque sunt, libris coronisque omnes donati sumus: nisi ob vnam quæstionem, quæ fuit de verbo verant. nemo enim tum commeminerat dictum esse à Q. Ennio id verbum in XIII Annalium in isto versu,

Scripseris putem legendum Vero.

Satin' vates verant ætate in agunda.

Corona igitur huius quæstionis deo feriarum istarum Saturno data est.

ASCEN. De summa Rep. sua. legi etiā posset de summa Reip. suæ. quæ lectio mihi verior visa. Nimium quanto: inusitata dicendi forma, vt sit nimium quidem, sed quanto opus erat. Contagione: quia dicitur contages, contagio, & contagium.

Quid AEschines rhetor in oratione, qua Timarchum de impudicitia accusauit, Lacedæmonios statuisse dixerit super sententia probatissima, quam improbatissimus homo dixisset. CAPVT III.

AESchines vel acerrimus prudentissimusque oratorum, qui apud contiones Atheniensium floruerunt, in oratione illa sæua criminosaque & virulenta, qua Timarchum de impudicitia grauiter insigniterque accusauit, nobile & illustre consilium Lacedæmoniis dedisse dicit, virum indidem ciuitatis eiusdem principem virtute atque ætate magna præditum. Populus, inquit, Lacedæmonius de summa Reipub. suæ, quidnam esset vtile & honestum deliberabat. Tum exurgit sententiæ dicendæ gratia homo quispiam turpitudine pristinæ vitæ defamatissimus, sed lingua tunc atque facundia nimium quanto præstabilis. consilium quod dabat, quódque oportere fieri suadebat, acceptum ab vniuersis & complacitum est: futurúmque erat ex eius sententia populi decretum. Ibi vnus ex illo principū ordine, quos Lacedæmonii ætatis dignitatisque maiestate tanquam arbitros & magistros disciplinæ publicæ verebantur, commoto iratóque animo exilit: Et quænam, inquit, Lacedæmonii ratio, aut quæ tandem spes erit vrbem hanc & hanc Remp. saluā inexpugnabilemque esse diutius posse, si huiuscemodi anteactæ vitæ hominibus consiliariis vtemur? Quòd si proba istæc & honesta sententia est, quæso vos non sinamus eandem dehonestari turpissimi authoris contagione. Atque vbi hoc dixit, elegit virum for-

Nimium quanto.

Cōsiliarij mali etiā si rectè cōsulant reijciendi.

..itudine atq; iustitia præter alios præstantem,sed inopi lingua & infacundum: iussitque eum consensu petituque omnium eandem illam sententiam diserti viri cuiusmodi posset verbis dicere: vt nulla prioris mentione habita,scitum atque decretum populi ex eius vnius nomine fieret,qui ipsum denuo dixerat. Atque ita, vt suaserat prudentissimus senex,factum est.Sic bona sententia mansit,turpis author mutatus est.

ASCEN. In sandaliario. Vicus videtur vbi sandalia aut venditabãtur,aut fiebãt. Græci aũt σανδάλιον vocant calciamentũ seu soleam.vnde Sandaliarius Apollo:& vicus Romæ, vt attestatur Calepinus. Per inquit magister optime,exoptatus.congruentius construetur per cum exoptatus quàm cum optime: tãetsi duæ sunt incremẽti notæ.Negociũ sibi esse causatur.i.excusat.i.in causam cur abire deberet, affert. Per indicẽ inuenies quid de vano dixerit adducens AEneid.ij. Nec si miserum fortuna Sinonem Finxit, vanum etiam mendacémque improba finget.vbi,vt moris est Virgiliani,prius per posterius exponitur.

Quòd Sulpitius Apollinaris prædicãtem quendam à sese vno Sallustii historias intelligi,illusit quæstione proposita,quid verba ista apud Sallustium significarent, Perincertum stolidior,an vanior. CAPVT IIII.

CVM iam adolescẽtuli Romæ prætextam & puerilem togam mutassemus, magistrósque tunc nobismetipsis exploratiores quæreremus: in Sãdaliario forte apud librarios fuimus,cum ibi in multorũ hominũ cœtu Apollinaris Sulpitius, vir in memoria nostra præter alios doctus, iactatorem quempiam & venditatorem Sallustianæ lectionis irrisit, illusitque genere illo facetissimæ dissimulationis,qua Socrates ad sophistas vtebatur. Nam cum ille se vnũ & vnicum lectorem esse enarratoremque Sallustii diceret, neque primam tantum cutem ac sententiarum speciem,sed sanguinem quoque ipsum ac medullam verborũ eius eruere atque introspicere penitus prædicaret: tum Apollinaris amplecti venerarique se doctrinas illius dicens, Per,inquit,magister optime,exoptatus mihi nunc venis, cum sanguine & medulla Sallustii verborum.hesterno enim die quærebatur ex me,quidnam verba eius hæc in quarto historiarum libro de Cn. Lentulo scripta significent: de quo perincertum fuisse ait,stolidior ne esset an vanior. Eaque ipsa verba,vti sunt à Sallustio scripta, dixit, At Cn. Lentulus patriciæ gentis,collega eius,cui cognomentũ Clodiano fuit,perincertum stolidior an vanior,legem de pecunia,quam Sylla emptoribus bonorum remisserat,exigenda promulgauit. Quæsitum ergo ex se Apollinaris,neque id se dissoluere potuisse asseuerabat,quid esset vanior,quid stolidior:quoniam Sallustius sic ea separasse atq; opposuisse inter se videretur,tanquam diuersa ac dissimilia,nec eiusdem vtraque vitii forent.ac propterea petebat,vti se doceret significationes vtriusque vocis & origines. Tum ille rictu oris labiorúmque ductu contemni à se ostendens & rem de qua quæreretur, & hominem ipsum qui quæreret, Priscorum,inquit,& remotorum ego verborum medullas & sanguinem(sicuti dixi)perspicere & elicere soleo,non istorum,quæ poculcata vulgo & protrita sunt. ipso illo quippe Cn. Lẽtulo stolidior est & vanior, qui ignorat eiusdem stultitiæ esse vanitatem & stoliditatem. Sed vbi hoc dixit,media ipsa sermonum reliquit, & abire cœpit. Nos deinde eum tenebamus vrgebamúsque: & cum primis Apollinaris, vt de vocabulorum istorum vel differentia, vel si ei ita videretur, similitudine plenius apertiúsque dissereret,& vt ne sibi inuideret discere volenti,orabat. Atque ille se iam plane illudi ratus, negocium sibi causatur,& digreditur. Nos autem postea ex Apollinari didicimus,vanos proprie dici,non vt vulgus diceret, desipienteis, aut hebetes aut ineptos:sed vt veterum doctisimi dixissent, mendaces, & infidos, & leuia inaniáque pro grauibus & veris astutissime componentes. Stolidos autem vocari non tã stultos & excordes,quàm tetros,& molestos,illepidos,quos Græci μοχθηροὺς & φορτικοὺς dicerent. Et vnamquanque harum vocum,& origines scriptas esse dicebat in libris Nigidianis:quos ego requisitos & repertos cum primarum significationum exemplis,vt commẽtariis harum noctium inferrem, notaui, & intulisse iam me aliquo in loco commentationibus istis existimo.

Sallustij locus.
Perincertũ stolidior an vanior.
Vani.
Stolidi.

ASCEN. Hanc rem repetit Macrobius Satur.libro vj. Sane Horatius equitare communiter posuit non solum equo vehi, sed & arundini insidere more puerorum qui se sic equitare dicunt. vnde ait in Equito.

Currus. Sermon. Ludere par, impar, equitare in arundine longa. Et sicut equitem sic & currum pro equo posuit Virgilius in Gæorg. Neque audit currus habenas. MAS. Diuus Hieronymus format à dogmate dogmatistam. ait enim ad Pammachium & Oceanum. Laudaui interpretationem non dogmatisten, ingeniū non fidem, philosophum non apostolum. Idem, Si mihi creditis nunquam fuit Origenista. Per magistrum æris prælectorémque intelligo eum qui ære doceat: nam alibi docuimus vænalē dici posse non inhoneste sciētiam. Suetonius in libro quem de Grammaticis illustri. composuit, Q. Rhemnium Palæmona ostendit ex schola cepisse quotannis grandē pecuniam. ait enim, Luxuriæ ita indulsit, vt sæpius in die lauaret, nec sufficeret sumptus, quanquam ex schola quadragena annua caperet, ac nō multo minus ex re familiari. Sunt qui duobus obolis, quadrantibúsve docent: & sunt diobolares & quadrantarij: sunt qui pluris, sunt qui minoris: & hi possunt forte dici ærarij, vt etiam apud Romanos plebeij ordinis, delicti nomine in Ceritū tabulas à Censoribus reiecti, non in centuriæ albo conscripti. Plebeij siquidem sunt doctores proletarij: cum alij sint classici, & possint dici magistri multi æris, vt apud Cælium in. ix. cap. xxxij. Et quidam multi æris homines: potest enim fortunarum opúmque congeries, cum immenso scientiæ thesauro conferri.

Magister æris. Diobolares. Quadrantarij. AErarij.

Quòd Q. Ennius in septimo Annali quadrupes eques, ac non quadrupes equus, vt legunt multi, scriptum reliquit. CAPVT V.

CVM Antonio Iuliano rhetore, viro hercle bono, & facundiæ florentis, complures adolescentuli familiares eius Puteolis æstiuarum ludum & iocum in literis amœnioribus, & in voluptatibus pudicis honestisque agitabamus. Atque ibi tunc Iuliano nunciatur, ἀναγνώστην quendam non indoctum hominem voce admodum scita & canora Ennii Annales legere ad populum in theatro. Eamus, inquit, auditum nescio quem istum Ennianistam. Hoc enim se ille nomine appellari volebat. Quem cum iam inter ingentes clamores legētem inuenissemus, (legebat autem librum ex Annalibus Ennii VII) hos cum primum versus perperam pronunciantem audiuimus,

Anagnostes.

„ Denique vi magna quadrupes equus, atque elephanti
Proiiciunt sese.

Neque postea multis versibus additis, celebrantibus eum laudantibûsque omnibus discessit. Tum Iulianus egrediens è theatro. Quid vobis, inquit, de hoc anagnoste & de „ quadrupede equo videtur? Sic enim profecto legit,

„ Denique vi magna quadrupes equus, atque elephanti
Proiiciunt sese.

Quadrupes eques nō equus.

Ecquid putatis, si magistrū prælectorémque habuisset alicuius æris, quadrupes equus dicturum fuisse, ac non quadrupes eques? quod ab Ennio ita scriptum relictúmq; esse nemo vnus literarum veterum diligens dubitauit. Cum aliquot eorū, qui aderant, quadrupes equus apud suum quisque grammaticum legisse se dicerent, & mirarentur quidnam esset quadrupes eques: Vellem vos, inquit, optimi iuuenes tam accurate Q. Ennium legisse, quàm P. Virgilius legerat: qui hunc eius versum secutus in Georgicis suis, equitem pro equo posuit in his versibus,

Virg. loc.

Fræna Pelethronii Lapithæ, gyrósque dedere,
Impositi dorso atque equitem docuere sub armis
Insultare solo, & gressus glomerare superbos.

In quo loco equitem siquis modo non inscite inepteque argutior sit, nihil potest accipi aliud nisi equum. Pleraque enim veterum ætas, & hominem equo insidentem, & equū qui insideretur, equitem dixerunt. Propterea equitare etiam, quod verbum è vocabulo equitis inclinatum est, & homo equo vtens, & equus sub homine gradiens dicebatur. Lucilius adeo vir apprime linguæ latinæ sciens equum equitare dicit his versibus,

Equito.

„ Queis hinc currere equum, nos atque equitare videmus,
„ His equitat curritque: oculis equitare videmus,
„ Ergo oculis equitat.

Sed enim contentus, inquit, ego his non fui. Et vt nō turbidæ fidei, nec ambiguæ, sed vt pure liquentiúsque esset, equus ne, an eques Ennius scriptum reliquisset, librum summæ atque reuerendæ vetustatis, quem fere constabat Lampadionis manu emendatum, studio precioque multo vnius versus inspiciendi gratia cōduxi, & eques non equus scriptum in eo versu inueni. Hæc tum nobis Iulianus, & multa alia erudite simul & affabiliter dixit. Sed eadem ipsa post etiam in peruulgatis commētariis scripta offendimus.

ASCEN. De Scropha nonnihil in Saturnalibus ſcribit Macrob. Aut in eius ſup. manu & mãcipio, hoc eſt iuriſditione & poteſtate eſſet.

Quòd Helius Meliſſus in libro cui titulum fecit, de loquẽdi proprietate, quẽ cum ederet cornu eſſe copiæ dicebat, rem ſcripſit neque dictu neq; auditu dignã, cum differre matronam & matremfamilias exiſtimauit differentia longe vaniſſima.

CAPVT VI.

Helius Meliſſus.

HElius Meliſſus in noſtra memoria fuit Romæ ſummi quidem loci inter grammaticos & temporis: ſed maiore in literis erat iactantia & σοφιςεία quàm opera. Is præter alia, quæ ſcripſit, compluria, librũ compoſuit, vt tũ videbatur, cum eſt editus, doctrinæ inclytæ. Ei lib. titulus eſt ingentis cuiuſdam illecebræ ad legendum: ſcriptus quippe eſt de loquendi proprietate. Quis adeo exiſtimet loqui ſe recte atq; proprie poſſe, niſi illas Meliſſi proprietates per didicerit? Ex eo lib. hæc verba ſunt, Matrona eſt, quæ ſemel peperit: quæ ſæpius, materfamilias. ſicuti ſus, quæ ſemel peperit porcetra: quæ ſæpius, ſcropha. Vtrum autem hoc de matrona ac de matrefamilias Meliſſus excogitauerit ipſe & cõiectauerit, an ſcriptum ab aliquo legerit, ariolis profecto eſt opus. Nam de porcetra habet ſane authorem Pomponium in Attellana, quæ hoc eodem vocabulo inſcripta eſt. Sed matronam non eſſe appellatam niſi quæ ſemel peperit, neq; matremfamilias, niſi quæ ſæpius: nullius veterum ſcriptorum authoritatibus confirmare poteſt. Enimuero illud compendio probabilius eſt, quod idonei vocum antiquarum enarratores tradiderunt: matronam dictam eſſe proprie, quæ in matrimonium cum viro cõueniſſet, quoad in eo matrimonio maneret, etiã ſi ſibi liberi nondum nati forent: dictamque eſſe ita à matris nomine non adepto iam, ſed cum ſpe & omine mox adipiſcendo: vnde ipſum quoque matrimonium dicitur. Matrem autem familias appellatam eſſe eam ſolam quæ eſſet in mariti manu mancipioque, aut in eius, in cuius maritus manu mancipioque eſſet: quoniam non in matrimoniũ tãtum, ſed in familiã quoq; mariti & in ſui hæredis locum veniſſet.

Porcetra. Scropha. Matrona. Materfamilias.

ASCEN. Cui cognomentũ inſano. Pius annota. poſter. cap. cxiij. Apud Perſiũ, inquit, Inſano multũ laudanda magiſtro. Inſanum interpreter pro nimis cõcitato & agitato ad curã diſcipuli, à quo ſubuereretur reportare notã indulgentiæ. Romani nãque præter notã ſignificationem vocis, peruicaces, aſperos & refractarios, intractabiles, non comes, non vrbanos, non eutrapelos, vt Græci dicunt, appellabant inſanos. Hoc oſtendit Gellius ita loquens lib. xviij. Noctium Atticarum: Domitio homini docto &c. Demegoriæ ſunt populi congregationes quas conciones dicimus. Mortuaria gloſſaria. i. linguaces & futiles. gloſſaria enim dicuntur à gloſſa. i. lingua: quibus tota virtus in lingua eſt. mortuaria autem à mortuis, quibus fruſtra verba fiunt: aut certe ſilicernia vicina morti. Nam illis cum virtus decreſcat, verboſitas tamen creſcit. vnde Horatius in arte de ſene, Difficilis, querulus, laudator tẽporis acti Se puero &c. AEgre autẽ tulit quòd cũ ſenes eſſent & philoſophi, gloſſaria eſſent. i. verborũ curioſiores quàm par erat. Videtur autẽ quæ ſubdit Domitius mortuaria ideo dici, quòd quaſi ad mortuos verba faciant: addit enim: tanquã mulierum voces præficarũ. Præficæ enim ſunt quæ mortuis nænias præcinunt. MASE. Mortariũ quid ſit, nemo ignorat ait Hermolaus: ſed vna eius ſignificatio fortaſſe obſcura eſt lib. xxxvj. Plin. hiſt. Vbi pro eo lacu & cõceptaculo accipitur, in quo calx ſiue intrita ſubigitur ſeruaturve. Sed mortualia & morticina ex Hieronymo vocat cadauera defunctorum. Pius in illum Plauti locum in Aſinaria: Hæc ſunt non nugæ, non enim mortualia: ait legẽdũ, mortuaria. i. ſuperuacanea, vilia & nugatoria, ſicut ſunt quæ ad mortuos preces fiũt. In quo ſignificatu philoſophorũ ſenſa vanidica & phãtaſtica Gellius appellat mortuaria gloſſaria, quòd preces ad mortuos vanæ ſunt (non dixerim pro mortuis, pro quibus orare piũ eſt, vt canit eccleſia) probat id Pius ex illo, Cum ſemel infernas intrarint funera leges, Non exorato ſtant adamante viæ. Vocat Plautus emortualẽ diẽ, quo quis mortuus eſt. Plutarchus in Pomp. Mag. ait, Suggeſtus fieri ſolebat, exciſum cæſpitem exciſo cæſpiti adcumulando: qui cũ non eſſet factus, milites iumentorũ ſellas attulerunt & tumulum erexerunt, quẽ conſcẽdit Pompeius è Ponto adlatas literas lecturus. Et is erat in bellico tumultu: Aliter in ciuitate. Recitat Plutarchus quòd cum Pericles eſſet ſuggeſtum aſcenſurus, dijs prius vota faceret, nequod verbum ſe inuito aut imprudente efflueret, quod ad rem minus pertinere videretur. Badius legit cum Moſellano mortaria gloſſaria. i. in quibus linguæ conteruntur. i. linguarum interpretamenta. Verum præficæ non ſunt maleficæ, ſed quæ nænias in funere præcinunt.

Mortariũ. Mortualia. Emortualis dies.

Quem in modum Phauorinus tractauerit intẽpeſtiuũ quẽdam de verborũ ambiguitatibus quærentẽ: atq; ibi quot ſignificationes capiat concio.

CAP. VII.

Domitius Inſanus.

DOmitio homini docto celebrique in vrbe Roma grammatico, cui cognomentum Inſano factum eſt, quoniam erat natura intractabilior & moroſior: ei Domitio Phauorinus noſter, cum forte apud fanum Carmentis obuiam veniſſet, atque ego cum Phauorino eſſem, Quæſo, inquit, te magiſter dicas mihi, num erraui, quòd cum vellem δημηγορείαν

Concio.

latine dicere, conciones dixi? dubito quippe & requiro, an veterũ corũ, qui electius locuti sunt, pro verbis & oratione dixerit quis concionem. Tum Domitius voce atque vultu atrociore, Nulla, inquit, prorsus, bonæ salutis spes reliqua est, cum vos quoque philosophorum illustrissimi nihil iam aliud quàm verba authoritatesque verborum cordi habeatis. Mittam autem librum tibi, in quo id reperias, quod quæris. Ego enim grammaticus vitæ iam atque morum disciplinas quæro, vos philosophi mera estis, vt M. Cato ait, mortaria glossaria. nam qui collegisti & lectitasti res tetras, & inanes, & friuolas, tãquam mulierum voces præficarum. Atque vtinam, inquit, muti omnes homines essemus: minus improbitas instrumenti haberet. Cumque digressi essemus, non tempestiue inquit Phauorinus, hunc hominem accessimus: videtur enim mihi ἐπιμαίνεσθαι. Scitote, inquit, tamen intemperiem istam, quæ μελαγχολία dicitur, non paruis nec abiectis ingeniis accidere, ἀλλὰ εἶναι σχεδόν τι τὸ πάθος τοῦτο ἡρωϊκόν, & veritates plerunque fortiter dicere: sed respectum non habere, μήτε καιροῦ, μήτε μέτρου. Vel ipsum quale hoc existimatis, quod nũc de philosophis dixit? Nonne & si Antisthenes aut Diogenes dixisset, dignum memoria visum esset? Misit autem paulopost Phauorino librum, quem promiserat: Verrii (opinor) Flacci erat: in quo scripta ad hoc genus quæstionis pertinentia hæc fuerunt, Senatum dici & pro loco, & pro hominibus. Ciuitatem & pro loco & pro oppido, & pro iure quoque omnium, & pro hominum multitudine. Tribus quoque & decurias dici, & pro loco, & pro iure, & pro hominibus. Concionem autem tria significare, locum suggestumque vnde verba fierent: item significare cœtum populi adsistentis: item orationem ipsam, quæ ad populum diceretur. Sicut M. Tul. in oratione, quæ inscripta est cõtra concionem Q. Metelli, Ascendi, inquit, in concionem, concursus est populi factus. Sicuti idem M. Tullius in Oratore ait, Conciones sæpe exclamare vidi, cum apte verba cecidissent. Etenim expectant aures, vt ex verbis colligetur sententia. Exempla in eo libro scripta non erant, sed nos postea Phauorino desideranti harum omnium significationum monimenta, & apud Ciceronem, sicuti supra scripsi, & apud elegantissimos veterum reperta exhibuimus. Id autem quod potissimum expetebat, concionem esse dictam pro verbis & oratione, docuit titulus Tulliani libri, qui à M. Cicerone inscriptus est, Contra concionem Q. Metelli. quo nihil profecto significatur aliud, quàm ipsa, quæ à Metello dicta est, oratio.

Mortaria glossaria.

Melancholia.

Senatus.
Ciuitas.
Tribus.
Concio.

Exempla.

ASCEN. Huiusmodi scitamẽta.i.scite & argutule vt ipsis videntur excogitata orationis ornamẽta: de quo vocabulo dicta sunt nonnulla in cap.xj.lib.xiij. Quòd ad se non viseret.i.visum veniret aut iret. Festiuiter. quod nos festiue. ἄτεχνον est inartificiosum, sine arte factum.

ὁμοιοτέλευτα, καὶ ὁμοιόπτωτα, atq; alia id genus, quæ ornamenta orationis putantur, inepta esse & pucrilia, Lucilii quoq; versibus declarari. CAPVT VIII.

Inepta orationis ornamenta.

Ad se viseret.

Ὁμοιοτέλευτα, καὶ ἰσοκατάληκτα, καὶ πάρισα, καὶ ὁμοιόπτωτα cæteraque huiusmodi scitamenta, quæ isti ἀπειρόκαλοι, qui se Isocraticos videri volunt, in collocandis verbis immodice faciunt & rancide: quàm sint insipida & inertia & puerilia, facetissime hercle significat in quinto Satyrarũ Lucilius. nam vbi est cum amico conquestus, quòd ad se ægrotum non viseret, hæc ibidem addit festiuiter,

Quo me habeam pacto, tametsi non quæris, docebo.
Quando in eo numero mansi, quo in maxima non est
Pars hominum, vt periisse velis, quem nolueris, cum
Visere debueris, hoc nolueris, & debueris, te
Si minus delectat, quod ἄτεχνον Isocratium est,
ὀχληρῶδές quæ simul totum καὶ οὐ μειρακιῶδες.
Non operam perdo, Si tu hic.

ASCEN. Sectam alij à secando, quòd auditores in varias hæreses secet: alij à sequẽdo deducunt, suum quisque authorem sectetur. Itaque cum q in c mutetur, cum dicitur sector & secutus: videtur apud Catonem scriptum insecenda pro insequenda: non quidem ab insecor vnde dicitur insecanda: sed ab insecor pro insequor.

Quid significet apud M.Catonem, verbum insecenda: quódq; insecenda potius legẽdum sit, quàm quod plerique existimant, insequenda. CAPVT IX. Insecẽda.

E T sequor, & item secta, & secutio consuetudine loquendi differunt. sed qui penitus inspexerit, origo & ratio vtriusque vna est. Doctores quoq; & interpretes vocum græcarum ἀκολουθεῖ (?) : Et, ἑπέσθαι (?) dictum putant, quod latine insequi dicitur. Nãque in altero n geminũ, in altero s translatũ dicunt. Sed etiã ipsum illud ἔπη quod significat verba, aut versus, non aliunde esse dictum tradunt, quàm ἀπὸ τοῦ ἕπεσθαι, & εἰπεῖν. Eadẽ ergo ratione antiqui nostri narrationes sermones insectiones appellitauerunt. Secta. Secutio. Insectio.

ASCEN. In superioribus legimus arteria genere neutro: sed vsitatius arterias dicimus secunda quidẽ longa. Aluo cita. i. commota ad frequenter egerendum. Sistas. i. exhibeas præsentem & stãtem corã nobis: ac statuas. AEn. iiij. Annam chara mihi nutrix huc siste sororem. Temporis subcisiui. Scribã cum C... lep. succisiui: qui dicit sic. Succisiuũ tempus dicitur quod subtrahitur à rebus necessarijs, vt ad aliquẽ vsum accõmodemus. vulgo dicitur tẽpus furto subtractũ, & sub. i. clancuculum cæsum à principali negotio. Forte scribi posset subscissiuum à subscindẽdo &c. Ad docendum. i. qui me doceat. MASE. Cælius in libro secundo hanc repetit pulsus definitionem: cui aliam subiungens, Pulsus, inquit, est disparatio & contractio indiuisibilis arteriæ ac cordis, vel subsultio & palpitatio: vel ebullitio venæ & arteriæ. Addit pulsum siue σφυγμὸν esse interdum vniformen: interdum, teste Plinio, formicantẽ & inæqualem. i. ait Galenus, minutum, densum, summe debilem: qui velocitatis speciem exhibeat & opinionem, cum sit minime velox: & is mortem prænunciat: qui eo differt à vermiculante, ait Philaretus, quòd conuertatur in melius. Tamẽ Plinium citans Cælius, venarum percussum dixit, contra Gellij sententiam, siue Tauri philosophi. Idem in quinto loquitur de dorcadissante, qui interuallatus quiescit, moxque velocior cooritur. Pulsus.

Errare istos, qui in exploranda febri pulsus venarum pertentari putant, non arteriarum. CAP. X.

I N Herodis CL. V. villam, quæ est in agro Attico, loco qui appellatur Cephisiæ, aquis, & lucis, & nemoribus frequentẽ, æstu anni medio cõcesseram. Ibi aluo mihi cita, & accedente febri rapida decubueram. Eo Caluisius Taurus philosophus, & alii quidam sectatores eius, cũ Athenis visendi mei gratia venissent: medicus, qui tum in his locis repertus adsidebat mihi, narrare Tauro cœperat quid incommodi paterer, & quibus modulis quibusque interuallis accederet febris decederetque. Tum in eo sermone cum iam me synceriore corpusculo factum diceret, Potes, inquit, Taure tu quoque idipsum comprehẽdere, ἐὰν ἅψῃς αὐτοῦ τῆς φλεβός. Quod nostris verbis profecto ita dicitur, Si attigeris venam illius. Hanc loquendi imperitiam, quòd venam pro arteria dixisset, cum in eo docti homines, qui cum Tauro erant, tanquam minime vtili in medico offendissent, atq; id murmure & vultu ostenderent: tum ibi Taurus, vt mos eius fuit, satis leniter, Certi, inquit, sumus vir bone, non ignorare te quid vena appelletur, & quid arteria: quòd venæ quidem suapte vi immobiles sint, & sanguinis tantũ demittendi gratia explorentur: arteriæ autẽ motu atque pulsu suo habitum & modum febrium demonstrent. Sed, vt video, peruulgate magis q̃ inscite locutus es. non enim te solũ, sed alios quoque itidem erranteis audiui venã pro arteria dicere. Fac igitur, vt experiamur elegãtiorem esse te in medẽdo quàm in dicẽdo: & cũ diis beneuolentibus opera tua sistas hũc nobis sanum atq; validũ quàm citissime. Hoc ego postea cum in medico reprehensum esse meminissem, existimaui non medico soli, sed omnibus quoq; hominibus liberis liberaliterque institutis turpe esse, ne ea quidem cognouisse ad notitiam corporis nostri pertinentia, quæ non altius occultiusque remota sunt, & quæ natura nobis tuendæ valetudinis causa, & in promptu esse, & in propatulo voluerit. Ac propterea quantum habui tẽporis subcisiui, medicinæ quoque disciplinæ libros attigi, quos arbitrabar esse idoneos ad docendum. Et ex his cũ alia pleraque ab isto humanitatis vsu non aliena, tũ de venis quoque & arteriis didicisse videor ad hunc ferme modum. Vena est conceptaculum sanguinis, quod ἀγγεῖον medici vocant, misti confusique cum spiritu naturali, in quo plus sanguinis est, minus spiritus. Arteria est conceptaculum spiritus naturalis, misti cõfusique cum sanguine, in quo plus spiritus est, minus sanguinis. σφυγμὸς autẽ est intẽtio motus & remissio in corde, & in arteria naturalis, nõ arbitrarii. A medicis autem veteribus oratione græca ita definitus est, Σφυγμός ἐστι διαστολὴ καὶ συστολὴ ἀπροαίρετος ἀρτηρίας καὶ καρδίας. Vel, Σφυγμός ἐστι παλμὸς, ἢ ζέσις φλεβὸς, ἢ ἀρτηρίας.

Cephisiæ. Caluisius Taurus. Vena. Arteria. Vena. Arteria. Pulsus.

ASCEN. Ex huius Furij Antiatis operibus non pauca excepisse Virgiliū author est Crinitus in vita eiusdē Furij. Virescit vulnere virtus.i.vires capit:quia virtus in infirmitate perficitur.non itaque à vireo, cuius prima breuis est:sed à nomine vires,cuius prior longa,deducitur.Sicut fulica leuis.proceleumaticus in secundo loco.nec legam cum Quintiano,vt fuligo leuis. de qua re docte scripsit in Vale.Flaccum Maserius noster.qui addidit. Claudianus primo de raptu Proserpinæ.Ostro fundit aquas.i. purpurat. Architrenius non pauca fingit prælicenter,vt futurare.Et quod præteritum nunquā facit,vsque futurat.Emarcidare,vt frigidare:Quæ nec hyems,nec flamma emarcidat vlla.Cancellare. Qua cācellatur honestum, Coma cancellatur in orbem.Dumescens facies pilis.mala nemorosa.Liliare & deliliare. Est cui cana comam puerilis liliat ætas:Maturusque putrem vetulam deliliat annus.vndas Liliat argentum.Loricare.Ne quis putet loricatum participium sine verbi origine,vt pleraque eiusce formulæ Laurentius Valla. Sic cristare,ligustrare.Alba ligustret hyems nigra quod vacciniet æstas Et face sol maurum faciat, niue bruma brytannum.Alligerare.vt apud Ennium.Belligerare:flexam procul arduat vluam. sed ipso Luxuriæ notæ plebescere nomine vellet.sic vetulari,nebulescere,matronari,viridare, Illoculare.Horū quædam videntur non insuauia,quædam satis nouitia.Hæc Mas.Multi etiam si Architrenium legissent, perstitissent tamen in veterum sententia,qui loricatum,manicatum,tunicatum,& similia.nō,participia sed nomina participijs similia dixerunt:quia verba in doctorum vsu non sunt.

Verba ex carminibus Furii Antiatis inscite à Cesellio vindice reprehensa, versusq; ipsi,in quibus ea verba sunt,subscripti. CAP. XI.

Cesellius. Furius poeta.

NOn hercle idem sentio cum Cesellio Vindice grammatico(vt mea opinio est)haudquaquam inerudito. Verum hoc tamen petulanter insciteque, ꝙ Furium veterem poetam dedecorasse linguam latinam scripsit huiuscemodi vocum fictionibus,quæ mihi quidem,neque abhorrere à poetica facultate visæ sunt,neq; dictu profatuq; ipso terræ aut insuaues esse: sicuti sunt quædam alia ab illustribus poetis ficta dure & rancide. Quæ reprehendit autem Cesellius Furiana hæc sunt:ꝙ terram in lutum versam lutescere dixerit: & tenebras in noctis modum factas,noctescere:& pristinas recuperare vires,virescere:& quòd ventus mare cœruleum crispicans nitescere facit,purpurat dixerit:& opulentum fieri,opulescere. Versus autem ipsos ex poematis Furianis,in quibus hæc verba sunt,subdidi,

Lucescere Noctescere. Purpurare Opulescere.

Sanguine diluitur tellus,caua terra lutescit.
Omnia noctescunt tenebris caliginis atræ.
Increscunt animi,virescit vulnere virtus.
Sicut fulica leuis volitat super æquora classis.
Spiritus eurorum virides cum purpurat vndas.
Quo magis in patriis possint opulescere campis.

ASCEN. Ac vertere in agendi medium.lego modum.Terentianum hoc exemplū non memini legere,& forte in alia est comœdia aut alius auctoris.Ex hoc autem patet,non velle Gellium dicere actiua semper verba poni solita pro suis passiuis, sed actiuam aut neutralem vocem libentius vsurpatam quàm passiuam tantundem significantem.Rugat tamen pro rugatur aut rugas contrahit positum videtur: sed vt dixi alibi,vbi agens in se agere quodāmodo videtur,actiuum pro passiuo vsurpabant:vt, Et iā nox humida cælo Præcipitat:scilicet se.pro præcipitatur.Sic pulueret,pro puluerem contrahat. sic sedauit, pro sedata est.& mutat sup.se:aut pro mutantur.Muneror te non passiuum est sed deponens:verū sicut splendeat neutrum actiuum censuit eo quòd in o exit:sic muneror passiuum, quia in or.Dicitur item mutuo & mutuor:sed sub discretione:quia qui mutuo dat,mutuat:qui accipit,mutuatur.E contrario autem in passiuo libentius vsi sunt præterito quàm præsenti,vt ita factum oportuit aut decuit,potius quàm fecisse: cum in præsenti contra fiat:vt ita facere oportet.potius quàm ita fieri &c.Author est Valla.

Morem istum veteribus nostris fuisse verba patiendi mutare ac vertere in agendi modum. CAPVT XII.

Actiua pro passiuis. Splēdeat.

ID quoque habitum est in oratione facienda elegantiæ genus,vt pro verbis habentibus patiendi figuram, agentia ponerent, ac deinde hæc vice inter sese mutua verterent.Terentius in comœdia,

Pallium,inquit,face vt splendeat.

Nonne hoc impendio venustius gratiusque est,quàm si diceret, ne maculetur?Plautus etiam non dissimiliter,

Rugat.

Quid est hoc?rugat pallium.
Amictus non sum commode.

Puluero.

Item Plautus pulueret dicit,non quòd puluere impleat,sed quod ipsum pulueris plenum sit.Exi tu Daue age, Sparge,mundum esse hocce vestibulum volo.
Venus ventura est nostra,non hoc pulueret.

Cōtēples.

In Asinaria quoque contemples dicit pro contempleris,

Meum caput contemples, si quidem è re consultas tua.

Cn. Velleius in Annalibus, Postquam tempestas sedauit, Atherbal taurum immolauit. M. Cato in Originibus, Eodem conuertés complures ex agro accessitauere: eo res eorum anxit. Varro in libris quos ad Marcellum de lingua latina fecit, In priore verbo graues prosodiæ, quæ fuerunt manét, reliquæ mutant, inquit: elegantissime pro mutantur. Potest etiam id quoque ab eodem Varrone in VII diuinarum similiter dictum videri, Inter duas filias regum quid mutet inter Antigonam & Tulliã. est enim aduertere. Verba autem patiendi pro agentibus in omnibus ferme veterum scriptis reperiũtur: ex quibus sunt pauca ista, quæ nunc meminimus. muneror te pro munero, & significor pro significo, & sacrificor pro sacrifico, & adsentior pro adsentio, & fœneror pro fœnero, & pigneror pro pignero, & alia istiusmodi pleraque. proinde, vt in legendo fuerint obuia, notabuntur. Anxit. Mutant. Passiua pro actiuis Muneror. Significor Adsentior Fœneror. Pigneror.

ASCEN. Vbi conueneramus: non est contra præceptum Vallæ, qui præcipit conuenio cum aduerbio ad locum construendum: vt illuc conueneramus: non illic: & ita si esset loci, dicẽdum crederem Quo conueneramus: sed quia temporis est (ponitur enim pro post) recte ponitur. Numus vnus HS. i. sestertius: qui quanti sit optime docet Budæus in de Asse & partibus eius. Huius autem capituli farrago tota prius posita est. A me incipe. argumentari videlicet sic. Quod tu es, id ego non sum: homo tu es, igitur ego homo non sum. Est igitur vitiosum argumentum, quia sic in proponentem retorqueri potest: cum vtroque modo peccet, quia ex puris indefinitis cõtrahitur. Mas. Seneca. xlix. epistola ad Luciliũ notat eos qui puerilibus sophismatibus indulgent dicentes, Mus syllaba est, mus autem caseum rodit, syllaba ergo caseũ rodit. Ait enim verendum esse, nequando in muscipula syllabæ capiantur: aut ne, si est negligentiæ locus, caseum liber comedat: nisi forte videatur illa collectio esse acutior: Mus syllaba est, syllaba autem caseũ nõ rodit: mus ergo caseum non rodit. O pueriles ineptias (inquit) in hoc supercilia subduximus? in hoc barbã demisimus? Hoc est quod tristes docemus & pallidi? Addit inde. Sic itur ad castra: cum ad grammaticorũ elementa descenditur. Et in sequenti ait subtilius esse sophismata contẽnere quàm soluere. Et in epistola lxxxiij. ait, Ego non redigo ista ad legem dialecticam, & ad illos artificij veternosissimi nodos. Totũ genus istud exturbandum iudico, quo circunscribi se qui interrogatur existimat, & ad confessionem perductus aliud respondet, aliud putat. Lege Angelum Politianum cap. liiij. Miscel. loquentem de ceratinis & similibus tendiculis sophisticis: & quæ de ijsdem prius dicta sunt repete.

Quali talione Diogenes philosophus vsus sit pertentatus à dialectico quodam sophismatico impudenti. CAPVT XIII.

Saturnalibus Athenis alea quadã festiua & honesta lusitabamus huiuscemodi. Vbi conueneramus complusculi eiusdem studii homines, ad leuandum tempus, captiones, quæ sophismata appellantur, mẽte agitabamus: easque quasi talos aut tesserulas in medium vice sua quisque iaciebamus. Captionis solutæ aut parũ intellectæ præmiũ pœnave erat numus vnus HS. Hoc ære collecto, quasi manuario, cœnula curabatur omnibus, qui eum lusum luseramus. Erant autem captiones ad hoc fere exemplum, tametsi latina oratione non satis scite, ac pene etiam illepide exponuntur. Quod nix est, hoc grando non est: nix autem alba est, grando igitur alba non est. Item aliud non dissimile, Quod homo est, hoc non est equus: homo autem animal est, equus igitur animal non est. Dicere ergo debebat qui ad sophisma diluendum ac refellendum ritu aleatorio vocatus erat, in qua parte, quoque in verbo captio foret: quid dari concedique non oporteret. nisi dixerat, numo singulo multabatur: ea multa cœnam iuuabant. Libet autem dicere quàm facete Diogenes sophisma id genus, quod supra dixi, à quodam dialectico ex Platonis diatriba per contumeliã propositum remuneratus sit: nam cum ita rogasset dialecticus, Quod ego sum, id tu non es: & Diogenes annuisset: atque ille addidisset, Homo autem ego sum: cum id quoque assensus esset: & contra dialecticus ita conclusisset, homo igitur tu non es: Hoc quidẽ, inquit, Diogenes, falsum est: & si verum id fieri vis, à me incipe. Diogenis respõsum.

ASCEN. De his legatur Macrobius in tertio de somno Scipionis. Author quæ dicit satis explicat. Mas. Hermolaus Barbarus vir sane ingeniosus vocauit sesquialterũ hemioliũ. Item sesquiplũ: vide ipsum in secũdum Plinij. Sic dicitur Sesqulysses. Epitritus dicitur sesquitertius. Hæc ille. De sesqui & compositis doctissime disserit G. Budæus in opere plane diuino de Asse & partibus eius statim à principio. docetque dici sesqui quasi semi & quid. i. totum cui iungitur, & dimidium eius: vt sesquipes, pes & dimidiũ pedis: sic sesquihora, sesquiannus &c. Quo authore sestertius est interdum minutus numus vt hic, forte decem numulos quos denarios Parisien. vocant continens, non vt vult Mosellanus decem libras. Nam magno sic Sesqui.

constitisset disceptatio & disceptantium cœna. Ratio nominis mihi videtur, quòd as minutus Italis quatuor quadrantibus quos quatrinos vocant constat, vt albulus Gallis, & cruciatus Germanis, totidē denarijs Parisien. tantidem cum quadrantibus illis æstimatis, vnde sestertius duos tales asses, albulos & cruciatos cum dimidio vnius continet. Sestertium vero Italis centum sestertios nummulos: quia libra pondo illis quadraginta, Gallis viginti, & Flandris decem sestertios continet: vnde sestertium mille cōtinet quadrantes. Iuuenalis: Mullum sex milibus emit, AEquantem sane paribus sestertia libris.

Quid sit numerus hemiolius, quid epitritos: & ꝙ vocabula ista non facile nostri ausi sunt vertere in linguam latinam. CAP. XIIII.

Hemiolios. Epitritos.

Figuræ quædam numerorū, quas Græci certis nominibus appellant, vocabula in lingua latina non habent. Sed qui de numeris latine scripserunt græca ipsa dixerunt: fingere autem nostra (quoniam id absurde futurum erat) noluerunt. Quale enim fieri nomen posset hemiolio numero aut epitrito? Est autem hemiolius, qui numerum aliquem totum in se habet, dimidiumq; habet eius: vt tres ad duo, quindecim ad decem, triginta ad viginti. Epitritos autē est, qui habet totum aliquem numerum, & eiusdē partem tertiam. vt quatuor ad tres, duodecim ad nouē, quadraginta ad triginta. Hæc autem notare atq; meminisse non ab re visum est, quoniam vocabula ista numerorum nisi intelligūtur, rationes quædam subtilissime in libris philosophorum scriptæ percipi non queunt.

ASCEN. In longis versibus. Priscianus in vltimo libro ex Victorino colligit longos versus tetrametros dici qui & quadrati dicuntur. quod de iambicis intelligendum est: nam hic de hexametris loquitur author, in quibus sæpiculè vsu venit vt postremi duo pedes ex integris constent: vt, Dum conderet vrbē, Atque altæ mœnia Romæ &c. Primi item non raro. sed secundi rarissime. Quocirca putē legēdum expuncta dictione duos: sic, Animaduerterunt metrici primos pedes, ita extremos duos. Quintus semipes id est, vt prima syllaba tertij pedis sit vltima dictionis: vt, Arma virūque cano. quā partē quia in ea cæsura fit, pro hemistichio habent. Mas. Plato sepulcra extrui vetat altius quàm viri quinque totidē diebus excitare possint: lapides non maiores quàm vt possit laudes defuncti quatuor solum heroicis versibus editas comprehendere, quos vt Cicero, inquit, Ennius longos vocauit. Vide Cælium in. ix.

Quòd M. Varro in Herois versibus obseruauerit rem nimis anxiæ & curiosæ obseruationis. CAPVT XV.

Metrorū nimis curiosa obseruatio.

In longis versibus, qui hexametri vocantur, item in senariis, animaduerterunt metrici primos pedes, item extremos duos habere singulas posse integras partes orationis, medios haud vnquam posse: sed constare eos semper ex verbis, aut diuisis, aut mistis atq; confusis. M. etiā Varro in libris disciplinarum scipsit obseruasse se in versu hexametro, quòd omni modo quintus semipes verbum finiret: & quòd priores quinque semipedes æque magnam vim haberent in efficiendo versum atque alii posteriores septem. Idque ipsum ratione quadam Geometrica fieri disserit.

Typhon. Extrilidus

ASCEN. Typhoes sunt turbines ac nubium globi. de quibus Plinius cap. l. lib. ij. Sin vero depresso sinu arctius rotati effregerint, sine igne, hoc est sine fulmine, vorticem faciūt, qui typhon vocatur. i. vibratus. Et in capite sequenti, Non fit autem aquilonibus typhon &c. Extrilidum, id est exporrecta fronte sine tricis & rugis, aut vt quibusdam videtur extra læsionem, sed sic penultima esset longa quod non opinor, nec minus lædi poterat quàm alij. Videri autem posse contraria, quòd quem impauidum dixerat, postea se paulum pauefactum confitentem facit. sed eam contrarietatem diluet vox paulum, cum enim paulum expauesceret, visus est cæteris multum pauētibus impauidus. At quòd palluerit, minus est quàm expauisse, pallor enim citra tremorem membrorum fit, non pauor. Confitebitur tamen deinceps naturalem pauorem, & cæteros primos motus non esse in potestate hominis, itaque licet paulum pauerit, tamē quia pauorem dissimulauit, & quantum potuit animi magnitudine fregit, visus est impauidus. Talia vero. i. reuera, esse putat. Hanc autē responsionē stoico sale cōditam operibus suis etiam diuus Augustinus inseruit. Amolitus. i. cum mole quadam & grauitate verborū amisit & abire fecit. Pauescere. i. paulatim, & ita paulum pauere. Mas. addit. Non longe à via cedere videtur qui extrilidum exponit constantem, infractum & extra omnem animi læsionem. Et si opponitur quantitas, hoc nihil nocet: nam si penultima est longa, retinebitur originis natura, si mutetur cur non fiet vt in pronubus? Cælius in quarto ait, Typhon est eo nomine ventus turbulentus atque item πυρώδης δαίμων. i. igneus dæmon dictus. In recto frequentius dicitur Typho, sed item fit vt Caton Cato. Agamemnon Agamemno apud Papinium in Achil. De typhone autem harpyarum genitore vberrime diximus in Vale. Flaccum.

Typhon.

AVLI GELLII NOCTIVM ATTICARVM COMMENTARIORVM, LIBER XIX.

Responsio cuiusdam philosophi interrogati quam ob causam maris tempestate palluerat. CAPVT I.

NAVIgabamus à Cassiopia ad Brundusium mare Ionium violentum, & vastum, & iactabundum. Nox deinde quæ diem primum secuta est, in ea fere tota ventus à latere sæuiens nauem vndis compleuerat. Tum postea complorantibus nostris omnibus atque in sentina satis agentibus, dies quidem tandem illuxit: sed nihil de periculo atque sæuitia remissum, quin turbines etiam crebriores, & cœlum atrum, & fumigantes globi, & figuræ quædam nubium metuendæ, quas τυφῶνας vocabant, impendere imminereque, ac depressuræ nauem videbantur. In eadem fuit philosophus in disciplina stoica celebratus, quem ego Athenis cognoueram, non parua virum authoritate, satisque attente discipulos iuuenes continentem. Eum tunc in tantis periculis, inque illo tumultu cæli marisque requirebam oculis, scire cupiens quonam statu animi, & an intrepidus interritusque esset. Atque ibi hominem conspicimus impauidum, & extrilidũ: ploratus quidem nullos, sicut cæteri omnes, nec vllas eiusmodi voces cientem, sed coloris & vultus turbatione non multum à cæteris differentem. At vbi cælum enituit, & deferbuit mare, & ardor ille periculi deflagrauit, accedit ad stoicum græcus quispiam diues ex Asia, magno (vt videbamus) cultu paratuque rerum & familiæ, atque ipse erat multis corporis animique delitiis defluens. Is quasi illudens, Quid hoc est, inquit, ô philosophe, quòd cum in periculis essemus, timuisti tu, & palluisti? ego neque timui, nec pallui. Et philosophus aliquantulum cunctatus, an respondere ei conueniret, Si quid ego, inquit, in tanta violentia tempestatum videor paulum pauefactus, non tu istius rei ratione audienda dignus es. Sed tibi sane Aristippus ille pro me responderit: qui cum in simili tempore à simillimo tui homine interrogatus, quare philosophus timeret, cum ille contra nihil metueret: Non eandem esse causam sibi atque illi respondit: quoniam is quidẽ esset non magnopere solicitus pro anima nequissimi nebulonis: ipsum autem pro Aristippi anima timere. His tunc verbis stoicus diuitem illum Asiaticum à sese amolitus est. sed postea cum Brundusium aduentaremus, mollitique essent venti maris, percunctatus eũ sum, quænam illa ratio esset pauoris sui, quam dicere ei supersedisset, à quo fuerat non satis digne compellatus. Atque ille mihi placide & comiter: Quoniam, inquit, audiẽdi cupidus es, audi quid super isto breui quidem, sed necessario & naturali pauore, maiores nostri conditores sectæ stoicæ senserint, vel potius, inquit, lege: nam & facilius credideris, si legas, & memineris magis. Atque ibi coram ex sarcinula sua librum protulit Epicteti philosophi quintum διαλέξεων, quas ab Arriano digestas congruere scriptis ζήνωνος & Chrysippi non dubium est. In eo libro scilicet græca oratione scriptum ad hanc sententiam legimus. Visiones animi, quas φαντασίας philosophi appellant, quibus mẽs hominis prima statim specie accidentis ad animum rei pellitur, non voluntatis sunt, neque arbitrii, sed vi quadam sua inferunt sese hominibus. Noscitandæ probationes autem, quas συγκαταθέσεις vocãt, quibus eadem visa noscuntur, ac diiudicantur, voluntariæ sunt, fiuntque hominum arbitratu. Propterea cum sonus aliquis formidabilis, aut è cælo, aut ex ruina, aut repentinus nescius periculi nuncius, vel quid aliud eiusmodi factum est, sapientis quoque animum paulisper moueri & contrahi, & pallescere necessum est, non opinione alicuius mali præcepta, sed quibusdam motibus rapidis & inconsultis, officium mentis atque rationis præuertentibus. Mox tamen ille sapiens ibidem τὰς τοιαύτας φαντασίας visa isthæc animi sui terrifica non approbat, hoc est, οὐ συγκατατίθεται οὐδὲ προσεπιδοξάζει, sed abiicit respuitque, nec ei metuendum esse in his quicquam videtur. Atque hoc inter insipientis sapientisque animum differre dicunt: quòd insipiens qualia sibi esse primo animi sui pulsu visa sunt sæua & aspera, talia vere esse putat: & eadem incepta, tanquam si iure metuenda sint, sua quoque assensione approbat, καὶ προσεπιδοξάζει. Hoc enim verbo stoici cum super ista re disserunt, vtuntur. Sapiens autem

Ad Brundusium. Nox pro nocte.

Typhones.

Extrilidus.

Timor an in philosophũ cadat Aristippi acre respõsum.

Phãtasiæ.

cum breuiter & strictim colore atque vultu motus est, οὐ συγκατατίθεται, sed statum vigoremque sententiæ suæ retinet, quam de huiuscemodi visis semper habuit, vt de minime metuendis, sed fronte falsa, & formidine inani territantibus. Hæc Epictetum philosophum ex decretis stoicorum sensisse atque dixisse in eo, quo dixi libro, legimus: adnotandaque esse idcirco existimauimus, vt rebus forte id genus, quibus dixi obortis, pauescere sensim, & quasi albescere non insipientis esse hominis, neque ignari putemus. Et in eo tamen breui motu naturali magis infirmitati cedamus, quàm quòd esse ea, qualia visa sunt, censeamus.

ASCEN. Sensus qui maxime necessarij vt gustus & tactus, omnibus animalibus sunt communes: & tamen cæteris minus nobiles: quocirca illorum voluptatibus dediti, quia in hoc brutis communicant, censentur maxime bestiales: vt crapulosi & venerei. Mas. Cælius cap.vj.lib.viij. hoc caput Gellianum bene explicat, vbi docet quid sciatrophia dicitur, qui Peolæ. Prior dictio vitam signat vmbratilem & mollē: altera illos qui ex intemperanti coitu pereunt. Macrobius in secundo Saturnal. hoc caput repetit. D. Hieronymus contra Iouinianum cap.xxxviij. epistola.vj.lib.ij. ait. Sine quatuor sensibus viuere possumus, sine, aspectu, auditu, odoratu, & complexu: absque gustu autem & cibis impossibile est humanum corpus subsistere. ipsum lege, & mira de gustu videbis: & in capitibus præcedentibus & sequentibus. Contrarium dictum est lib.vij.cap.vj. huius: nam & gustus quidam tactus est, sed si separes, vera est Hieronymi sententia: nam potest animal, vt nihil præter cibum actiue contingat, coerceri.

Ex quinque corporis sensibus duos esse nobis cum belluis maxime communes. CAPVT II.

QVinque sunt hominū sensus, quos Græci αἰσθήσεις appellant, per quos voluptas animo aut corpori quæri videtur, gustus, tactus, odoratus, visus, auditus. Ex his omnibus, quæ immodice voluptas capitur, ea turpis atque improba existimatur. Sed enim quæ nimia ex gustu atq; tactu est, ea voluptas, sicuti sapiētes viri censuerunt, omniū rerum fœdissima est. Eosq; maxime, qui duabus istis belluinis voluptatibus sese dediderūt, grauissimi vitii vocabulis Græci appellant ἀκολάστους vel ἀκρατεῖς: nos eos vel incōtinētes dicimus, vel intēperātes. ἀκολάστους enim si interpretari coactius velis, nimis id verbū insolens erit. Istæ autē voluptates duæ gustus atq; tactus, id est, libidines in cibos atq; in venerē prodigæ, solæ sunt hominibus cōmunes cum bestiis: & idcirco in pecudū ferorūque animaliū numero habetur quisquis est his ferinis voluptatibus præuictus. Cæteræ ex tribus aliis sensibus proficiscentes, hominum esse tantum propriæ videntur. Verba super hac re Aristotelis philosophi adscripsi, vt vel authoritas clari atque incliti viri tam infamibus nos voluptatibus deterreret, Διὰ τί οἱ κατὰ τὴν τῆς ἁφῆς ἢ γεύσεως ἡδονὴν γιγνομένην ἂν ὑπερβάλλωσιν ἀκρατεῖς λέγονται; οἵ τε γὰρ περὶ τὰ ἀφροδίσια, ἀκόλαστοι, οἵ τε περὶ τὰς τῆς τροφῆς ἀπολαύσεις. τῶν δὲ κατὰ τὴν τροφὴν, ἀπ' ἐνίων μὲν ἐν τῇ γλώττῃ τὸ ἡδὺ, ἀπ' ἐνίων δὲ, ἐν τῷ λάρυγγι. διὸ καὶ Φιλόξενος γεράνου λάρυγγα εὔχετο ἔχειν. οἱ δὲ κατὰ τὴν ὄψιν καὶ τὴν ἀκοὴν οὐκέτι. ἢ διὰ τὸ τὰς ἀπὸ τούτων γινομένας ἡδονὰς κοινὰς εἶναι ἡμῖν καὶ τοῖς ἄλλοις ζῴοις. ἅτε οὖν οὔσας κοινὰς ἀτιμόταταί εἰσι. διὸ καὶ μάλιστα ἢ μόναι ἐπονείδιστοι. ὥστε τὸν ὑπὸ τούτων ἡττώμενον ψέγομεν, καὶ ἀκρατῆ, καὶ ἀκόλαστον λέγομεν, διὰ τὸ ὑπὸ τῶν χειρίστων ἡδονῶν ἡττᾶσθαι. οὐσῶν δὲ τῶν αἰσθήσεων πέντε, τὰ ἄλλα ζῷα ἀπὸ δύο μόνων τῶν προειρημένων ἥδεται. κατὰ δὲ τὰς ἄλλας ἢ ὅλως οὐχ ἥδεται, ἢ κατὰ συμβεβηκὸς τοῦτο πάσχει. ὁρᾷ γὰρ ὁρῶν, ἢ ὀσφραινόμενον χαίρει ὅτι ἀπολαύει, καὶ ὅταν πληρωθῇ, οὐδὲ τὰ τοιαῦτα ἡδέα αὐτῷ. ὥσπερ οὐδὲ ἡμῖν ἡ τοῦ ταρίχους ὀσμὴ ὅταν ἄδην ἔχωμεν τοῦ φαγεῖν. ὅταν δὲ ἐνδεεῖς ὦμεν, ἡδεῖα. ἡ δὲ τοῦ ῥόδου ἀεὶ ἡδεῖα. Quis igitur habens aliquid humani pudoris, voluptatibus istis duabus coeundi atque comedendi, quæ sunt homini cum sue atque asino communes, gaudeat? Socrates quidem dicebat multos homines propterea velle viuere, vt ederent & biberent: sese bibere atque esse, vt viueret. Hippocrates autem diuina vir scientia de coitu venerio ita existimabat: partem esse quandam morbi teterrimi, quem nostri comitialem dixere. nanque ipsius verba hæc tradūtur, τὴν συνουσίαν εἶναι μικρὰν ἐπιληψίαν.

Coitus venerius.

Maledico.

ASCEN. Qui maledicit. vna est dictio. In contraria autem significatione benedico Valla nō censet ponendum. Hanc sententiam graphice exponit Horatius Ser. lib.j. Saty.iiij. De capitolini furtis iniecta Petilli Te coram fuerit. defendes (vt tuus est mos) Me, Capitolinus conuictore vsus amicoque A puero est: causaque mea permulta rogatus Fecit: & incolumis lætor quòd viuit in vrbe. Sed tamen admiror quo pacto iudicium illud Fugerit, hic nigræ succus loliginis: hæc est Erugo mera.

Quod turpius est frigide laudari, quam acerbius vituperari. CAPVT III.

TVrpius esse dicebat Phauorinus philosophus exigue atque frigide laudari, quã insectanter & grauiter vituperari. Quoniã, inquit, qui maledicit & vituperat, quanto id acerbius facit, tam maxima mole pro iniquo, & inimico ducitur: & plerunque propterea fidem non capit. Sed qui infœcunde atque ieiune laudat, destitui a causa videtur: & amicus quidem creditur eius, quem laudare vult: sed nihil posse reperire, quod iure laudet.

Laudari frigide turpius, quam acriter vituperari.

ASCEN. Et elegãtiarum omne genus, pro omnis generis, aut ad omne genus. Aluo cita, scilicet ad egerendum, quod Galli dicunt in braccas cacare. Algificus. i. algorẽ. i. frigus faciens. Caldorẽque. i. & calorem. vnde videtur caldũ pro eo quod est calidũ recte dici. Mas. Quibus aluus it difficulter, dicũtur discœlii δυσκοίλιοι, κοιλία enim venter est. Inde procœlii qui vẽtre sunt prominẽtissimo. Inde & versus procœlius, de quo ante. Dysenteria est arteriarũ vlceratio & viscerũ perseuerãs ex causis externis, frigore, calore, potione, ciboque minus digesto. Estque voluntas egerẽdi inefficax, emittens interdũ aliquid sanguinis, & dicitur timesmus. Lyenteria dicitur leuitas intestinorum, & liquatio. Dysuria nõ prohibet omnino vrinam, sed cum difficultate effundit. Ischuria prorsus retinet. Stranguria paulatim emittit cum dolore.

Dyscœlii. Procœlii. Dysẽteria Lyenteria Dysuria. Ischuria. Stranguria.

¶ Quibus inuasit, alii quibus incessit, legunt.

Quamobrem venter repentino timore effluat. Quare etiam ignis vrinam lacessat. CAPVT IIII.

ARistotelis libri sunt, qui problemata physica inscribuntur, lepidissimi, & elegantiarũ omne genus referti. in his quærit, Quam ob causam eueniat, vt quibus * inuasit repentinus rei magnæ timor, plerũque aluo statim cita fiant. Item quærit, cur accidat vt eum, qui propter ignem diutius stetit, libido vrinæ lacessat. Ac de aluo quidem inter timẽdum prona atque præcipiti, causam esse dicit, quod timor omnibus sit algificus, quem ille appellat ψυχροποιητικὸν: quæ vis frigoris sanguinem caldoremque omnẽ de summa corporis cute cogat penitus & depellat, faciatque simul vti qui timent, sanguine ex ore decedente pallescant. Is autem, inquit, sanguis, & caldor in intima coactus mouet plerunque aluum, & incitat. De vrina crebra ex igni proximo facta, verba hæc posuit, τὸ δὲ πῦρ διαχαλᾷ τὸ πεπηγός, ὥσπερ ἥλιος τὴν χιόνα.

* Incessit.

Aluũ curcieat timor immodicus. Caldor qui calor.

ASCEN. In titulo, quia dicitur quòd niuis aqua potui pessima sit: legendum est, vt eiusdem sint tẽporis, & modi & quòd ex niue crystallus concreetur: aut concrescat. In tyburte. i. in regione tyburtina: nisi sit in tyburte pro eo quod est in tyburtinum rus. quod potius videtur, quia dicitur tyburs omnis generis, vt hic & hæc tyburtis & hoc tyburte. Vnice studiosissimus. Non placet locutio: quia enim vnice per se superlatiuam vim habet: malim dicere vnice studiosus. Sed hominibus potu nimio. aut ordo est, hominibus esse insalubrem nimio. i. vsque ad nimium: potu aut potui. i. dum potatur, aut quod minus placet esse insalubrem nimio potu. E bibliotheca tyburti. i. tyburtina. sed sicut nunc in ablatiuo adiectiue dixit tyburti: ita supra in tyburte rus. Inducias. i. remissiones aut dilationes, non belli, sed communicationis. Macrob. lib. vii. Saturna. hæc satis ingrate repetit, & ea quæ sequentis sunt capitis.

Vnice studiosissimus.

Ex Aristotelis libris sumptum, quod niuis aqua potui pessima sit, & quod ex niue crystallus concreetur. CAPVT V.

IN Tyburte rus concesseramus hominis amici diuitis, æstate anni flagrantissima, ego & quidem alii æquales & familiares mei, eloquentiæ & philosophiæ sectatores. Erat nobiscum vir bonus ex peripatetica disciplina bene doctus, & Aristotelis vnice studiosissimus. Is nos aquã multam ex diluta niue bibẽtes coercebat, seueriusque increpabat. adhibebat nobis authoritates nobilium medicorum, & cum primis Aristotelis philosophi, rei omnis humanæ peritissimi: qui aquam niualem frugibus sane & arboribus fœcundam diceret, sed hominibus potu nimio insalubrem esse, tabem & morbos sensim atque in diem longam visceribus inseminare. Hæc quidem ille ad nos prudenter, & beneuole, & assidue dictitabat. Sed cum bibendæ niuis pausa fieret nulla, promit e bibliotheca Tyburti, quæ tunc in Herculis templo satis commode instructa libris erat, Aristotelis librum, eumque ad nos affert: Et huius saltem, inquit, viri sapientissimi verbis credite, ac desinite valetudinem vestram profligare. In eo lib. scriptum fuit, Deterrimã esse potui aquam e niue: nanque solidius latiusque concretam esse eam, quam κρύσταλλον Græci appellant. Causaque ibi adscripta est huiuscemodi: Quoniam cũ aqua frigore aeris duratur, & coit, necessum est fieri vaporationem, & quandam quasi auram tenuissimam exprimi ex ea, & emanare. Id autem, inquit, in ea leuissimum est, quod euaporatur. manet autem quod est grauius & sordidius & insalubrius: atque id pulsu aeris verberatũ,

Vnice studiosissim. Aqua niualis homini nocua.

Crystallũ gigni.

in modum coloremque spumæ candidæ oritur. Sed aliquantum, quod est salubrius, dif flari atque euaporari ex niue, indiciũ illud est, quod minor fit illa, quæ ante fuerat quã concresceret. Verba ipsa Aristotelis ex eo libro pauca sumpsi, & adscripsi, Διατί τὰ ἀπὸ χιόνος καὶ κρυστάλλων ὕδατα φαῦλά ἐστιν; ὅτι παντὸς ὕδατος πηγνυμένου τὸ λεπτότατον διαπνεῖται, καὶ κουφότατον ἐξατμίζει. σημεῖον δὲ ὅτι ἔλαττον γίνεται ἢ πρότερον ὅταν τακῇ παγέν. ἐπεληλυθότος οὖν τοῦ ὑγιεινοτάτου, ἀνάγκη τὸ καταλειπόμενον χεῖρον εἶναι. Hoc vbi legimus, placuit honorem doctissimo viro habere Aristoteli: atque ita postea ego bellum & odiũ niui indixi: alii inducias cum ea varie factitabant.

ASCEN. In problematis. sic literatius paulo quàm in problematibus. Causa quam in fine quærit & non ponit videtur esse quòd sanguis in quo est vita laboranti membro succurrit, facies autem pudore, cor laborat metu.

Quod pudor sanguinem ad extera diffundit, timor vero contrahit. CAP. VI.

IN problematis Aristotelis philosophi, ita scriptum est, Διατί οἱ μὲν αἰσχυνόμενοι ἐρυθριῶσιν, οἱ δὲ φοβούμενοι ὠχριῶσι, παραπλησίων τῶν παθῶν ὄντων; ὅτι τῶν μὲν αἰσχυνομένων διαχεῖται τὸ αἷμα ἐκ τῆς καρδίας εἰς ἅπαντα τὰ μέρη τοῦ σώματος, ὥστε ἐπιπολάζειν. τοῖς δὲ φοβηθεῖσι συντρέχει εἰς τὴν καρδίαν ὥστ' ἐκλείπειν ἐκ τῶν ἄλλων μερῶν. Hoc ego Athenis cum Tauro nostro legissem, percunctatusque essem, quid de ratione ista reddita sentiret, Dixit quidem, inquit, probe & vere quid accideret diffuso sanguine aut cõtracto: sed cur ita fieret, non dixit. Adhuc enim quæri potest quam ob causam pudor sanguinem diffundat, timor contra hat: cum sit pudor species timoris, atque ita definiatur, Pudor est timor iustæ reprehen sionis. Ita enim philosophi definiunt, αἰσχύνη ἐστὶ φόβος δικαίου ψόγου.

ASCEN. Prædiolum. i. paruũ prædium. Cum ad eũ: pro apud eum, vt in Buco. Et formosus oues ad flumina pauit Adonis. Sane ad pro apud sæpe accipitur. Apud pro ad. i. vt significet tendentiã ad locum, nunquam. Vnde non dices accede apud me. Obesus si varia significat id fit virtute particulæ ob, per quam officiũ & officio fere contraria connotant. Vnde obesum corpus, aut vermibus & macie exesum: aut pingue, quasi ob esum immoderatũ. Memnonem. de quo Virgilius, Aut nigri Memnonis arma. Pudoricolor autem est qui vel quæ habet colorem rubicundum qualem pudor facit: Nocticolor qui nigrum. Silenta & pestilenta dicta per duram syncopen videntur: aut olim secundæ erant, pro quibus nunc per tertiam dicimus, silentia & pestilentia. Carendum tui etiam Terentius dixit. Manciolis illis, id est manibus: cum Mancioli & Mancinelli proprie sint manucapti. Quiescã siliceo. s. strato: id est, super silicem, aut in ciliceo, pro cilicio. i. piloso sago. Fiere pro fieri. Infit pro incipit. Onychino. i. quasi ex onyche. i. vngue. Subducti supercilii. i. acres & seueri. nam remissi & placidi supercilia demittimus. Addit Mas. Quòd Nestor fuerit di ctus trisæclisenex ostendit sic Ouidius, Iã tertia viuitur ætas. Vnde celebratur Nestoris senectus vt Tithoni. Hanc dictionem quòd placeret in horamate inserui cum sententia non inconcinna. Crede id quòd satis est laudatum protulit æuum: Quæ fessa æthereas ardet inire plagas. Tempora non longã faciunt longissi ma vitam. Non mensis, præceps hora vel annus iners: Sed morum probitas, sine labe intẽtio mentis. Peccatum mors est, veraque vita bonum. Quin male qui vixit nunquam vixisse fatebor: Qui bene, qui iuste, creditur ille diu. Ganeo, lurco, vorax, non fertur viuere semper. Qui iacet impura mente, Trisæclisenex.

Nestor tri sæclisenex

Quid sit obesum, nonnullaque alia prisca vocabula. CAPVT VII.

Iulius Paulus.

IN agro Vaticano Iulius Paulus, poeta, vir bonus, & rerum literarumque veterum impense doctus, prædiolũ tenue possidebat. Eo sæpe nos ad sese vocabat, & holusculis pomisque satis comiter copioseque inuitabat: atque ita molli quodam tempestatis autumni die, ego & Iulius Celsinus, cum ad eum cœnassemus & apud mensam eius audissemus legi Næuii Alcestin, rediremusque in vrbem sole iam fere occiduo, figuras habitusque verborum noue aut insigniter dictorũ in Næuiano illo carmine ruminabamur, & vt quæque vox indidẽ animaduerti digna subuenerat, qua nos quoque possemus vti, memoriæ mandabamus. Erant autem verba quæ tunc suppetebant, huiuscemodi,

Corpore, inquit, pectoreque vndique obeso,
Ac mente exsensa, tardigemulo senio oppressum.

Obesus. Obliterus Fœdifragus. Pudoricolor. Silenta.

Obesum hic notauimus proprie magis quã vsitate dictũ, pro exili atque gracilento. ἀκύρως ἢ κατ' ἀντίφρασιν, obesũ pro pingui atque vberi dicitur. Itẽ notauimus quod oblite rã gentẽ pro obliterata dixit. Itẽ quod hostes, qui fœdera frangerẽt, fœdifragos, non fœ derifragos dicit. Item quod rubentem auroram, pudoricolorem appellauit, & Memnonem nocticolorẽ. Itẽ quod forte dubitanter, & ab eo, quod est sileo, silenta loca dixit: &

pulverulenta,& pestilenta:& carendum tui est,pro te:quodque magno impete pro impetu.Item quòd fortescere posuit pro fortem fieri:quodque dolentiam pro dolore: & auens pro libens.Item curis intolerantibus pro intolerandis:quodque manciolis, inquit, tene illis,pro manibus:& quiescam siliceo.Item fiere, inquit, impendio infit. id est, impense fieri incipit:quodque accipitret posuit pro iaceret.His nos inter viam verborum Næuianorum adnotatiunculis oblectabamus . Cætera enim quæ videbantur nimium poetica, explosæ orationis vsu alieniora prætermisimus.veluti fuit quod de Nestore ait, trisecli senex,& dulcioriloquus. Item quòd tumidis magnisque fluctibus,inquit, multigrumis:& flumina gelu concreta,tegmine esse onychino dixit.& quæ multiplicia ludens cõposuit. quale illud est,quòd vituperones suos subducti supercilii carptores appellauit. Pestilenta. Carẽdum tui. Impete. Fortescere. Dolentia. Auens. Manciola. Siliceum. Accipitret. Triseclisenex. Dulcioriloquus. Vituperones.

ASCEN. Arena si pro elementi corpore capitur plurali recte caret,sicut cætera quorum partes totorum nomina vendicant.lutum,cœnum,panis.at si pro partibus,& quasi pro atomis,non caret. Cœlum si plurali caret: non idem est cum dicimus cœlos, sed est celandi instrumentum. sicut nec idem vis & vires.Poetarum pulcherrime: Non videtur apta compellatio quia doctrina non pulchritudo ab eo petitur, nisi pulchrum de omni honesto dictum velim.vt Satus Hercule pulchro. Et mœniis.nunc mœnibus dicimus.Sane pro œ u longum nunc sæpe ponimus,vt à mœnibus munio,à mœris olim,nunc muros,à pœna punio,à pœno punicum,sicut pro au o.vt explodo &c.Et in quadriga dicenda & in arena.Lego & in arenis.nam arenam dici sine vitio censuit.Classicus.i.probati census. hoc est receptæ doctrinæ, non proletarius.i.non vt infra censum homo solius prolis propagandæ causa reip.vtilis: sed propter eruditionem nobilis.Hæc quidem Fronto.de quo Martialis,Clarum militiæ Fronto decusque togæ.Et Iuuenalis,Frontonis platani conuulsaque marmora clamant. Non hoc dedit.i.dixit. vt in Buc. Attamen iste deus qui sit da tityre nobis.Da.i.dic aut da intelligere,sic hic:hoc dedit hoc est dixit,aut hoc sup.præceptum dedit.Sane vt quadrigam Varro:sic Bigam dixit Stathius Theba.i.Rorifera gelidum tenuauerat aera biga. Addidit Mas.Cic.primo epistolarum libro ait,Ad.xvi.Calendas febr.cũ in senatu pulcherrime staremus.i.grauissime,vt hic.Item apud Terentium.Forma pulchra.i.bona,ait interpres:sic potest hic dici.Hæc ille.Adde & illud Maronis,Satus hercule pulchro .i.bono & forti. Non eam inficias pulcherrime à Cicerone, pulcherrime staremus dictum:& aptius quàm si grauissime dixisset.nam id mihi significat quod est cum summo honore,summaque gloria.Hic autem pulcherrime mihi nomen est, vt sit o tu pulcherrime.i.optime, hoc est peritissime poetarum.Nam poetam iam dixerat,& bonum pro perito , & docto dixit etiam Maro. Cur non Mopse boni , quoniam conuenimus ambo. si ergo vt iam dixi pulcherrime pro optime, & optime pro peritissime dixit,ille dixit minus tamẽ vsitate. Addit Mase.Architrenium bigam numero singulari dixisse,& in quo errauit priore breui.Sed idem etiam in aliis hallucinatus est etiam plusculis, quocirca parum receptæ authoritatis est,amœno tamen ingenio præditus. sed infelici seculo si ad literas spectes natus. Arena. Cœlum. Do.

Quæstio an arena,cælum,triticum pluralia inueniantur atque inibi de quadrigis,inimicitiis, nonnullis præterea vocabulis,an singulari numero cõperiantur. CAP. VIII.

ADOlescentulus Romæ prius quàm Athenas concederem, quando erat à magistris auditionibusque obeundis ocium , ad Frontonem Cornelium visendi gratia pergebam,sermonibusque eius purissimis,bonarumque doctrinarum plenis fruebar.Nec vnquam factum est,quoties eum vidimus, loquentemque audiuimus , quin rediremus fere cultiores doctioresque. Veluti fuit illa quodam die sermocinatio illius,leui quidem de re,sed à latinæ tamen linguæ studio non abhorrens.Nam cum quispiam familiaris eius,bene eruditus homo, & tum poeta illustris,liberatum se esse aquæ intercutis morbo diceret, quòd arenis calentibus esset vsus:tum illudens Fronto,Morbo quidem,inquit,cares,sed verbi vitio non cares.C.enim Cæsar ille perpetuus Dict.Cn.Pompeii socer,à quo familia & appellatio Cæsarum deinceps propagata est , vir ingenii præcellentis , sermonis præter alios suæ ætatis castissimi , in libris quos ad Marcum Ciceronem de Analogia conscripsit, arenas vitiose dici existimabat , quòd arena nunquam multitudinis numero appellanda sit, sicuti neque cœlum , neque triticum . Contra autem quadrigas , etiam si currus vnus equorum quatuor iunctorum agmen vnum sit , pluratiuo semper numero dicendas putat : sicut arma , & mœnia , & comitia , & inimicitias . ni quod contra ea dicis , poetarum pulcherrime , quo & te purges , & non esse id vitium demonstres . De cœlo , inquit , ille & tritico non inficias eo , quin singulo semper numero dicenda sint: neque de armis, & mœniis, & comitiis quin figura multitudinis perpetua censeantur. videbimus autem post de inimicitiis , & quadrigis , ac fortasse an de quadrigis veterum authoritati concessero. Inimicitiam tamen, sicut inscientiam , & impotentiam, & iniuriam, quæ ratio est , quamobrem C . Cæsar vel dictam esse à veteribus , vel dicendam à nobis non Frontonis laus. Cares morbo & vitio. Plurali carentia. Arena. Cælum. Triticum. Singulari carentia. Quadrigæ. Mœniis.

Delicia. putat, quando Plautus linguæ latinæ decus, deliciam quoque ἑνικῶς dixerit pro deliciis? Mea, inquit, voluptas, mea delicia.

Inimicitia. Inimicitiam autem Q. Ennius in illo memoratissimo lib. dixit,

Eo, inquit, ingenio natus sum, amicitiam
Atque inimicitiam in fronte promptam gero.

Sed enim arenas parum latine dici, quis (oro te) aut alius scripsit, aut dixit? Ac propterea peto, vt si C. Cæsaris liber præ manibus est, promi iubeas, vt quàm confidenter hoc dicat, æstimari à te possit. Tū prolato libro de Analogia primo, verba hæc ex eo pauca memoriæ mandaui. Nam cum supra dixisset, neque cœlum, triticumve, neque arenam multitudinis significationem pati: Num tu, inquit, harum rerum natura accidere arbitraris, quòd vnam terram & plures terras, & vrbem & vrbes, & imperium & imperia dicamus, neque quadrigas in vnam nominis figuram redigere, neque arenam in multitudinis appellationem conuertere possimus? His deinde verbis lectis sibi, Fronto ad illum poetam, Videturne tibi, inquit, C. Cæs. de statu verbi contra te satis aperte, satisque constanter pronunciasse? Tunc permotus authoritate libri poeta, Si à Cæsare, inquit, ius prouocandi foret, ego nunc ab hoc Cæsaris libro prouocassem. Sed quoniam ipse rationem sententiæ suæ reddere supersedit: nos te nunc rogamus, vt dicas, quam esse causam vitii putes, & in quadriga dicenda, & in arenis. Tum Fronto ita respondit, Quadrigæ semper, etsi multiiugæ non sunt, multitudinis tamen tenentur numero: quoniam quatuor simul equi iuncti quadrigæ, quasi quadriiugæ vocantur: neque debet prorsus appellatio equorum plurium includi in singularis numeri vnitatem. Eandem quoque de arena rationem habendam, sed in specie dispari. nam cum arena singulari numero dicta multitudinem tamen & copiam significet minimarum, ex quibus constat, partium, indocte & inscite arenæ dici videntur, tanquam id vocabulum indigeat numeri amplitudine, cum ei singulariter dici ingenita sit naturalis sui multitudo. Sed hæc ego, inquit, dixi, non vt huius sententiæ legisque fundus, subscriptorque fierem: sed vt ne Cæsaris viri docti opinionem, ἀπαραμύθητον destituerem. nam cum cælum semper ἑνικῶς dicatur, mare & terra non semper, & puluis, ventus, & fumus non semper: cur inducias & cerimonias scriptores veteres nonnunquā singulari numero appellauerunt, ferias & nundinas, & inferias & exequias nunquam?

Lac. Cur mel & vinum, atque id genus cætera numerum multitudinis capiunt, lac non capiat? Quæri, inquam, ista omnia, & enucleari, & excudi ab hominibus negociosis in ciuitate tam occupata non queunt: quin his quoque ipsis, quæ iam dixi, demoratos vos esse video, alicui (opinor) negocio destinatos. Ite ergo nunc, & quando forte erit ocium, quærite an quadrigam & arenas dixerit è cohorte illa duntaxat antiquiore, vel oratorum aliquis, vel poetarum, id est classicus, adsiduusque aliquis scriptor, non proletarius. Hæc quidem Fronto requirere nos iussit vocabula, non ea re (opinor) quòd scripta esse in illis veterum libris existimaret: sed vt nobis studium lectitandi in quærendis rarioribus verbis exerceret. Quod vnum ergo rarissimum videbatur, inuenimus quadrigā numero singulari dictam in libro Satyrarū Mar. Varronis, qui inscriptus est Exdemetricus. Arenas autem πληθυντικῶς dictas minore studio quærimus, quia præter C. Cæsarem (quod equidem meminerim) nemo hoc doctorum hominum dedit.

Classicus scriptor.

Quadriga

Tusculum ASCEN. Cœnam dabat in Tusculo. aptius alii legunt in Rusculo: non solū quia præponitur in præpositio, quæ propriis loci præponi non solet, sed quòd in terra græcia verosimile est id symposii celebratū cum rex ipse è terra fuerit Asia, & sympotæ fere græci, & carmina primū græcanica, licet conuiuæ etiam latine scirent. Verū quia Iulianus Romæ docebat & agebat, vt patet lib. xviii. cap. v. non negē rusculū hoc in Italia fuisse, & Asiaticū cum familia Romam concessisse, vt ad nos Ianum Lascarim. Non tamen continue legam in Tusculo cum Maserio, qui Tusculum inquit latii oppidum, vnde Cato duxit originem, & vnde quæstiones Ciceronis Tusc. nomen sumpserunt: nec te moueat præcedens præpositio: id enim sepiuscule fieri solet. Hactenus ille. Celebrādæ lucis annuæ. sup. gratia. i. diei natalis, in quo Veneri & Genio ethnici indulgebant. vnde est illud in Buco. Phyllida mitte mihi meus est natalis Iolla. Et cœna Herodis quæ præcursori domini exitiosa fuit. Principem. i. primam vitæ, scilicet inter homines: Nam prius in vtero vixerat. Hispano ore. non dicit ad cōtumeliam, vt Philelphus de Quintiliano declamatore quòd sapiat hispanitatem quandam, sed potius ad commendationem: Nam confines sæpe suauius ac completius pronunciant quàm in regione ipsa geniti vt Theophrastus Atticam, & Belga Gallicam, quam Francicam vocant, id eoque addit: Florētisque homo facūdiæ. In hoc quoque Maserius sic. Hoc dictū pulchre, sed id nō est quo velimus innuere notatam Hispanorū barbariem, sed vide quid sequitur, tanquā prorsus barbarū & agrestem, qui terra foret Hispania clamatorque &c. Sed & historicus nobilissimus Sallustius de Hispanis

Pisonem Romanũ Proprætorem proficiscentem in Hispaniã crudeliter interfecerunt ait. Sunt qui ita dicunt imperia eius iniusta,superba,crudelia,barbaros nequisse pati.Quin & Ioannes Baptista Pius falso putans Quintilianum esse Hispanũ tandẽ subiungit,nihil in aureo eius volumine esse quod Bethicũ resonet. Hoc si exponis necesse est dicere barbarũ.Nam addit,sed merũ atticismum & puram latinitatem. Et ipse Gellius cap.xxii.lib.xv.ait.Ea quoque hominũ barbarorũ crudelitas de Hispanis loquens. Hæc Maserius. Ad quæ si ab Hispanis starẽ id primum respondere,quod dixit:vide quid sequitur,vide quid præcedit.Tũ græci plusculi Iulianũ rhetorẽ lacessere insectarique adorti sunt,tanquã prorsus barbarum & agrestẽ &c. quibus verbis Gellius manifeste indicat id iniuria,& æmulatione quadã à iuuenibus factum , qua fortassis nunc Maserius in Hispanos mouetur.Sallustius autẽ non de lingua,sed de moribus sic loquitur vt grauius Proprætorẽ quàm Hispanos taxet.quis enim populus tam clementi humanoque immo demisso ingenio, qui domini ab hostibus missi imperia,iniusta,superba,crudeliaque ferat? Neque id in Hispanos modo,sed in quoscunque latinorũ canunt historiæ,vt si quid durum relatum fuerit, barbaros clamitent. Quod vero Pius affert totum à me stare dignoscitur.nã licet putarit Quintilianum Hispanũ,nihil tamen in eius oratione bethicum.i.vt interpretari vult barbarũ inuenitur:significans hominẽ Hispanũ posse mere latine loqui:quod de Martiale,Lucano, Seneca,quis non fatetur:quod & ipse de Budæo nostro Gallo,& Erasmo Roterodamo prædicare nõ verear,alioqui si nullus extra Latiũ ortus latine loquatur: quid tantopere latinas sectamur literas?Quinetiã Gellius hic dicit latinã linguã Iuliano patriã,nullũ discrimen linguæ inter Hispanos & Italos ponens.Dico igitur,vt prius,quòd ex sentẽtia sua dixit Gellius:Hispano ore florentisque hominẽ facundiæ,nõ esse ad contumeliã dictũ:quod autẽ postea addunt græci iuuenes in Iulianũ, id eorum æmulationi permittendũ.Porro quod Gellius ipse de Hispanis dicit: Eaque hominũ barbarorum credulitas Sertorio in magnis rebus magno vsui fuit &c.Nihil Hispanorum facundiæ detrahit,sed ne moribus quidẽ immo religionis male persuasæ gloriã addit.Licet enim barbari.i.feroces & bellicosi, tamen persuaderi poterant Ceruam à Diana Sertorio missam rei bene gerendæ authorẽ fuisse,quo nomine laudatur eorum ad religionem propensior animus:Sed finem facio.Addit Maserius.Cum dicitur,Et inquies suauitate &c.Inquies substantiuũ est.Plin.Ex ebrietate inquies fit nocturna,& opponitur quieti. Vbi eduliis finis.hoc Maro Aenei.primo sic:Postquã exempta fames epulis &c.Quos & quidẽ.lego cum vetusta impressione,quos equidem.Hos autẽ versiculos Anacreontis,aut potius alios, Petrus Crinitus lib.ix.cap. iiii.de honesta disci.aliter recitat,vt apud eum videre est:& exponit sic. Non mi cupio aurũ non diuites diuitias:Non sceptra curo minitantium principum.Nil ad me triumphantes cũ decoris fascibus. Nil instructæ acies armis præfulgentibus.Mihi est viuendum teneris in amoribus . Mi sunt delitiæ & suaue olentia suauia.Viuamus hodie,viuamus dum licet:Lætique carpamus quicquid est boni. Liber nunc crines liquidis perfundere odoribus,Interque iocos agere & lepidas Veneres. Sequentẽ partem Gellius recitat, quã Crinitus sic vertit.Quin tu age Vulcane potens,mulciber ignee:Excude mi amplum,insigne argenteum Cymbium.Inque eo non mi astra non Bootem,non Pleiadas, Non Martem ferreum , non cruenta prælia.Quid cum sideribus,cum Marte,cum bellis mihi? Sed intus cude Bromium vino madidum. Vitesque molles & frondenteis palmites.Racemosque,& fluenteis virideis hederas, Amoremque spirantem calores vndique . Tanquam prorsus barbarum . Id minime sentit Gellius , sed Græci immodici semper gentis suæ admiratores.Et Cinna cuius meminit in Bucol.Maro.Nam neque adhuc Vario videor nec dicere Cinna Digna.Cõuelato capite.sic Apul.in.ix.Meta.Asi.Laciniaque cõtegens faciem sic ait præ pudore.i. faciem cooperuit vt liberius amorem explicaret.Sicque apud Platonem Socrates orationem parum castas habiturus pallio caput operuit . Duplo ideo pereo.quia amor ignis est,ignis autem coactus in angustum fortius ardet.In multis horum versuum dictionibus litera s sic perit vt vocalẽ breuem relinquat, vt in opus.candidus.Ibimus & Venus.Sane vbi legitur,videre propaginis agnum,Quintianus legit,teneræque propaginis,quod cum cæteris magis quadrat,vt sit,O custodes ouium,& agnum pro agnorum propaginis teneræ.Quæritis,id est si quæritis ignẽ,ite pro venite huc,id est ad me.Ignis homo est. sic in Buco.At mihi sese offert vltro meus ignis Amyntas. Baptista pius in Pseudol. Plauti hos versus ex græcis citat & exprimit.Vltimus Anacreontis sonat,Amorem & Bathyllum,nisi sit βάθυνον. *Inquies.*

Antonii Iuliani in conuiuio ad quosdam Græcos lepidissima responsio. CAP. IX.

A Dolescens e terra Asia de equestri loco,lætæ indolis, moribusque & fortuna bene ornatus,& ad rem musicam facili ingenio ac libenti , cœnam dabat amicis ac magistris in rusculo celebrãdæ lucis annuæ,quam sibi principem vitæ habuerat. Venerat tum nobiscum ad eam cœnam Antonius Iulianus,rhetor,docendis publice iuuenibus magister,Hispano ore,florentisque homo facundiæ,& rerum literarumque veterum peritus. Is , vbi eduliis finis & poculis,mox sermonibusque tempus fuit,desiderauit exhiberi, quos habere eum adolescentem sciebat scitissimos vtriusque sexus, qui canerent voce, & qui psallerent . Ac posteaquam introducti pueri puellæque sunt , iuuenũque in modum ἀνακρεόντεια pleraque,& sapphica,& poetarum quoque recentium ἐλεγεῖα quædam ἐρωτικὰ cecinerunt. Oblectati autem sumus præter multa alia versiculis lepidissimis Anacreontis senis: quos equidem scripsi,vt interea labor hic vigiliarum, & inquies suauitate paulisper vocum atque modulorum adquiesceret,

De loco.

Antonius Iulianus Rhetor ore Hispano.

Anacreontis versiculi, quos Crinitus lib.ix.cap.iiii. scite vertit.

τὸν ἀργυροῦν τορεύσας
Ἥφαιστέ μοι ποίησον:
πανοπλίας μὲν οὐχί.
τί γὰρ μάχαισι κἀμοί;
ποτήριον δὲ κοῖλον
ὅσον δύνῃ βαθῦνον.
καὶ μὴ ποίει κατ' αὐτὸ
μήτε ἄστρα, μήτ' ἁμάξας.
τί πλειάδων μέλει μοι;
τί δὲ ἀστέρος βοώτεω;
ποίησον ἀμπέλους μοι,
καὶ βότρυας κατ' αὐτὸ,
καὶ χρυσέους πατοῦντας
ὁμοῦ καλῶς λυαίῳ,
ἔρωτα καὶ βάθυλλον.

Tum Græci plusculi, qui in eo cõuiuio erant, homines amœni, & nostras quoque literas haud incuriose docti, Iulianum rhetorẽ lacessere insectarique adorti sunt, tãquam prorsus barbarum & agrestẽ, qui ortus terra Hispania foret, clamatorque tantũ, & facũdia rabida iurgiosaque esset: eiusque linguæ exercitationes doceret, quæ nullas voluptates, nullamque mulcedinẽ Veneris atque musæ haberet. sæpeque cum percunctabantur, quid de Anacreonte, cæterisque id genus poetis sentiret: & ecquis nostrorũ poetarum tam fluentes carminum delicias fecisset: nisi Catulus, inquiunt, forte pauca, & Caluus itidem pauca. nam Næuius implicata, & Hortensius inuenusta, & Cinna illepida, & Memmius dura, ac deinceps omnes rudia fecerunt atque absona. Tũ ille pro lingua patria, tanquã pro aris & focis, animo iritato indignabundus, Cedere equidẽ, inquit, vobis debui, vt in tali ἀσωτίᾳ artiũ nos vinceretis. & sicut in voluptatibus cultus atque victus, ita in cãtilenarum quoque multis anteiretis. Sed ne nos. i. nomen latinũ, tãquam profecto vastos quosdã, & insubidos, ἀναφροδισίας condemnetis, permittite mihi quæso operire pallio caput, quod in quadam parum pudica oratione Socratem fecisse aiunt: & audite, ac discite nostros quoque antiquiores ante eos, quos nominastis, poetas amasios ac venerios fuisse. Tum resupinus, capite conuelato, voce admodum quam suaui versus cecinit Valerii Aeditui veteris poetæ, item Porcii Licinii, & Q. Catuli, quibus mũdius, venustius, limatius, pressius Græcum latinumve nihil quicquã reperiri puto.

Aeditui et Porc. Licinii versus.

Versus sunt AEditui,

Dicere cũ conor curã tibi Pamphila cordis,
Quid mi abs te quærã? verba labris abeũt.
Per pectus miserũ manat subito mihi sudor.
Si tacitus, subidus, duplo ideo pereo.

At item alios versus eiusdem addidit, non hercle minus dulces quam priores,

Q. Catuli versus.

Quid faculã præfers phileros, q̃ nil opus nobis?
Ibimus, hic lucet pectore flamma satis.
Istam non potis est vis sæua extinguere venti,
Aut imber cœlo candidus præcipitans,
At contra hunc ignem Veneris, si non Venus ipsa
Nulla est, quæ possit vis alia opprimere?

Item dixit versus Porcii Licinii hosce,

Custodes ouiũ teneræq; propaginis agnũ,
Quæritis ignẽ? ite huc q̃ritis? ignis hõ est.
Si digito attigero, incẽdã syluã simul oẽm
Omne pecus flãma est, omnia quæ video.

Q. Catuli versus illi fuerunt,

Aufugit mi animus, credo (vt solet) ad Theotimum
Deuenit. sic est, perfugium illud habet.
Quid si nõ interdixẽ ne illuc fugitiuũ
Mitteret ad se intro, sed magis eiiceret?
Ibimus quæsitum. verũ, ne ipsi teneamur,
Formido. quid ago? da Venus cõsiliũ.

Formido.

ASCEN. Pedes ægrũ: græca est figura qua poetis vti nõ historiographis nec oratoribus cõcederet Valla. at pedibus ægrum in Sallustio legit. Orator autẽ diceret, pedibus ægris. Ire visere, per regulã Aequiualens geminis. Nam visere est visum ire: vnde redundat ire. Nec satis latine dictum videtur: immo potius græce, ire visere: sicut vado piscari. In sympodio graciensi. Petrus Crinitus lib.ii.cap.iii. legit scimpodio dicens, Scimpodium est sellæ genus apud veteres, quod in græcia frequẽs fuit. vnde illud Gellius græciẽse appellauit. Cælius quoque lib.xiiii.cap.lviii. idẽ sentit sic scribens. Obseruatum & in eiusdẽ Iulii Thesauris: super quibus accumbamus: domini κλίνας, κλινίδας, κλινίδια: hoc est, lectos, lectulosve, atque item scimpodas. Hoc vero postremũ etiam scimpodion appellari diminuta forma in Athenæo legimus. Nam apud Gelliũ in synceris codicibus ita adnotatũ inuenimus. Atque ibi qui intromissi sumus, offendimus eũ cubantẽ in scimpodio græciensi. Apud Aristophanem ἱερὸν σκίμποδα reperies in Nebulis, vel pro philosophorũ sella, vel pro lectulo. Inueni apud Græcos qui scribãt scimpodion signare τὸ χωλοκράββατον. i. claudum grabbatum. Nam apud vetetes σκιμβάζειν claudicãdi notionem habet. Hæc illi: sicque restitui. Quid sit motus. lego qui sit notus huiusce versus sensus, quem non explicat Gellius, sed Ennius satis: quia enim addit vitã, videtur semper aliquid aut addendũ, aut subaudiendum. sensus itaque est: viuitur præter propter vitam. i. præter ea propter quæ vita expetenda est, vt scilicet deo seruiamus & reip. vtiles simus. vnde est illud Iuuenalis, Magnum crede nefas animam præferre pudori: Et propter vitam viuendi perdere causas. Cum autem adagialiter dicitur: & præter propter. i. vltra necessaria &c. vt sit præter. i. vltra, propter. i. id propter quod fieri debeat, vt sint requisita non ad esse sed ad bene esse, & ornatum.

Scimpodium.

Verba hæc præter propter, in vsu vulgi prodita, etiam Ennii fuisse.

CAPVT X.

Emini me quondam, & Celsinū Iulianum Numidā ad Frontonem Cornelium pedes tunc grauiter ægrum ire visere. atque ibi qui introducti sumus, offendimus eum cubantem in scimpodio græciensi, circunundique sedentibus multis, doctrina, aut genere, aut fortuna nobilibus viris. Adsistebant fabri ædium complures balneis nouis moliendis adhibiti, ostendebantque depictas in membranulis varias species balnearum. ex quibus cum elegisset vnam formam speciemque veris: interrogauit, quantus esset pecuniæ conspectus ad id totum opus absoluendum. Cūque architectus dixisset, necessaria videri esse HS ferme trecenta: vnus ex amicis Frontonis, Et præter propter, inquit, alia quiquaginta. Tum Fronto dilatis sermonibus, quos habere de balnearum sumptu instituerat, aspiciens ad eum amicum, qui dixerat quinquaginta esse alia præter propter: atque ille amicus, Non meum, inquit, hoc verbum est, sed multorum hominum, quos loquentes id audias. Quid autem id verbum significet, non ex me, sed ex grammatico quærendum est. ac simul digito demonstrat grammaticum haud incelebri nomine Romæ docētem, sedentem. Tum grammaticus, vsitati peruulgatique verbi obscuritate motus; Quærimus, inquit, quod honore quæstionis minime dignum est. Nam nescio quid hoc prænimis plebeium est, & in opificum sermonibus quamnotius. At enim Fronto iam voce atque vultu intentiore: Ita ne, inquit, magister dehonestum tibi deculpatumque hoc verbum videtur, quo & M. Cato, & M. Var. & pleraque ætas superior, vt necessario & latino vsi sunt? Atque ibi Iulius Celsinus admonuit in tragœdia quoque Q. Ennii, quæ Iphigenia inscripta est, id ipsum de quo quærebatur scriptum esse: & a grammaticis cōtaminari magis solitum, quam enarrari. Quocirca statim proferri Iphigeniam Q. Ennii iubet. In eius tragœdiæ choro inscriptos esse hos versus legimus,

Pedes ægrum

Scimpodium.

Præter propter.

Ocio qui nescit vti, plus negocii habet,
Quam cum est negocium in negocio.
Nam cui quod agat, institutum est: nullo negocio
Id agit, studet ibi, mentem atque animum delectat suum.
Ocioso initio animus nescit quid velit.
Hoc idem est. neque domi nunc nos, nec militiæ sumus.
Imus huc, hinc illuc: cum illuc ventum est, ire illinc lubet.
Incerte errat animus: præter propter vitam viuitur.

Ocii vsus.

Hoc vbi lectum est, tum deinde Fronto ad grammaticum iam labantem. Audisti ne, inquit, magister optime Ennium tuum dixisse præter propter: & cum sententia quidē tali, quali seuerissimæ philosophorum esse obiurgationes solent? Petimus igitur dicas (quoniam de Enniano iam verbo quæritur) qui sit notus huiusce versus sensus,

Incerte errat animus: præter propter vitam viuitur.

Et grammaticus sudans multum, ac rubens multum, cum id plerique prolixius riderent, exurgit: & abiens, Tibi, inquit, Fronto postea vni dicam, ne insicitiores audiāt ac discant, atque ita omnes relicta ibi quæstione verbi, consurreximus.

ASCEN. Dignantur, passiue, quasi dicas dignificātur: vt æneid. iii. Cōiugio Anchisa Veneris dignate superbo. Qui quoniā &c. Vsitatius modo loquaris si dicas quos. sed veluti dicēdo quos, subaudiat ipsi ita dicēdo q, ipsos. Cucurrit ad labias? Antique, vt Cato, cæterique locuti sunt. Mase. Macrobius vt omniū ingratissimus, hoc Platonis carmen amatoriū in. ii. Saturn. citat: sed in quibusdam locis inuertitur iambici dimetri natura, aut si mauis tetrametri: nam vtrūque dici potest, cum ex duobus dimetris constare dicatur tetrameter versus. Præterea lego, Anima tunc ægra & saucia. Nec Gelliano, nec Macrobiano credēdum est codici corrupto. Nec fit synalœpha in versiculo, Rictūque oris peruiū: quod sæpe apud Plautū & Terentiū inuenies. Erit forte qui leget quoque: sed id nō est opus. Macrobianus codex habet itiner. Gellianus itineri: si hoc recipis fiet synalœpha: sin illud nequaquā. Leges autē vtrūuis. Nam vtraque dictio est latina. Iuxta illud a Nestore citatū: Fecit & ignotis itiner cōmercia nobis. Et satis cohæret sibi sensus. Macrobianus codex habet, trāsiret: facitque finē versus iābici tetrametri in dictione rimata: vbi est lapsus intolerandus. Versus itaque sic cōstitue, vt rimata versus principium faciat, & recipiatur trāsiliret. Ad hoc versus sequens ita fœde laceratur, Tū si moræ qd fuisset plusculæ, vt sequēter extra ordinē amatoriē congredientes: quare Gellianū præpono. nisi cū perperam legitur, Et mira prorsum res maneret. cū Macrobiano nāque admitto fieret, nec obest in versiculo iābico trimetro finis ex tribracho. Nā & Seneca in Hercule furēte dixit, Vt sæpe puppes æst⁹ inuitas recipit: vt ante notaui, cū ageret de versu quadrato in. xxix. ca. li. ii. Et si facis iābicū tetrametrū: tunc oīs tollitur scrupulus. Ex vltimo versiculo nō tolles m per ellipsim. Nec

me præterit versum iambicũ fieri sæpe hypercatalecticũ.sed verbũ fieret sentẽtiæ cõgruit. Nã siquis maneret,vellet pertinaciter admittere,aut dictionẽ aliã trisyllabã: videat nũ sensui cohærẽtius manaret admiscebitur.Hoc sane nõ dubiũ si amatorie rẽ trãsigis:At nõ placet,quãdo præcedẽs producitur in mano manas,quæ breuis est in maneo.Quòd autem Gellius dixit versiculos, videtur mihi sub puriori forma iãbici dimetri.nã & nouissimus fieri nõ potest tetrameter,difficultas tamẽ tenuis.potest nãque sentẽtia esse perfecta,& imperfectus tetrameter versus.Hæc Maserius, qbus fere assentior.Primũ in hoc quod dixi parui referre dimetri an tetrametri numerentur,quia possunt quaterni pedes dimetrũ,& octoni tetrametrũ constituere.Placẽtque rationes,quare potius dimetri dicãtur.Verũ quod supra scripsit.Nec obest in versiculo iãbico trimetro,puto pro dimetro scripsisse, dimetrumque reposuissem,nisi quẽ citat ex Seneca trimeter esset.Placet legatur,Anima tunc ægra & sautia,item & mira prorsum res fieret,nisi magis quadret foret. verũ vbi dicit citra synalœphen & ellipsim locutum,non recipio,nam versum priorem sic lego, Orisque rictum peruium:posteriorem sic,Ad puerum intus vt viuerẽ,in quo concinne satis particula vt repetitur.

Ponit versus Platonis amatorios,quos admodum iuuenis lusit dum tragœdiis contendit. CAPVT XI.

Platonis versiculi.

Celebrantur duo isti græci versiculi, multorumque doctorum hominum memoria dignãtur,quod sint lepidissimi,& venustissimæ breuitatis. Neque adeo pauci sunt veteres scriptores, qui eos Platonis esse philosophi affirmant:quibus ille adolescens luserit, cum tragœdiis quoque eodem tempore faciendis præluderet,

τὴν ψυχὴν Ἀγάθωνα φιλῶν ἐπὶ χείλεσιν ἔσχον.
ἦλθε γὰρ ἡ τλήμων,ὡς διαβησομένη.

Amicus meus οὐκ ἄμουσος adolescens, in plures versiculos licentius liberiusque vertit: qui quoniam mihi quidem visi sunt non esse memoratu indigni,subdidi,

„ Dum semhiulco sauio — Meum puellum suauior,
„ Dulcemque florem spiritus — Duco ex aperto tramite:
„ Anima tunc ægra & saucia — Cucurrit ad labias mihi,
„ Orisque rictum peruium, — Et labra pueri mollia
„ Rimata itineri transitus — Vt transiliret nititur.
„ Tum si moræ quid plusculæ — Fuisset in coitu osculi,
„ Amoris igni percita — Transisset,& me linqueret.
„ Et mira prorsum res fieret, — Ad me fierem vt emortuus.
„ Ad puerum intus vt viuerem.

Stolones.

ASCEN. Contra apathian.i.indolentiã,aut nõ passionẽ.Stoicorũ.i.quã Stoici cõstituunt in sapiẽte. Alacritatibus.i.prõptitudinibus.Bonas indoles.i.inolitas & innatas ad bene faciendũ inclinationes & naturas.Raro tamen pluraliter legas indoles. Venisse vsu.i.vsuuenisse.i.frequẽter cõtigisse.Stolones sunt fruticationes & pullulatiões inutiles,quasi stolide obnascẽtes.MASE. Apathiam recte transfert interpres, aliud est apastia.i.abstinẽtia à cibis:vnde in horamate nostro,Illinc fata ciens stringebat apastia fauces.

Dissertatio Herodis Attici super vi & natura doloris:suæque opinionis affirmatio per exemplum indocti rustici qui cum rubis fructiferas arbores præcidit. Cap.XII.

Herodem Atticum Consularem virum Athenis differentem audiui græca oratione,in qua fere omnis memoriæ nostræ vniuersos grauitate atque copia,& elegantia vocum longe præstitit.Disseruit autem contra ἀπάθειαν Stoicorum,lacessitus a quodam Stoico,tanquã minus sapienter, & parum viriliter dolorem ferret ex morte pueri quẽ amauerat.In ea dissertatione quantulum memini huiuscemodi sensus est, Quod nullus vsquam homo, qui secundum naturam sentiret & saperet,affectionibus istis animi,quas πάθη appellabat,ægritudinis,cupiditatis,timoris,iræ,voluptatis carere & vacare totis posset, & omnino non dolere.atque si posset etiam obniti vt totis careret, non ex re id esse melius : quoniam langueret animus,& torperet affectionum quarundam adminiculis, vt necessario plurimũ imperio priuatus.Dicebat enim sensus istos,motusque animi,qui cũ immoderatiores sunt,vitia fiunt,innexos implicatosque esse vigoribus quibusdã mentiũ & alacritatibus.Ac propterea si omnino omnes eos imperitius cõuellamus,periculũ esse,ne eis adhærẽtes,bonas quoque & vtiles animi indoles amittamus.Moderãdos esse igitur, & scite cõsiderateque purgãdos cẽsebat,vt ea tãtũ, quæ aliena sunt, cõtraque naturã viderentur,& cum pernicie agnata sunt,detrahantur:ne profecto id accidat, quod cuipiam Thracio insipienti & rudi,in agro,quẽ emerat,procurãdo venisse vsu fabula est, Homo Thracius,inquit,ex vltima barbaria,ruris colẽdi insolens,cum in terras cultiores hu-

manioris vitæ cupidine commigrasset: fundum mercatus est olea atque vite consitum. qui quia nihil admodum super vite aut arbore colenda sciret, videt forte vicinum rubos late atque alte obortas excidentem: fraxinos ad summum prope verticem deputantem: soboles vitium è radicibus caudicum super terram fusas reuellentem: stolones in pomis, aut in oleis proceros atque decerptos amputantem. acceditque prope, & cur tantam ligni atque frondium cædem faceret, percunctatus est. Et vicinus ita respondit, Vt ager, inquit, mundus purusque fiat, eiusque arbor atque vitis fœcundior. Discedit ille à vicino gratias agens, & lætus, tanquam adeptus rei rusticæ disciplinam. tum falcem ibi ac securim capit, atque ibi homo miser imperitus vites suas sibi omnes & oleas detruncat: comasque arborum lætissimas, vberrimosque vitium palmites decidit: & fruteta atque virgulta simul omnia pomis frugibusque gignendis felicia, cum sentibus & rubis purificandi agri gratia conuellit: mala mercede doctus audaciam, fiduciamque peccandi imitatione falsa eruditus. Sic, inquit, isti apathiæ sectatores, qui videri se esse tranquillos, & intrepidos, & immobiles volunt: dum nihil cupiunt, nihil dolent, nihil irascuntur, nihil gaudent, omnibus vehementioribus animi officiis amputatis, in corpore ignauæ & quasi eneruatæ vitæ consenescunt.

ASCEN. Hoc capite defenditur nanos posse ab aliis quoque dici: & quibusque rebus pusillis attribui: nam bigas nanas dicit quòd equis pusillis traherentur: salicta nana quòd salices parum excreuerant. Pro nanus scribitur interdum gnanus sicut pro nata gnata. Maserius. Theophrastus putat eos dici nanos quibus virilia grandia sunt.

Quos pumiliones dicimus, Græce νάνυς appellari. CAPVT XIII.

STAbant forte vna in vestibulo Palatii fabulantes Fronto Cornelius, & Festus Posthumius, & Apollinaris Sulpitius. Atque ego ibi adsistens cum quibusdam aliis sermones eorum, quos de literarum disciplinis habebant, curiosius captabam. Tum Fronto Apollinari, Fac me, inquit, oro magister, vt sim certus an recte supersederim nanos dicere parua nimis statura homines: maluerimque eos pumiliones appellare, quoniam hoc scriptum esse in libris veterum memineram: nanos autem sordidum esse verbum, & barbarum credebam. Est quidem inquit hoc Apollinaris, in consuetudine imperiti vulgi frequens: sed barbarum non est, censeturque linguæ Græcæ origine. νάνυς enim Græci vocauerunt breui atque humili corpore homines, paulum supra terram extantes: idque ita dixerunt adhibita quadam ratione etymologiæ cum sententia vocabuli competente. & si memoria, inquit, mihi non labat, scriptum hoc est in comœdia Aristophanis, cui nomen est ἀκλαῆς. Fuisset autem verbum hoc à te ciuitate donatum, aut in latinam coloniam deductum, si tu eo vti dignatus fores, essetque id impendio probabilius, quàm quæ a Laberio ignobilia nimis & sordentia in vsum linguæ latinæ intromissa sunt. Tum Festus Posthumius grammatico cuipiam latino Frontonis familiari, Docuit, inquit, nos Apollinaris nanos, verbum græcum esse: tu nos doce in quo de mulis, aut equuleis humilioribus vulgo dicitur, anne latinum sit, & apud quem scriptum reperiatur. Atque ille grammaticus, homo sane perquam in noscendis veteribus scriptis exercitus, Si piaculum, inquit, non committitur præsente Apollinare, quid de voce illa græca latinave sentiam dicere: audeo tibi Feste quærenti respondere, esse hoc verbum latinum, scriptumque inueniri in poematis Heluii Cinnæ, non ignobilis neque indocti poetæ. Versus eiusque ipsos dixit, quos quoniam memoriæ mihi forte aderant, adscripsi,

Nani. Pumiliones. Aclaes.

At nunc me genii nana per salicta
Bigis rheda rapit citata nanis.

Nana salicta. Nanæ bigæ.

ASCENSIVS. Quod de vocalibus Nigidius scripsit, sine multa intentione capere possumus: si modo intelligamus eum loqui de mutua earum inter se coniunctione. Nam dum diphthongos ex eis conficimus, a & o sunt principes .i. priores semper: i & u subditæ .i. posteriores, vt patet in diphthongis: au. ai. æ. œ. & græcis oi ou. e modo præit, vt in ei & eu: modo subit vt in æ & œ. Verum in græcis υ etiã præit & subditur. præit enim in υι diphthõgo qua scribitur pœnultima in harpyia: subditur in ου qua scribitur œdipous. Notum autem est i & v cum vocalibus syllabam facientes à capite fieri consonantes: vt i in ianua, iecur: coniicio. iocus. iuuo. V in vado. venio. viuo. volo. vult. Inter literam N & G. &c. Quintianus. cap. xli .i. epographiæ primæ reposuit inter N, G, & C. & non ab re: quia anchora & incurrit nõ habent post N, G, sed C. Quia vero dicit literã, & nõ literas intelligendum sic. inter literam N, & sup. literas G, & C. Addi posset propter Græca χ .i. ch. nã vbi nos ante c, g, & ch habemus n, græci frequenter habẽt g: sed pro c. habẽt K. vt vbi nobis scribitur angelus, anchora, anchialos: illis scribitur ἄγγελος, ἄγκυρα, ἀγχίαλος. Græcos

non tantæ inscitiæ arcesso.i.postulo, & in ius voco seu accuso: intelligitur autem nomine,aut quid simile, qui ou &c.Non enim habent u,miror autem cur arcessat aut accersat propter ei:cum etiam latinis ea fuerit frequentissima,vt in vltimis nominatiuorum pluralium in i,& accusatiuorum in is.

Contemporaneos fuisse Cæsari & Ciceroni M.Varronẽ, & P. Nigidium ætatis suæ doctissimos Romanos: & quòd Nigidii commentationes propter earum obscuritatem subtilitatemque in vulgus non exeunt. CAPVT XIIII.

M. Cicero C.Cæsar. M. Varro. P.Nigidius. Eius obscuritas.

AEtas M.Cic.& C.Cæsaris præstanti facundia viros paucos habuit.Doctrinarum autem multiformium , variarumque artium , quibus humanitas erudita est,culmina habuit M.Var.& P.Nigidium.Sed Varronis quidem monimenta rerum ac disciplinarum,quæ per literas condidit,in propatulo frequentique vsu feruntur: Nigidianæ autem commentationes non proinde in vulgus exeunt,& obscuritas subtilitasque earum tanquam parum vtilis derelicta est.sicuti sunt quæ paulo ante legimus in commentariis eius,quos grammaticos inscripsit, ex quibus quædam ad demonstrandum scripturæ genus exempli gratia sumpsi. nam cum de natura atque ordine literarum dissereret, quas grammatici vocales appellant, verba hæc scripsit, quæ reliquimus inenarrata ad exercendam legentium intentionem.A,& O,semper principes sunt:I,& V,semper subditæ:E,& subit,& præit.In euripo præit,subit in AEmilio.Siquis putat præire V,in his verbis Valerius,Vennonius,Volusius:aut I,in his,iampridem,iecur,iocum,iucundum:errabit,quòd hæ literæ cũ præeunt, ne vocales quidem sunt.Item ex eodem libro verba hæc sunt.Inter literam N,& G,& C, est alia vis, vt in nomine anguis, & angaria, & anchora, & increpat, & incurrit,& ingenuus.in omnibus enim his non verum n,sed adulterinum ponitur.nam n,non esse, lingua indicio est.nam si ea litera esset,lingua palatum tangeret. Alio deinde in loco est scriptum,Græcos non tantæ inscitiæ arcesso qui ȣ ex ο,& υ, scripserunt:quantæ qui ει ex ε, & ι.illud enim inopia fecerunt,hoc nulla re subacti.

Vocalium virtutes secundũ Nigidium dũ diphthõgõ cõstituunt.

ASCEN.Aut nocturni crassatoris,lego grassatoris.Arcera nõ sternitur.Opinor eã legẽ latã in manifesti criminis reos in odiũ criminũ:quòd si in omneis,non immerito visa est durior & inhumanior. Sane vt author mox,& etiã Calepinus recitat,Arcera ab arca deducitur:& significat plaustrũ tectũ vndique ex tabulis,quasi sit arca quædã magna vestimentis instrata,vt inquit Asconius.Quo vehiculi genere,senes & ægroti cubãtes vectabantur.Noua facie.i.raro & non sæpe viso spectaculo.Si iniuria alteri faxit: opus est vt iniuriã legamus,aut faxit absolute pro fiat:sed quia pro faciat magis in vsu est lego iniuriã.nõ enim videtur neutrũ plurale cũ addatur,ab iniuria facienda.Verũ credã iniuriã illic poni vt in Gallorũ vernacula, pro cõtumelia & iniuria verbali:sed ab iniquis interpretibus pro quauis iniuria acceptã.Recuperatores dicũtur Romana voce qui ad incerta & nõ liquida recuperãda dantur,vt ea decernant ,& ad lucẽ reddãt. Recognitores vulgus vocat.Cic.in Verrẽ,Datis aratoribus recuperatores inquit, qui ipsi subuersi sunt.In oratione quoque pro Cecinna recuperatores nominauit,dictos quòd eorũ recognitione ius nostrũ recuperemus:lege Piũ in Bacchides Plauti.AEquilibriũ.i.æqua recõpensatio. Ego certe nolim mihi excuti dentẽ vnũ,vt excutiẽti excutiã omnes.Nõ cadũt sub similitudinẽ:cõgrue dictũ.nõ sic theologis:metus talis nõ cadit in Christo,pro in Christũ.Breuissimo.dubitẽ an legendũ sit sæuissimo:nisi quòd breuissimus laniatus sæuissimus fere sit:nã quæ lente fiunt mitius fiunt supplicia.Leges sumptuariæ,de sumptibus moderandis latæ.AEuitas,id est annositas,lõgæuitas seniũ.Et quercera.i.frigida cũ tremore. sic enim Beroaldus in adnotatis in Apuleiũ definit quercerũ.legit aũt cũ febri rabida,vbi scribitur rapida:& quercera: quibus verbis vult hic significari febrẽ rigidã cũ horrore,quando totũ corpus intremiscit, quæ grauis est ægrotatio. Præterea(inquit)authore Festo,antiqui quercerã dixerunt grauẽ & magnã.De sontico morbo prius dictũ est.Plostrum.i.plaustrum. Causatio,excusatio,in causam adductio. Quod tute.i.tu ipse:non enim dicitur tumet,propter verbũ tumeo,es,et,vt opinor.In alio feceris,videtur dicendum in alium,sed bene & in alio & in alium.Ad tantæ amplitudinis instar.i.statum & modum.Dictum autẽ est per regulam AEquiualens geminis &c.sicut paulo ante ire visere.Neque est cõtra Vallam, qui recte sentit instar significare ad æquiparantiam.q.d.in statum seu staturam,modum & formam:quocirca cum includat præpositionem in non exigere eandem aut æquiualentem videlicet ad:quæ si addatur,tunc instar per dictam regulam solum notet statum aut formam &c.sicut visere est visum ire:si dicas ire visere aut visum:non notet nisi supinum visum.Dies iusti.i.ab iure decreti.sunt autem ad varia varii iusti:nã qui ad vnam rem iusti sunt, ad aliam iniusti & iniqui sunt:ideoque Fest. Põp.dies iustos dixit, quibus exercitus esset imperatus & vexillũ in arce positũ.Sanciendæ,id est stabiliendæ,& quasi sanctificãdæ fidei gratia.Metii Suffetii meminit Virg.AEn. octauo.Vbi tamen alii Mætum pro Metium legunt,alii Mætium, sed per synæresim vocem dissyllabam censent.Versus Virgilii sunt,Haud procul inde,citæ Metium in diuersa quadrigæ Distulerant:at tu dictis Albane maneres.Raptabatque viri mẽdacis viscera Tullus Per syluã:& sparsi rorabant sanguine vepres. Vbi paucis innuit quod hic dicitur, acerbitatẽ sanciẽdæ fidei gratia placuisse. Nã cũ diritatẽ supplicii obhorreret,respõdit poeta dirũ quidẽ,At tu dictis Albane maneres.i.promissa seruares. Huius supplicii meminit Val.Max.in tit.de stratagemate:& Li.li.i.ab Vrbe cõdita his verbis, Exinde duabus admotis quadrigis in currus earũ distẽtũ alligat Metiũ:deinde in diuersũ equi cõcitati,lacerũ in vtroque curru corpus qua inhæserãt vinculis mẽbra portãtes. Auertere omnes à tãta fœditate spectaculi oculos.Primũ vltimũque il

Arcera. Recuperatores. Quercerũ Tute. Ad instar. Dies iusti. Metii suffetii supplicium.

ſud ſuppliciũ apud Romanos exempli parũ memoris legũ humanarũ fuit. In aliis gloriari licet nulli gentiũ mitiores placuiſſe pœnas. Hæc ille. Addidit Maſe. Diuus Auguſtin⁹ cap.xvi.lib.ii.de ciuitate dei docet Romanos leges ab Atheniẽſibus cepiſſe: interpres addit in decẽ tabulis conſcriptas: inde duas decẽ adiunctas, vt hic notatur, & apud Iſidorũ Etymol.lib.v.cap.i.item cap.ii.diſt.vii.in Decretis. Supponit itẽ expoſitor Auguſtini ex Accurſio ridiculũ, vt exiſtimo: qui in.l.ii.de orig.iuris parag. ex actis inquit. Atheniẽſes ſuper honeſta legũ conceſſione rogati, quendã ſapientia & doctrina ſingulari Romã miſerunt, Romanorum dignitatẽ experturũ, non enim indigno populo rem tam dignã volebant credere. Id vbi populus Romanus cognouit, inſipientẽ ſapienti obiecerunt: & Athenienſis ratus rem ſignis gerendã nõ voce, indicem ſuſtulit, quod erat in diuinitate vnitatis argumentũ: at ſtultus credens eſſe indiciũ mali animi, ſignumque oculi vnius eruendi, duos ſuſtulit digitos, ſignificans ſe duos erui turũ ſapiẽti, vnius extinctionẽ (vt credebat) cõminanti. & cum id fit vt index cũ medio attollatur pollex ſurrigitur paululũ: itaque treis ſublatos Athenienſis proſpiciens, credit trinitatẽ oſtendi, vnitati reſponſuram. eo contentus græcus, palmã erexit apertã: quo volebat ſignari omnia deo eſſe aperta: at inſipiens ratus palmã eſſe apertã quo facilius depalmaret, ex aduerſum palmã concluſit, graui pugno grauiorẽ retaliationẽ minitans. At vero græcus eſt arbitratus eo ſigno cõcipi, quòd deus cõcluderet omnia. Itaque populũ Romanũ cenſuit dignum, qui leges x tabularũ exciperet. Hæc Maſ. indigna profecto quæ primũ ab Accurſio ſcriberẽtur: deinde quæ ab Ludouico Viue in Auguſtinũ & nunc a Maſerio in Gelliũ afferantur, niſi lectori riſum excitare voluerint: legi tamen ea apud Accurſiũ, & audiui â legiſperito graui ſupercilio vt rem feſtiuã & lepidã recitari, cũ nihil ſit abſurdius. Nam primũ quis credat Romanos tã ſtolidos & vecordes vt in re tanta ſtultũ ſapienti cõmittant: niſi forte dicas neminẽ Romanũ tunc græce ſciuiſſe præter eos quos legatos miſerant (nam eos græce ſciſſe negare nequeas, cũ græcas leges Romanas reddiderint) & ea tẽpeſtate bona pars Italiæ græce loqueretur: vſqueadeo vt Græcia maior diceretur. Sed ponamus fieri potuiſſe, quo nihil tamen magis ridiculũ excogitari queat: Quis Athenien. illũ docuerat ſacroſanctæ trinitatis myſterium, quod ante Chriſtum, Iudæorũ pauci ſaltẽ plene, aliorũ nemo agnouerat: niſi forte ſacerdos iuris quiſpiã talis fuerit apud Atheniẽſes quales bonus Accurſius apud Romanos fuiſſe interpretatur. ſed mittamus ridicula. Addit & hæc Maſ. Qui morbi graues ſint, exponit Cælius ex Philone medico in vltimo lib. Diuus Hierony. cõtra Iouinia.xxxiiii.cap.tracta.ii.ait. Vnde & iumenta â iuuando dicuntur: ſiue mauis verba: vnde & iumẽta eo quòd iuuent appellantur. Qui æs alienũ conflauerant, idque vſuris erat cumulatũ, addicebantur in ergaſtulũ & carnificinã â creditore, non tamen in ſeruitutẽ: Item filii & nepotes: erantque in ſqualore tum viuentes pallore & macie tũ perempti: dabãtur tamen eis prius triginta dies, quos Gellius iuſtos appellat: ſi autẽ poſt iuſtitiũ non inueniebantur pecuniæ, dabantur creditori â prætore, cum ante vocarentur obærati. Addit Cælius in.vii.lib.ex Florẽte Septimio, quòd ſi plures forẽt, quibus eſſet obæratus aliquis addictus: hominẽ ſecare poterant, & ſinguli partes corporis auferre: quod affert modo Gellius. Si autem obæratus creditori ſatisfaciebat, dicebat Apocham. Ipſum Cælium lege. Quod autem addit ſecare ſi vellent meminit Quint. in tertio dicens, vt in xii tabulis debitoris corpus inter creditores diuidi licuit: quã legẽ mos publicus repudiauit. ¶ In iure legitur ea res nõ ſit fraudi.i.dãno & periculo. Contẽni non quita eſt.i. nequiit. Sic Terẽtius in hecyra, In tenebris noſci nõ quita eſt. Finis eſt verſus iãbici: ergo prior corripitur in quita. ¶ Nobis non admodum numero.in.vii.cap.lib.i.apud Gellium docuimus legendum eſſe in Amphitryoni Plauti, numero, vt hic: ſignatque ait Marcellus, ſic & multum. Afran. Numero inepte pertimuiſti caſſam terriculam. Accius numero te expurgaſti. Et prius apud Plautum, Numero mihi in mentem fuit.

Legũ xii tab. impetratio.

Quita eſt.

Numero.

AVLI GELLII NOCTIVM ATTICARVM COMMENTARIORVM, LIBER XX.

Diſceptatio Sex. Cæcilii iureconſ. & phauorini philoſophi de legibus XII Tab.

CAPVT PRIMVM.

SEX. Cæcilius in diſciplina iuris atque legibus Pop. Rom. noſcendis interpretãdiſque ſcientia, vſu, authoritateque illuſtri fuit. Ad eum forte in area palatina cum ſalutationem Cæſaris opperiremur, philoſophus Phauorinus acceſſit, collocutuſque eſt, nobis multiſque aliis præſentibus. In illis tunc eorum ſermonibus orta mentio eſt legum decemuiralium, quas Decemuiri eius rei gratia a populo creati compoſuerunt, inque xii tab. conſcripſerunt. Eas leges cum Sex. Cæcilius inquiſitis exploratiſque multarum vrbiũ legibus, eleganti atque abſoluta breuitate verborum ſcriptas diceret: Sit inquit hoc Phauorinus in pleraque earum legum parte, ita vti dicis. non enim minus cupide tabulas iſtas xii legi, quam illos decem lib. Platonis de legibus. ſed quædam iſtic animaduertuntur aut obſcuriſſima, aut leuia: contra dura nimis, & remiſſa, aut nequaquam ita, vt ſcriptum eſt, conſiſtentia. Obſcuritates, inquit, Sextus Cæcilius, non aſſignemus culpæ ſcribentiũ, ſed inſcitiæ non aſſequentium. quanquam ii quoque ipſi, qui quæ ſcripta ſunt minus

Sex. Cæcilius.

Leges xii tabularũ quo tẽpore sint scriptæ.

percipiunt, culpa vacant. nam longa ætas verba atque mores veteres obliterauit: quibus verbis moribusque sententia legum comprehensa est. CCC nanque anno post Romam conditam tabulæ compositæ scriptæque sunt. a quo tempore ad hunc diem anni esse non longe minus DCC videntur. Dure autem scriptum esse in istis legibus quid existimari potest? Nisi duram esse legem putas, quæ iudicem arbitrumve iure datum, qui ob rem dicendam pecuniam accepisse conuictus est, capite punit: aut quæ furem manifestũ ei cui furtũ factum est, in seruitutẽ tradit, nocturnum autem furem ius occidendi tribuit. Dic enim, quæso, dic vir sapientiæ studiosissime, an tu aut iudicis illius perfidiam contra omnia iura diuina atque humana iusiurandum suum pecunia vendentis, aut furis manifesti intolerandam audaciam, aut nocturni grassatoris insidiosam violentiam, non dignam esse capitis pœna existimes? Noli, inquit Phauorinus, ex me quærere quid ego existimem. scis enim solitum esse me pro disciplina sectæ, quam colo, inquirere potius quam decernere. Sed non leuis æstimator, neque aspernabilis est populus Romanus. cui delicta quidem istæc vindicanda, pœnæ tamen huiusmodi nimis duræ esse visæ sunt. passus est enim leges istas de tam immodico * supplicio, situ atque senio emori. Sicut illud quoque non humaniter scriptum improbauit: quod si homo in ius vocatus, morbo aut ætate æger ad ingrediendum inualidus est, arcera nõ sternitur, sed ipse aufertur, & iumento imponitur atque ex domo sua ad Prætorem in comitium noua funeris facie effertur. Quam enim ob causam morbo affectus, & ad respondendum pro sese non idoneus, iumento adhærens in ius aduersario deportatur? Quod vero dixi videri quædam esse impendio molliora, nonne tibi quoque videtur esse dilutum, quod ita de iniuria punienda scriptum est? Si * iniuriam alteri facit, xxv æris pœnæ sunto. Quis enim erit tam inops, quem ab iniuria facienda xxv asses deterreant? Itaque cum eam legem Q. quoque Labeo vester in libris, quos ad xii tabulas conscripsit, non probaret, inquit, L. Neratius fuit egregie homo improbus atque immani vecordia. Is pro delectamento habebat os hominis liberi manus suæ palma verberare. Eum seruus sequebatur crumenam plenam assium portitans, & quemcunque depalmauerat, numerari statim secundum xii tabulas v & xx asses iubebat. Propterea, inquit, Prætores postea hanc abolescere & relinqui censuerunt, iniuriisque æstimandis recuperatores se daturos edixerunt. Nonnulla autem in istis legibus nec consistere quidem (sicuti dixi) visa sunt. Velut illa lex talionis, cuius verba (nisi memoria me fallit) hæc sunt. Si membrum rupit meum, e pacto talio esto: Præter enim vlciscendi acerbitatem, ne procedere quoque executio iusta talionis potest. Nam cui mẽbrum ab alio ruptum est si ipsi itidem rumpere per talionem velit, quæro an efficere poss[e] t[e]rum pendi pariter membri æquilibrium? In qua re primum ea difficultas est inexplicabilis. Quin si membrum, inquit, alter imprudens ruperit? Quod enim per imprudentiam factum est, retaliari per imprudentiam debet. Ictus quippe fortuitus, & consultus, non cadunt sub eiusdem talionis similitudinem. Quonam igitur modo imprudentem poterit imitari, qui in exequenda talione non licentiæ ius habet, sed imprudentiæ: Sed & si prudens ruperit, nequaquam patietur, aut altius se lædi, aut latius, quod cuiusmodi libra atque mensura caueri possit, non reperio. Quinetiam si quid plus erit, aliterve cõmissum, res fiet ridiculæ atrocitatis, vt contraria actio mutuæ talionis oriatur, & adolescat infinita quædam reciprocatio talionum. Nã de immanitate illa secandi partiendique humani corporis, si vnus ob pecuniam debitam adiudicatus, addictusque sit pluribus, non libet meminisse, & piget dicere. Quid enim videri potest efferatius, quid ab hominis ingenio diuersius, quã quod membra, & artus inopis debitoris breuissimo laniatu distrahantur, sicut nunc bona væñũ distrahuntur? Tum Sex. Cæcilius amplexus vtraque manu Phauorinũ, Tu es, inquit, vnus profecto in nostra memoria, non graiæ modo, sed & Romanæ rei peritissimus. Quis enim philosophorũ disciplinæ suæ leges tam scite atque docte callet, quam leges tu nostras decemuirales percalluisti? Sed quæso te, cum tamen digrediare paulisper e curriculis istis disputationum vestrarum academicis, omissoque studio, quicquid lubitum est arguendi tuendique, cõsideres grauius, cuiusmodi sint ea quæ reprehendisti. Nec ideo contemnas legum istarum antiquitates, quod plerisque ipsis iam Pop. Rom. desiuerit. Non enim profecto ignoras legum opportunitates, & medelas pro temporum moribus, & pro rerum publicarum generibus, ac pro vtilitatum præsentium rationibus, proque vitiorum, quibus medendum

* iudicio.

Arcera.

* iniuria.

Neratii petulãtia.

Labeo.

Recuperatores.

Aequilibrium.

Cadũt sub similitudinem.

est, feruoribus mutari atq; flecti, neque vno statu consistere: quin vt facies cœli & maris, ita rerum atque fortunæ tempestatibus varientur. Quid salubrius visum est rogatione illa Stolonis iugerũ de numero præfinito? Quid vtilius plebiscito Voconio de coercendis mulierum hæreditatibus? Quid tam necessarium existimatum est propulsandæ ciuiũ luxuriæ, quàm lex Licinia, Fannia, aliæque item leges sumptuariæ? Omnia tamen hæc obliterata, & operta sunt ciuitatis opulentia, quasi quibusdam fluctibus exæstuantis. Sed cur tibi esse visa est inhumana, omnium, mea quidem sentẽtia, humanissima, quæ iumẽtum dari iubet ægro, aut seni in ius vocato? Verba sunt hæc de lege, Si in ius vocat, si morbus, æuitasve vitium esset, qui in ius vocabit, iumentum dato: si nolet, arceram ne sterni to. An tu forte morbum appellari hic putas ægrotationem grauem cum febri rapida, & quercera? Iumentúmque dici pecus aliquod vnicum tergo vehens? Ac propterea minus fuisse humanum existimas ægrotum domi suæ cubantem, iumento impositum in ius rapi? Hoc mi Phauorine nequaquam ita est. Nam morbus in lege ista non febriculosus, neque nimium grauis, sed vitium aliquod imbecillitatis atque inualentiæ demonstratur, non periculum vitæ ostenditur. Cæteroqui morbum vehementiorem vim grauiter nocendi habentem, legum istarum scriptores alio in loco nõ per se morbum, sed morbum sonticum appellant. Iumentum quoque non id solum significat, quod nunc dicitur, sed vectabulum etiam, quod adiunctis pecoribus trahebatur. Veteres enim nostri iumẽtum à iungendo dixerunt. Arcera autem vocabatur plostrum tectum vndique & munitum, quasi arca quædam magna vestimentis instrata, qua nimis ægri, aut senes portari cubantes solebant. Quænam ibi igitur acerbitas esse visa est, ꝙ in ius vocato pauperrimo homini, vel inopi, qui aut pedibus forte ægris esset, aut quo alio casu ingredi nõ quiret, plostrũ esse dandum censuerunt, neque insterni tamen delicate arceram iusserunt, quoniam satis esset inualido huiusmodi vectabulum? Atq; id fecerunt ne causatio ista ægri corporis perpetuam vacationem daret fidem detrectantibus, iurisque actiones declinantibus Sed enim ipsum vide, quod iniurias factas v & xx assibus sanxerunt: non omnino omnes mi Phauorine iniurias ære isto pauco diluerunt. tametsi hæc ipsa paucitas assium graue pondus æris fuit. nam librariis assibus in ea tẽpestate populus vsus est. Sed iniurias atrociores, vt de osse fracto, non liberis modo, verum etiam seruis factas, impensiore damno vindicauerunt. Quibusdam autem iniuriis talionem quoque apposuerunt. Quam quidem tu talionem vir optime iniquius paulo insectatus es. Ac ne consistere quidem dixisti, lepida quadam solertia verborum, quoniam talioni par nõ sit talio, neq; rumpi membrum facile possit, ad alterius rupturæ (vt ais tu) æquilibrium. Verum est mi Phauorine talionem rarissimam fieri difficillime. Sed Decemuiri minuere atque extinguere volẽtes huiuscemodi violentiam pulsandi atque lædendi talione, eo quoque metu coercendos esse homines putauerunt. Neque eius, qui membrum alteri rupisset, & pacisci tamen de talione redimenda nollet, tantam esse habendam rationem arbitrati sunt, vt an prudẽs imprudensve rupisset, spectandum putarent, aut talionem in eo vel adamussim æquipararent, vel in librili perpenderent: sed potius eundem animum, eundemque impetum, in eadem parte corporis rũpendi, non eundem quoq; casum exigi voluerũt, quoniã modus volũtatis præstari posset, casus ictus nõ posset. Quod ita est, vt dico, & vt ipse æquitatis habitus demonstrat, taliones illæ tuæ reciprocæ argutiores profecto, q̃ veriores fuerunt. Sed quoniam acerbum quoq; esse hoc genus pœnæ putas: quæ (obsecro te) ista acerbitas est, si idem fiat in te, quod tute in alio feceris: præsertim cum habeas facultatem paciscendi, & non necesse sit pati talionem, nisi eam tu elegeris? Quod edictum autem prætorium de æstimandis iniuriis probabilius esse his potest? Nolo hoc ignores, hãc quoque ipsam talionem ad æstimationem iudicis redigi necessario solitam. Nam si reus, qui depacisci noluerat, iudici talionem imperanti non parebat, æstimata lite iudex hominem pecuniæ damnabat: atque ita si reo, & pactio grauis, & acerba talio visa fuerat, seueritas legis ad pecuniæ multam redibat. Restat, vt ei quod de sectione, partitioneque corporis immanissimum esse tibi visum est, respondeam. Omnibus quidem virtutum generibus exercendis, colendisque Pop. Rom. è parua origine ad tãtæ amplitudinis instar emicuit. Sed omniũ maxime atque præcipue fidem coluit, sanctámque habuit: tam priuatim, quàm publice. Sic COSS. clarissimos viros hostibus confirmandæ fidei publicæ causa dedit. Sic clientem in fidem acceptum chariorẽ haberi, q̃ propinquos, tuendúmq; esse cõtra cognatos censuit: Neq; peius vllum facinus æstimatũ est, q̃ sicui probaretur cliẽtẽ derisui habuisse.

AEuitas. i. annositas.
Quercera Morbus.
Morbus fonticus.
Iumẽtum.
Arcera.
Asses librarij.
Argutiores quàm veriores.
Ad instar.



Hanc autẽ fidẽ maiores nostri, nõ modo in officiorũ vicibus, sed in negociorũ quoq; contractibus sanxerũt, maximeq; in pecuniæ mutuaticæ vsu atq; cõmercio. Adimi enim putauerũt subsidiũ hoc inopiæ tẽporariæ quo cõmunis hominũ vita indiget, si perfidia debitorũ sine graui pœna eluderet. Cõfessi igitur æris ac debiti iudicatis xxx dies sunt dati cõquirendæ pecuniæ causa, quam dissoluerent, eosq; dies Decẽuiri iustos appellauerũt, velut quoddã iustitiũ.i.iuris inter eos quasi interstitionẽ quãdã, & cessationẽ: quibus diebus nihil cũ his agi iure posset. Post deinde, nisi dissoluerãt, ad Prætorẽ vocabãtur, & ab eo, quibus erant iudicati, addicebãtur. Neruo quoq; aut cõpedibus vinciebãtur. Sic enim sunt (opinor) verba legis, AEris confessi, rebusq; iure iudicatis xxx dies iusti sunto. Post deinde manus iniectio esto, in ius ducito, ni iudicatũ facit: aut qui pseudo eo in iure vim dicit, secũ ducito, vincito aut neruo, aut cõpedibus xv põdo, ne minore, aut si volet, maiore vincito. Si volet, suo viuito. Ni suo viuit, qui eũ vinctũ habebit, libras farris in dies dato. Si volet, plus dato. Erat autem ius interea paciscendi, ac nisi pacti forent, habebãtur in vinculis dies LX. Inter eos dies trinis nundinis continuis ad Prætorem in comitiũ producebãtur, quantæq; pecuniæ iudicati essent, prædicabatur. Tertiis autẽ nundinis capite pœnas dabant, aut trans Tyberim peregre vænũ ibant. Sed eã capitis pœnã sanciendæ, sicuti dixi, fidei gratia, horrificam atrocitatis ostentu, nouisq; terroribus metuendam reddiderunt. Nam si plures forent, quibus reus esset iudicatus, secare si vellent atque partiri corpus addicti sibi hominis permiserunt. Et quidem verba ipsa legis dicam, ne existimes inuidiam me istam forte formidare. Tertiis, inquit, nundinis, parteis secanto. si plus minusve secuerunt, sine fraude esto. Nihil profecto immitius, nihil immanius, nisi vt re ipsa apparet, eo consilio tanta immanitas pœnæ denunciata est, ne ad eam vnquã perueniretur. Addici nãq; nunc, & vinciri multos videmus, quia vinculorum pœnam deterrimi homines contemnunt. Dissectum esse antiquitus neminem equidem neque legi neq; audiui, quoniam sæuitia ista pœnæ contemni non quita est. An putas Phauorine, si non illa etiam ex XII Tabulis de testimoniis falsis pœna aboleuisset, & si nunc quoq; vt antea, qui falsum testimonium dixisse conuictus esset, ẽ saxo Tarpeio deiiceretur, mentituros fuisse pro testimonio tam multos, quàm videmus? Acerbitas plerunq; vlciscẽdi maleficii, bene atque caute viuendi disciplina est. Historia de Metio Suffetio Albano nobis quoq;, non admodum numero istiusmodi libros lectitantibus, ignota nõ est: qui quoniã pactum atq; condictum cum rege Pop. Rom. perfide ruperat, binis quadrigis vinctus in diuersa nitentibus laceratus est. Nouum atq; asperum supplicium: quis negat? Sed quid elegantissimus poeta dicat, vide, At tu dictis Albane maneres.

Hæc atq; alia vbi Sex. Cælius, omnibus qui aderãt, ipso quoq; Phauorino approbãte atq; laudante, disseruit: nunciatum est Cæsarem iam salutari, & separati sumus.

[Marginalia: Dies iusti. — Metij Suffecij historia. — Admodũ numero. — AEn. viij.]

ASCEN. Ad hunc locum adnotauit recentius Mas. hæc. Cælius lib. iij. ca. iiij. ait, Sicinnis ab alijs, vt scribit Athenæus, satyrica intelligitur saltatio, vnde & Satyri sicinnistæ dicti. hãc Sicinnus excogitauit Barbarus: & ab eo dictũ forte sicinnium. Sepeliebantur mortui cũ cantu, ait Macrob. in primo de somnio Scipionis. Quin dicitur Matth. ix. Et cũ venisset Iesus in domum principis, & vidisset tibicines & turbam tumultuantẽ &c. Hæc ille: quibus videtur sentire idem esse siticinũ & sicinniũ: de quo nihil pronũcio: sed siticinũ dictũ declarat Gellius, quòd sit apud sitos.i. ad vltimũ sitũ redactos vtpote sepultos. Baptista Pius annota. poste. cap. clxxxviij. graphice describit, quibus funeribus adhiberi solebat tibia, & quibus tuba: & ex hoc loco qui sint siticines, & quid siticinum: vbi inter cætera hæc sunt. Scitu dignum est, quod grãmatici prodiderunt, tuba Romanos solere maioribus funeribus incinere: tibia minoribus. proinde funus summatis atque patricij describens Persius, tubã fecit assistere non tibiam. Hinc tuba, candelæ, tãdemque beatulus alto Impositus lecto &c. Vnde & Propertius, Tibia funesta tristior illa tuba. Ouid. Tibia funeribus conuenit ista meis. Sed & rursus Propertius lib. j. Tibia mygdonijs luget eburna sonis. Ouid. vj. Fast. Cantabat tibia ludis: Cantabat mœstis tibia funeribus &c. Addit Apuleium lib. j. Floridorum: quoniam ad monumenta.i. sepulcra canunt siticines, monumentarios appellasse. Vide cætera.

[Marginalia: Tibiarum tubarũque in funere vsus. — Siticines.]

Vocabulum siticinũ in M. Catonis oratione quid significet: & quam ob causam L. Accius poeta in pragmaticis siciniſtas nebuloso nomine esse dixerit. CAP. II.

[Marginalia: Siticines.]

SITICINES scriptum est in oratione M. Catonis, quæ inscribitur, Ne imperium sit veteri, vbi nouus venerit. Siticines, inquit, & liticines, & tubicines. Sed Cesellius Vindex in commentariis lectionum antiquarum, scire quidem se ait, liticines lituo cantare, & tubicines tuba. Quid istuc autem sit, quod siticines cantant, homo ingenuæ veritatis scire sese negat. Nos autem in Capitonis Attei Coniectaneis inuenimus siticines

appellatos, qui apud ſitos canere ſoliti eſſent, hoc eſt vita functos, & ſepultos, eosque habuiſſe proprium genus tubæ, qua canerent, à cæterorum tubicinum proprietate differens quos ſiciniſtas vulgus dicit. Qui rectius locuti ſunt, ſicinniſtas litera n, gemina dixerunt. Sicinnium enim genus veteris ſaltationis fuit: ſaltabundi autem canebant quæ nunc ſtãtes canunt. Poſuit hoc verbum L. Accius poeta in Pragmaticis, appellarique ſicinniſtas ait nebuloſo nomine: credo propterea nebuloſo, quòd ſicinnium cur diceretur, obſcurum eſſet. Sicinnium

ASCEN. A ſodalitatibus conuictuque. Videtur poſteriori vocabulo prius exponere: niſi quòd cõuictus eſſe poteſt ſine ſodalitate: nã ſodalitas eſt ſocialis cõuictio: modo conuictũ aut conuictionẽ pro comedendi ratione accipiamus. Problemata interpretantur hoc loco quæſtiones: ſunt autem dubiæ: ſed id exprimitur per id quod additur circulares. Id genus hominum conſueuerunt. figurata locutio: ſed non Gelliana: tolerabilis tamen. In artibus neceſſariis: non ſimpliciter: ſed vel ad profeſſionem eorum: quælibet enim ars fere totum exigit hominem. i. hominis ſtudium: vel ad eorum victum acquirendum.

Artificum ſcenicorum ſtudium, amoremque inhoneſtum probroſumque eſſe: & ſuper ea re verba Ariſtotelis philoſophi adſcripta. CAPVT III.

C Omœdos quiſpiam, & tragœdos, & tibicines diues adoleſcens Tauri philoſophi diſcipulus liberos homines, in deliciis atque in delectamentis habebat. Id genus autem artifices Græce appellantur οἱ περὶ τὸν Διόνυσον τεχνῖται. Eum adoleſcentem Taurus à ſodalitatibus conuictuq; hominum ſcenicorum abducere volens, miſit ei verba ex Ariſtot. libro excripta, qui προβλήματα ἐγκύκλια inſcriptus eſt: iuſſitq;, vt ea quotidie lectitaret. Διατί οἱ Διονυσιακοὶ τεχνῖται ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ πονηροί εἰσιν; ὅτι ἥκιστα λόγου καὶ φιλοσοφίας κοινωνοῦσι. διὰ τὸ περὶ τὰς ἀναγκαίας τέχνας τὸ πολὺ μέρος τοῦ βίου εἶναι, καὶ ὅτι ἐν ἀκρασίαις τὸν πολὺν χρόνον εἰσίν, ὅτε δὲ ἐν ἀπορίαις. ἀμφότερα δὲ φαυλότητος παρασκευαστικά. Scenicorũ eleuatio. Dionyſiaci artifices

ASCEN. Exoterica. interpres huius loci extrinſeca vel extranea dicit, Moſellanus (vt quidẽ videtur) magis ad rem præter auditum nota. Sic enim ab auſcultatoriis diſtinguuntur, & ſic repoſui, quanquam exteriora dici poſſunt. Sunt qui extrinſeca ab interprete dicta aſſerant, ſed extrinſecus nomen neſcio an quiſquam idoneus dixerit: verum vt ad frontem dixi, hæc interpretamenta non ſunt Gelliana: quocirca ex eis ridicule aduocetur Gelliana authoritas. Multi non proletarii vtuntur aduerbio extrinſecus, vnde nomen factum non reſpuit interpres, nec Aldus impreſſor: reſpuit Maſerius, ideoque expunxi quia alterum ſatis eſt. Maſerii verba ſunt, Dele dictionem barbaram à dialecticis tantum & philoſophaſtris vſurpatam vt reor. Tamen D. Hieronymus in epiſtola quadam ad Iulianum ait. Nouit alia eſſe quæ extrinſeca. ſed cum dicitur fœniſex. i. fœnum ſecans & à ſequor pediſequus, tu vide &c. Eſt ſecus præpoſitio vel aduerbium. Tempus exercendæ. aut ordo & dabat huic diſciplinæ exercendæ tempus, aut dabat huic diſciplinæ tempus ſupple eius exercendæ, alioqui dicendum eſſet exercendi in ſignificatione paſſiua. Cognobiles, quod vulgatius dicatur cognoſcibiles, ſed neſcio an cognoſcibile receptum ſit vocabulum, cognobile M. Catonis defenditur authoritate. Extrinſeca Cognobilis.

Exempla epiſtolarum Alexandri regis, & Ariſtotelis philoſophi ita vti ſunt edita. CAPVT IIII.

C OMmentationum ſuarum, artium, quas diſcipulis tradebat Ariſtoteles philoſophus regis Alexandri magiſter, duas ſpecies habuiſſe dicitur. Alia erant, quæ nominabat ἐξωτερικά, alia quæ appellabat ἀκροαματικά. ἐξωτερικὰ dicebantur, quæ ad rhetoricas meditationes, facultatem argutiarum, ciuiliumque rerum notitiam conducebant. ἀκροαματικὰ autem vocabantur, in quibus philoſophia remotior ſubtiliorque agitabatur, quæque ad naturæ contemplationes, diſceptationesve dialecticas pertinebant. Huic diſciplinæ quam dixi ἀκροαματικὴν tempus exercendæ dabat in Lycio matutinum. Nec ad eam quéquam temere admittebat, niſi quorum ante ingenium, & eruditionis elementa, atque in diſcendo ſtudiũ laboremque exploraſſet. Illas vero ἐξωτερικὰς eodem in loco veſperi faciebat. easque vulgo iuuenibus ſine delectu dabat: atque eam δειλινὸν περίπατον appellabat. Illam alteram ſupra, ἑωθινόν. vtroque enim tempore ambulans diſſerebat. Libroſque ſuos earum rerum omnium commentarios ſeorſum diuiſit, vt alii ἐξωτερικοὶ dicerentur, partim ἀκροαματικοί. Quos cũ in vulgus ab eo editos rex Alexander cognouiſſet, atq; ea tẽpeſtate armis exercituque omnem prope Aſiã teneret, regemque ipſum Dariũ præliis & victoriis vrgeret, in illis tamen tantis negociis literas ad Ariſtotelem miſit: nõ eũ recte feciſſe, quòd diſciplinas ἀκροαματικὰς quibus ab eo ipſe eruditus foret, libris foras editis inuulgaſſet. Nã qua, inquit, alia re præſtare cæteris poterimus, ſi ea, quæ ex te accepimus, omniũ prorſus fient cõmunia? Quippe ego doctrina anteire malim, quàm copiis atque opulentiis. Reſcripſit ei Ariſtotelicæ artes duplices.

Aristoteles ad hãc sententiã, ἀκροαματικοὺς libros, quos editos quereris, & nõ perinde vt arcana absc̃oditos, neq; editos scito esse, neq; nõ editos: quoniã iis solis, qui nos audiunt, cognobiles erunt. Exẽpla vtrarũq; literarũ sumpta ex Andronici philosophi libro subdidi. Amaui autem prorsus in vtriusq; epistola breuitatis elegantissimæ filum tenuissimum.

Alex. magni epistola.

Ἀλέξανδρος Ἀριστοτέλει εὖ πράττειν.

Οὐκ ὀρθῶς ἐποίησας ἐκδοὺς τοὺς ἀκροαματικοὺς τῶν λόγων. τίνι γὰρ ἔτι διοίσομεν ἡμεῖς τῶν ἄλλων, εἰ καθ' οὓς ἐπαιδεύθημεν λόγους, οὗτοι πάντων ἔσονται κοινοί; ἐγὼ δὲ βουλοίμην ἂν ταῖς περὶ τὰ ἄριστα ἐμπειρίαις, ἢ ταῖς δυνάμεσι διαφέρειν. ἔρρωσο.

Aristotelis responsio.

Ἀριστοτέλης βασιλεῖ Ἀλεξάνδρῳ εὖ πράττειν.

Ἔγραψάς μοι περὶ τῶν ἀκροαματικῶν λόγων, οἰόμενος δεῖν αὐτοὺς φυλάττειν ἐν ἀπορρήτοις. ἴσθι οὖν αὐτοὺς καὶ ἐκδεδομένους, καὶ μὴ ἐκδεδομένους. ξυνετοὶ γάρ εἰσι μόνοις τοῖς ἡμῶν ἀκούσασιν. ἔρρωσο.

Hoc ego verbum ξυνετοὶ γάρ εἰσι quærens vno itidem verbo dicere, aliud non reperi, quàm quod est scriptum a Mar. Catone in VI Originum. Itaque ego, inquit, cognobiliorem cognitionem esse arbitror.

Genitiuorũ mei tui sui nostri vestri &c. significatio. Miseritus.

ASCEN. Huius quinti capitis quæstionem Laurentius Vall. prolixe & docte dissoluit: docens genitiuos primitiuos mei tui sui nostri & vestri tantũ passiue accipi debere: mis, tis, sis, nostrũ & vestrũ: & possessiua meus, tuus, suus, noster & vester, & actiue & possessiue. quocirca si de cura quæ de vobis habetur, hoc est per quam alius vos curat, sermo habetur: dicendũ est cura vestri: si de ea qua vos alios curatis, cura vestrũ aut vestra: & ita de similibus. Miseritus autẽ secundũ regulã dicitur, Misertus per syncopen. In Plautino exẽplo, mei & tui non construũtur cũ nomine labori: sic enim omnino dicendũ esset, meo & tuo: sed hominũ. quo pacto dicitur nõ omnino intolerabiliter: labori duorũ hominũ mei & tui: quãquã rectius duorũ labori meo & tuo qui sumus homines. Solus enim genitiuus primitiuus refugit commerciũ substãtiui. Ideoque ne dicas: vt miseratur mei peccatoris: sed mei qui peccator sum. in datiuo aũt recte, ignoscat mihi peccatori: & in accusatiuo, miseretur me peccatorẽ, & in ablatiuo audies à me peccatore. Si causam diuersitatis quæris, ea est: quòd genitiuus est casus possidẽdi: ideoque si dicas mei peccatoris videaris dicere non de eo qui sis, sed quem possideas. Non dicam autem cum Quadrigario, miserebitur te nostrum, sed nostri. Vbi notanda est vox miserebitur, nam impersonalis est, pro qua nos miserebit dicimus, vt sit, te miserebitur nostri, aut quod ab eo formatur, te miserescet nostri. Maxima pars vestrorum, licenter dixit Plautus: nam vestrum dicendum erat, vt ex Valla collegimus. Valet tamen hoc exemplũ Apollinari, cui Plautina authoritas irrefragabilis erat, vt probet vtrunque confuse dictum. Vallam tamen sequemur. In Sallustiano autem exemplo tam vestri quàm vestrum locum habet, sed non erat mutandum.

Miserebitur. Pars vestrorum.

Quæsitum atque tractatum vtrum sit rectius dicere, Habeo curam vestri, an vestrum.

CAPVT V.

PERcunctabar Apollinarem Sulpitium, cum eum Romæ adolescentulus sectarer, qua ratione diceretur, Habeo curam vestri, aut misereor vestri: & iste casus vestri eo in loco quem videretur habere casum rectum. Istic mihi ita respondit, Quæris, inquit, ex me quod mihi quoque est iandiu in perpetua quæstione. videtur enim non vestri oportere dici sed vestrum, sicut Græci loquuntur ἐπιμελοῦμαι ὑμῶν, καὶ κήδομαι ὑμῶν. quo in loco ὑμῶν aptius vestrum dicitur, quàm vestri: & habet casum nominandi vos, quem tu rectum appellasti. Inuenio tamen, inquit, non paucis in locis nostri atque vestri dictum, non nostrum aut vestrum. L. Sylla rerum gestarum libro II, Quo si fieri potest, vt etiam nunc nostri vobis in mentem veniat: nosque magis dignos creditis, quibus ciuibus quàm hostibus vtamini: quique pro vobis potius, quàm contra vos pugnemus: neque nostro, neque maiorum nostrorum merito nobis id continget. Terentius in Phormione,

Nostri. Vestri. De quibus rectius Laurentius Val. disputat.

Itaque plerique ingenio sumus
Omnes, nostri nosmet pœnitet.

Afranius in Togata,

Miseritus.

Nescio qui nostri miseritus tandem Deus.

Et Laberius in Necromantia,

Dum diutius detinetur, nostri oblitus est.

Interrogãdi casus.

Dubium porro, inquit, non est, quin eodem hæc omnia casu dicantur nostri oblitus est, nostri miseritus est, quo dicitur mei pœnitet, mei miseritus est, mei oblitus est. Mei autem casus interrogandi est, quem genitiuum grammatici vocant, & ab eo declinatur, quod est ego, huius deinde pluratiuum est nos. Tui æque declinatur ab eo quod est tu. huius itidem pluratiuum est vos.

Sic nanque Plautus declinauit in Pseudulo in hisce versibus,

Si ex te tacente fieri possem certior here,

Quæ miseriæ te tam misere macerent,
Duorum labori ego hominum parsissem lubens, (*) (.) ”
Mei te rogandi, & tui respondendi mihi. ”

Mei enim Plautus hoc in loco non ab eo dixit quod est meus, sed ab eo quod est ego. Itaq; si dicere velis patrem mei pro patrem meum, quo Græci modo τ̃ πατέρα μȣ̃ dicũt, inusitate quidem, sed recte profecto, eáq; ratione dices, qua Plautus dixit labori mei, pro labori meo. Hæc autem ipsa ratio est in numero pluratiuo, qua Gracchus Misereri vestrum dixit: & qua M. Cicero, Contentio vestrum & contentio nostrum dixit: quáq; ité ratione Quadrigarius in Annali x i x verba hæc posuit, C. Mari, & quando te nostrum & Reip. miserebitur? Cur igitur Terentius pœnitet nostri & non nostrum, & Afranius nostri miseritus est non nostrum? Nihil hercle, inquit, mihi de ista re in mẽtẽ venit, nisi authoritas quædã vetustatis, non nimis anxie neq; superstitiose loquẽtis. nam sicuti multifariã scriptũ est vestro rum pro vestrum (vt in Plauti Mustellaria in hoc versu, ” Plaut. loc. Miserebitur nostrũ.

Verum illuc esse maxima pars vestrorum intelligit,

cum vellet maxima pars dicere vestrum) ita nõnunq̃ vestri quoq; dictum est pro vestrũ. Sed proculdubio qui rectissime loqui volet, vestrum potius dixerit q̃ vestri. Et idcirco importunissime, inquit, fecerunt, qui in plerisque Sallustii exemplaribus scripturam istam syncerisimam corruperunt. nam cum ita in Catilina scriptum esset, Sæpe maiores vestrũ miserti plebis Romanæ: vestrum aboleuerunt, & vestri superscripserunt, ex quo in plures libros mendæ istius indoles inoleuit. Hæc memini mihi Apolliniharem dicere, eáq; tũc ipsa ita, vt dicta fuerant, notaui.

ASCEN. Niobæ filiorúmque. Latine declinauit: nos enim Niobes nũc dicimus. sane vt Nioba latine: ita & Bias Biæ non Biantis quibusdam declinatur: sicut & artium nomina: grãmatica, dialectica, rhetorica &c. Senos. i. vtriusque sexus sex. Fuit autem Niobe filia Tantali, soror Pelopis, vxor Amphionis, quæ in saxum versa fingitur cum videret filios & filias ab Apolline & Diana sagittis transfixos, eo quòd Latonæ illorum matris sacrificia prohiberet: dicens se digniorẽ quæ coleretur: cũ multo numerosiorẽ haberet sobolẽ. Id aũt fictũ creditur: quòd cũ ex numerosa prole nullũ haberet superstitẽ, eius nomẽ aut memoria in sola statua marmorea, aut rupe ab ea dicta maneret. Pherecides nomina ponit filiorũ filiarúmque Niobes: Mariũ quidẽ, Alalcomenia, Pherea, Eudorũ, Lysippũ, Xanthũ & Argeũ. Fœminarũ vero Cionã, Clytiã, Meliã, Horã, Lamippem, Pelopiã. Hellanicus in Atlãtidis inscriptione mares tres ponit. Archenorem, Menestratũ, Archagoram, Filias, Pelopiã, Ogyiam, Astricrateam. Xanthus Lydius ait Nioben Philoxeno Assyrio in Sipylo habitanti. x. mares & totidem fœminas peperisse, fuisseque filiam Tantali & AEropes. Euripidem sequitur Aristophanes. Homerus Illiados vltimo sex filios & totidem filias ponit. Nioba. Nomina filiorũ & filiarũ Niobes.

Quàm diuersæ Græcorum sententiæ super numero Niobæ filiorum. CAP. VI.

MIra; & prope adeo ridicula diuersitas fabulæ apud Græcos poetas deprehenditur super numero Niobæ filiorum. Nam Homerus pueros puellásque eius senos dicit fuisse, Euripides bis septenos, Sappho bis nouenos, Bocchilides, & Pindarus bis denos: quidam alii scriptores tres fuisse solos dixerunt. Niobes filiorum numerus.

ASCEN. Hilare, à nominatiuo hilarus: cũ ecõtrario frequẽtius dicatur hilariter & amœne. Ostrearum numerus, sic Seruius censet latine dici: cũ vulgo dicamus ostrea genere neutro sicut & paulo mox, Ostrea quoque tenuia & exucta. i. emũcta succo & humore naturali. ab exsugo. sed s nũc rarius post x scribitur. sunt autem exucta arida sicca & ieiuna. Nonne Lucilium &c. Id quoque Horatius sic dixit, Lubrica crescentes implent conchylia lunæ. AElurorum. sic quoque Beroaldus reponendum censuit qui eliuorum offenderat. sunt autem æluri græcis quos latini feles vocãt: & vulgus Catos, eo quòd cati & delicati sunt: paulo doctiores ab affectu murilegos, sicut Albertus Magnus. Sane Plinius manifeste AEluros feles vocat dicens lib. x. Feles autẽ quo silẽtio, quàm lenibus vestigijs obrepunt? quàm occulto speculatu in musculos insiliũt? Excremẽta sua effossa obruunt terra, intelligẽtes odorem illum, indicem sui esse. Varro & Columella felẽ accipere videntur pro eo genere animalis quod vulgus fouinum appellat: flandrus Rhinem: ideoque tutius ælurũ voces animal hoc catũ & domesticũ. Cæpetũ, videtur vna dictio vt sit dictũ sicut vrticetum, pro cæparum simul nascentiũ vi. Mas. Inter ea quæ crescenti lunæ aut decrescenti consentiunt, D. August. cap. vj. lib. v. de ciui. dei ponit ethinum: (Sic enim habet codex quem vidi) interpres vero echeneis, legerem echeneis, de quo pisce apud Lucanum, In medijs echeneis aquis. Aliud est echinus. conchas addit & ostreas idem author. Hæc Mas. Ego vero puto apud Diuum Augustinum recte echinum scribi, nam vtrum echeneis luna crescẽte augeatur mihi compertum non est, sicut de echino ex præsenti Lucil. testimonio, vt ostrea, cancri, camari, conchæ, & cætera conchilia, inter quæ etiam echinus. quo nomine significatur non solum tegmen spinosum, qualis est calix castanearum, sed etiam piscis quidam, quem Plinius scribit esse cancrorum genus, in quibus spinæ pro pedibus sunt, ingredique ijs est in orbem volui, & vt dicit Calepinus Græci ἐχῖνον hirtum vocant. Dicitur echinus etiam hærinaceus, quo nomine & animal terrestre dicitur. Addit Maserius, Ad illud quod in litera alij cæpetũ, alij vt Aldina impressio, cæpe tũ Hilare amœniter. AEluri. Feles. Echeneis. Echinus.

diuisis dictionibus scribunt.alii cæpitium.i.cæpe scribunt. Ab hoc ægyptius pelusiotes abhorret maxime. Inde Diuus Hieronymus:Coge ægyptium vt ouium lacte vescatur:compelle pelusiotem vt manducet cæpe.Hæc ille.Qui cæpetum scribunt accipiunt locum natiuum pro copia nascentium, vt quercetum,rosetum,vrticetum, carectum.qui cæpitium scribunt Priscianum sequuntur,cui & cæpitius & cæpitiũ pro cæpe aut cæpa dicitur. Qui Aldum sequuntur dicunt contra poni pro altera particula tum,quod minus placet.Scribam ergo cæpitium.Iuuenalis innuit ægyptios cæpe & porrum vt numina colere,ideoque ab eis abstinere.Verba eius sunt,Porrũ & cæpe nefas violare ac frangere morsu . O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis Numina.lanatis animalibus abstinet omnis Mensa, nefas illic fœtũ iugulare capellæ. Carnibus humanis vesci licet.Hæc ille.Vero simile tamen mihi est ægyptios aut non omnes,aut nõ semper porris & cæpis abstinuisse, alioqui nõ permisissent Hebræos illis vesci,qui tamen dicunt Num.xi.Recordamur piscium quos comedebamus in AEgypto gratis:in mentem nobis veniunt cucumeres & pepones,porrique & cæpæ &c.

De iis,quæ habere συμπάθειαν videntur cum luna augescente,ac senescente. CAP.VII.

Ostreæ. Luna senescente quæ tabescant.

ANnianus poeta in fundo suo,quem in agro Falisco possidebat, agitare erat solitus vindemiam hilare atque amoeniter.Ad eos dies me,& quosdã item alios familiares vocauit.Ibi tum cœnantibus nobis magnus ostrearũ numerus Roma missus est.Quæ cum appositæ fuissent,& multæ quidem,sed inuberes macræque essent : Luna,inquit Annianus, nũc videlicet senescit. ea re ostrea quoque sicuti alia quædam,tenuia exuctaque sunt.Cum quæreremus quæ alia item senescente luna tabescerent:Nonne Lucilium,inquit, nostrum meministis dicere?
» Luna alit ostrea,& implet echinos,muribus fibras Et pecu addit.

Eadem autem ipsa,quæ crescente luna gliscunt, deficiente contra luna defiunt. AElurorum quoque oculi ad easdem vices lunæ,aut ampliores fiunt,aut minores. Id etiam, inquit,multo mirandum est magis,quod apud Plutarchum in IIII in Hesiodum cõmentatio legi. Cæpitium reuirescit,& congerminat decedente luna: contra autem inarescit adolescente . Eam causam esse dicunt sacerdotes AEgyptii cur Pelusiotæ cæpe non edant:quia solum holerum omnium contra lunæ aucta atque damna vices minuendi & augendi habeat contrarias.

ASCEN. Columbatim.i.columborum & columbarum more. Venenauit: infecit.Imbuens, prima tinctura inficiens & tingens.MAS.Seneca.xx.epistola libri ad Lucill.nihil præter stoicos mores magnifaciens eiusmodi dictiones notat & locutiones affectatas : quales sunt, inquit, vides vt alueum lyntribus aret,versoque vado remittat hortos.Quid siquis fœminæ cirræ crispat,labris columbatur,&c. Archit.non dissimile finxt:Vltima lasciuit luxu chlamys ebria.In litera autem quia scazon est,legendum est Columbatimque labra &c.Nec te moueat spondeus in secunda sede. hoc enim fecerunt Accius & Pacuuius:testis est Horatius in libro de arte poetica.

Qualibus verbis delectari solitus sit Anto.Iulianus positis mimiambis,quos Cn. Matius scripsit de innocẽtia sua,cũ ita dictitat,nũq̃ vestiméta a populo poposci.Ca.VIII.

DElectari mulcerique aures suas dicebat Antonius Iulianus figmentis verborum nouis Cn.Matii,hominis eruditi:qualia hæc quoque essent,quæ scripta ab eo in mimiambis memorabat,

» Sinuque amicam recipere frigidam caldo:
» Columbatimque labra conserens labris. „

Item id quoque iucunde lepideque fictum dictitabat, „

Iam tonsiles tapetes ebrii fuco, „
Quos concha purpura imbuens venenauit. „

Tõsiles tapetes fuco ebrii.

ASCEN.Prætermonstrantis, quasi prætereuntis,& aliud agentis, & præter officiũ suũ monstrãtis. cõponitur enim monstro cum præter sicut eo. Verba actionum ciuilium celebriora.videlicet,manum cõserere:nisi enim per appositionem loquaris,aut eam vel similem particulas subaudias, nõ videatur cõcinna constructio:sed ne sic quidẽ satis apta,nec lucida sententia:quocirca sic distinguã vt caput sentẽtiæ sit, Manũ cõserere est de qua re disceptabatur in iure præsenti(aut potius in re præsenti) siue ager,siue quid aliud est:cũ aduersariũ simul manu prenderet:in ea re omnibus verbis vindicare.i. vindicia correpta manu in re atque loco præsenti apud prætorẽ ex duodecim tabulis fiebat.Si sic legatur:videtur apertior sensus.Ex iure manu consertũ vocarẽt,Credo manu cõsertũ,vnicũ vocabulũ,sicut manumissionẽ:alioqui manũ cõsertã diceret.Et festucariã. Ad eã alludit Persius satyra.v. Nõ in festuca lictor quam iactat ineptus. Mas.Hermolaus & Cælius nõ cõueniunt exponentes nonnihil ad hoc cap.ix.faciẽs. Legendũ est autem, in iure,præsenti prætore:nõ in re præsente,nec iure præsente. Nã præsente refertur ad dictionẽ prætore: quã puto prætermissam.Itẽ contenduntur.i.conatu nixuque summo petũtur.Vindiciæ.i.sentẽtiæ,vt dicũt aliqui,aut verius adsertiones rei & adiudicationes,vt loquũtur:vbi nescit iudex si duo sint,vtrius sit:vel si sint plures,cuius.Nihil nãq; aliud est vindicia quàm adsertio.quæ si à seruitute est in libertatẽ,dicitur vindicia secundũ libertatem:si vero a libertate in seruitutem, dicitur vindicia secundũ seruitutem pronunciari.Vnde Prætor dicitur decernere vindicias secundum libertatem,quando in libertatem adserit:Item dici

Vindiciæ.

tur dare vindicias secũdũ seruitutẽ:quãdo pronũciat adsertionẽ eiusmodi.Itẽ lis vindiciarũ est,cũ de ea re litigatur apud Præt.de qua nõ est certũ cuius debeat esse.Qui aũt eã tenet dat prædes litis vindiciarũ aduersario,quo polliceatur se nihil deterius factũrũ rei de qua sit iurgiũ.Inde vindex qui cãm alicuius suscipit vindicãdã.Alijs in rebus põt esse & vocari vindex aliquis.Liu.lib.iij.Postquã nemo vindex occurrebat, ad mœnia vrbis accessere.Vindicare præter significationẽ tritã est in libertatẽ asserere: & vt dicitur in libertatẽ adserere,ita in seruitutẽ.In iure præsenti Prætore,legẽdũ. Forte dicet aliquis in re præsẽti,nã hic dicitur in re atq; loco præsenti.Error processit,quia ex iure fit in re.Quòd autẽ legi posset correptio manu, põt Plaut. approbare nomini verbali adiũgẽs verbi casũ:vt quid illã tua tactio est. Hæc Mas.de quibus Budæus , Transeundũ ad alia,quorũ in primis occurrit ex iure manu cõsertũ:quod verbum est antiqui iuris. Varro lib.ij.de lingua latina,Conserere manum dicimus cum hoste:inde ex iure manu cõsertũ:quod verbum est antiqui iuris.quid sit autẽ manu consertũ Gellius lib.xx.docet,cuius verba huc pauca transcripsimus.De vindicatione enim loquẽs.i.rei vẽdicatione quæ olim in re præsenti ex.xij.tab.iure fiebat , ita inquit,Sed postquam Prætores propagatis Italiæ finibus, latis iuridictionibus,negocijs occupati pacisci vindiciarũ dicendarũ causa lõginquas res grauabãtur:institutũ est cõtra.xij.tabulas tacito cõsensu vt litigãtes nõ ex iure apud Prætorem manum consererent,sed ex iure manu consertũ vocarent.i.alter alterũ ad cõserendam manũ in rem de qua ageretur vocaret.Atque profecti simul in agrum,terræ aliquid ex eo , vti vnã glebã,in ius in Vrbẽ ad Prætorẽ deferrẽt: & in ea gleba tãquam in toto agro vindicarẽt.Cic.pro Murena formulæ verba huiusmodi fuisse ait,Fũdus qui est in agro qui Sabinus vocatur,meus est. Eũ ego ex iure meum esse aio.Ibi ego te ex iure manu cõsertũ voco.Hæc erant verba eius qui vindicabat. A quo vero vindicabatur eius hæc erãt verba,Vnde tu me ex iure manu cõsertũ vocasti:inde ibi te ego reuoco.Idẽ de oratore lib.primo metaphoricos hac locutione vsus est in persona Scæuolæ. Quod vero inquit in extrema oratione tua Crasse,quasi pro tuo iure sumpsisti,oratorẽ in omnis sermonis disputatione copiosissime versari posse:hoc nisi in tuo regno essemus,non tulissem:multisque præessem, qui aut interdicto tecũ contẽderẽt,aut te ex iure manu cõsertũ vocarẽt,quòd in alienas possessiones tã temere irruisses . Agerent enim tecũ lege primũ Pythagoræi omnes atque Democritici,cæterique in suo genere philosophi: vindicarentque ornati in dicẽdo & graues:quibuscũ iusto sacramẽto cõtendere nõ licet. Aut interdicto (inquit Scæuola)tecum philosophi illi cõtenderẽt,vtpote à possessione disciplinarũ,quæ propriæ sunt eorũ,deiecti:quippe quas tu vniuersas oratoriæ facultati tribuis:(Dixerat enim Crassus oratoris esse proprium , de re quacũque proposita copiosissime dicere)aut ex iure te manu consertũ vocarẽt.i. vindiciarũ litẽ tibi intẽderẽt,illarũ disciplinarũ facultatẽ possessionẽque sibi scilicet vindicãtes asserentesque.Hæc ille:ẽ quibus primo liquet vindicias hic non interpretãdas de libertatis aut seruitutis assertione,sed de agri. Secũdo recte legi in re præsenti,nõ in iure præsenti Prætore.Tertio nõ legẽdũ prẽdere,sed prẽderet: nec correptio manus vel manu,sed correpta,vt prius impressi.Vox aũt manu consertũ videtur non plane cõposita, quia u producitur,sed dicta vt manu duco,manu mitto:quasi sit manu consertũ,cõsertio manus cũ manu.dicimus autem manũ cõsero & manu cõsertũ.Estque manũ cõsero,cõsertis manibus aduersariũ in rem præsentẽ.i.ad locũ vbi res est qua de agitur duco.Verborũ vero ordo sic est. Ordo est, Manũ conserere est in re præsenti,de qua re disceptabatur,siue est ager,siue quid aliud (cũ scilicet is qui vindicabat prenderet aduersariũ simul manu)vindicare.i.suũ esse & ius suũ asserere in ea re,omnibus uerbis, scilicet in formula suprapposita contentis.Id est vindicia. i.rei præsenti vindicatio,fiebat manu.s.aduersarij ab vindicãte correpta.atque fiebat in loco præsenti.i.vbi res ea de qua cõtrouersia erat iacebat apud Prætorẽ. Tacito sensu, lego cũ Budæo consensu. Qui etiã quod ad Ennij locũ quẽ Gellius citat,elucidandũ non parum facit,sic subiũgit,Inde illa verba Scipionionis ad Annibalem apud Liuiũ lib.x. de.ij.bel.punico,Quod ad me attinet,& humanæ infirmitatis memini,& vim fortunæ reputo:& omnia quæcũque agimus subiecta esse mille casibus scio.Cæterũ quẽadmodũ superbe & violẽter me facere faterer,si prius quàm in Africã traiecissem,te tua voluntate cedentẽ Italia,& imposito in naues exercitu ipsum venientẽ ad pacẽ petendã aspernarer:sic nũc cũ prope manu consertũ,restitantẽ ac tergiuersantẽ in Africã attraxerim, nulla sum tibi verecũdia obstrictus. (Sic vt opinor melius legitur quàm manu cõserta)Quorũ verborũ huiusmodi est sensus,non ante tu Annibal ad pacem quam nunc petis,adduci potuisti,quàm ego te ex Italia reuocatum de patria tua in Africa dimicare coegi,& quasi te in Africã manu cõsertũ vocaui:quã.s.ita nunc mihi Romanisque vindico,vt tu dudũ Italiã tibi & populo Carthaginẽsi vindicabas. Annibal enim ad tuendã patriã frendẽs fremẽsque(vt idem Liuius inquit)alijs super alios nuncij s reuocatus erat.Hæc ibidẽ Budæus . Ex quibus Ennij vt dixi locus elucescit,& Liuij etiam emẽdatur.Sane in Enniano versu lego,vt reposuit Masserius,Haud doctis dictis certãtes,sed maledictis.

Vindex. Vindicare Ex iure manu consertum. In gleba vindicare. Vindicãdi formula. Manũ consero.

Quid vocabulum ex iure manu consertum significet. CAP. IX.

Ex iure manu cõsertũ,verba sunt ex antiquis actiõibus: quæ cũ lege agitur, & vindiciæ cõtẽdũtur,dici nũc quoq; apud Prætorẽ solẽt.Rogaui ego Romæ grãmaticũ,celebri hominẽ fama,& multo nomine, quid hæc verba essent.Tũ ille me despiciẽs,Aut erras,inquit,adolescẽs: aut ludis.rem enim doceo grammaticã,non ius respondeo.Si quid igitur ex Virgilio, Plauto, Ennio quærere habes,quæras licet.Ex Ennio,ego inquã,est magister,quod quæro.Ennius enim verbis hisce vsus est.Cũq; ille demiratus aliena hæc esse à poetis,& haud vsq̃ inueniri in carmin.Ennii diceret,tũ ego hos versus ex.8.Annali absentes dixi:nã forte eos tãq̃

Ex iure manu consertum.

insigniter præter alios factos memineram,

,, Pellitur è medio sapientia: vi geritur res.
,, Spernitur orator bonus: horridus miles amatur.
,, Haud doctis dictis certantes, sed maledictis
,, Miscent inter sese inimicitias agitantes.
,, Non ex iure manu consertum, sed mage ferro
,, Rem repetunt, regnûmque petunt: vadunt solida vi.

Cum hos versus Ennianos dixissem, Credo, inquit grammaticus, iam tibi. sed tu velim credas mihi Q. Ennium didicisse hoc non ex poeticæ literis, sed ex iuris aliquo perito. Eas igitur tu quoque, inquit, & discas, vnde Ennius didicit. Vsus cõsilio sum magistri, quod docere me ipse debuerat, à quo discerem prætermonstrãtis. Itaque id, quod ex iureconsultis, ex libris quoque eorum didici, inserendum his cõmentariis existimaui: quoniam in medio rerum & hominum vitam qui colunt, ignorare non oportet verba actionum ciuilium celebriora. Manum conserere est, de qua re disceptabatur, in re præsenti siue ager, siue quid aliud est, cum aduersarium simul manu prenderet, in ea re omnibus verbis vindicare: id est, vindicia correpta manu in re atque in loco præsenti, apud Præt. ex XII tabulis fiebat. In quibus ita scriptum est, Si qui in iure manum conserunt. Sed postquam Prætores propagatis Italiæ finibus, datis iurisdictionibus, negociis occupati, pacisci vindiciarum dicendarum causa longinquas res grauabantur, institutũ est contra XII tabulas tacito consensu, vt litigantes non ex iure apud Præt. manum consererent, sed ex iure manu consertum vocarent. i. alter alterum ex iure ad conserendam manũ in rem de qua ageretur, vocaret. Atque profecti simul in agrum de quo litigabatur, terræ aliquid ex eo, vti vnam glebam, in ius in vrbem ad Præt. deferrent, & in ea gleba tanquam in toto agro vindicarent. Idcirco Ennius significare volens bellum, non vt ad Prætorem solitum est, legitimis actionibus, neque ex iure manu consertum, sed bello ferroque, & vera vi atque solida: quod uidetur dixisse conferens vim illam ciuilem & festucariam, quæ verbo diceretur, non quæ manu fieret cum vi bellica & cruenta.

Manũ conserere.

ASCEN. Sculna & Seculna, quia sordida & vetusta vocabula, in vsum reuocanda non sunt. Sane sequester, nunc potius in secunda declinatione vsurpatur. Signãdum autem quod dicit elegantius dici, sequestro positum.

Quid sit Sculnæ verbum positum apud M. Varronem. CAP. X.

Sculnæ. Sequester

PVb. Lauinii liber est non incuriose factus. Is inscriptus est de verbis sordidis. In eo scripsit sculnam vulgo dici, quasi seculnam: quem qui elegãtius, inquit, loquuntur, sequestrem appellant. Vtrũque vocabulum à sequendo factum est, quòd eius qui electus sit, vtraq; pars fidem sequatur. Sculnam autem scriptum esse in Historico M. Varronis, qui inscribitur Catus, idem P. Lauinius in eodem libro admonet. Sed quod apud sequestrem depositum erat, sequestro positum per aduerbium dicebant. Cato de Ptolemæo contra Thermum, Per deos immortales nolite vos sequestro ponere.

Lib. iiij. ca. ix. Logistorico & Capis legitur Sequestro positum.

ASCEN. Atqui. Mutilum videtur hoc principium, neque superioribus apte cohærens: neque nouæ narrationis rationem habens. Videtur autem deesse huiusmodi caput, Hæc habui quibus nocteis meas atticas instruerem: præter quæ iucundiora alia reperiri (sunt tamen qui requiri impresserunt) queunt. Ipse autem ad hoc scripsi vt &c. Nisi sic aut] similiter perficiatur, desideretur in verbo scripsi casus: nunc autẽ repetitur ea. Remissiones. s. maiorum studiorum aut intentionum studendi. Nam proinde. melius alij legunt perinde: sed sic etiam alibi proinde à Gellio vsurpatur. Legam etiam: itáque libitũ erat. vt sit: & ita libitum erat. Cuius generis cũque: Tmesis. i. intercisio dictionis per aliam interpositam. Quoddam penus. opus est vt declinetur huius penoris aut peniris. Plautus masculine dixit: Nisi annuus penus mihi datur. Vsus, id est opus & vtendi prolubiũ. Inscripsimus Noctium Atticarum: subaudit nomine aut titulo: Inscribo enim genitiuum non regit. Neque audiendi sunt qui verbũ intitulo vsurpant. Et miscellam, hinc opinor Politianũ Miscellaneis nomen indidisse. Mas. Alij musarum inscripserunt, vt Herodotus & Opilius, vt citatur à Gellio nostro lib. j. cap. xxv. In primo librorum quos Musarum inscripsit. Antiquarũ lectionũ Cesellius, & nuper Cælius: Cornucopiæ vt nuper Perottus. Indicem, qui repertorij nomine opus suum inscribunt. Enchiridion à manu dictum quasi promptuarium & quod ad manum haberi semper debeat, seu ensis capulus quem ita Græci nominant: cuius inscriptionis cum alij tum Gellius quoque meminit (ait Hermolaus) in postremo libro noctium: sed & remi partem illam quam nautæ manu comprehendunt enchiridion vocari Iulius tradit. Hæc Mas. Notum est diuũ Augustinum duo opera sic inscripsisse: alterum græce enchiridion, alterũ latine manuale: sed non de illis nec de ijs quæ post Gellium scripta aut inscripta sunt Gellius loquitur. notum est Statium Syluarum nomine poema scripsisse. Pandectarum nomine seu Digestorũ leges scriptæ sunt. Sed finẽ facio: sunt enim aut nota id genus opera, aut sine iactura nostra eorũ ignorãtur

Penus quod.

Miscella.

Enchiridion.

nomina. Est præterea qui pratum. id forte Græce scriptum erat λειμών: vt apud Plinium in præfatione, cuius fere in eandem sententiam hæc sunt verba. Inscriptionis apud Græcos mira felicitas. κηρίον inscripsere, quod volebant intelligi fauum: alii κέρας ἀμαλθείας, quod copiæ cornu, velut lactis gallinacei sperare possis in volumine haustum. Iamiam μοῦσαι, πάνδεκται, ἐγχειρίδια, λειμών, πινακίδιον inscriptiones, propter quas vadimonium deseri possit. At quũ intraueris, dii deæque, quàm nihil in medio inuenies? Nostri crassiores, antiquitatum, exemplorum, artium: quàm facetissimi, Lucubrationum: vt qui ait, Bibaculus eram & vocabar Pantomimus. Asserit Varro in satyris suis sesculyssen & flexibula. Apud Græcos desiit nugari Diodorus: & βιβλιοθήκης historiam suam inscripsit. Appion quidem grammaticus hic quem Tyberius Cæsar Cymbalum mundi vocabat, quoniam publicæ famæ tympanum potius videri posset, im mortalitate donari à se scripsit, ad quos aliqua componebat. Me vero non pœnitet nullum festiuiorem ex cogitasse titulum. Et ne in totum videar græcos insectari, ex illorum nos velim intelligi pingique coloribus, quos in libellis his inuenies, absoluta opera, & illa quoque quæ mirando non satiamur, pendenti titulo inscripsisse, vt Apelles faciebat, aut Polycletus, tanquam inchoata semper arte & imperfecta: vt contra iudiciorum varietates superesset artifici regressus ad veniam, velut emendaturo quicquid desideraretur, si non esset interceptus. Quare plenum verecundiæ illud est, quòd omnia opera tanquam nouissima inscripsere, & tanquam aliquid singulis fato sit ademptum. Tria, non amplius (vt opinor) absolute quæ traduntur inscripta ille fecit, quæ suis locis reddam. Quo apparuit summam artis securitatem authori placuisse: & ob id in magna inuidia fuere omnia ea. Ego plane meis adiici posse multa confiteor: nec iis solis, sed & omnibus quæ edidi: vt obiter caueam istos Homeromastigas. Hæc Plinius ab iis quæ hic habentur nõ abhorrentia. In quas res cũque: iterum tmesis. Alba vt aiunt linea. alii alba amussi: quæ in ligno albo nullum facit signum, & ita nullum discrimen. Nequaquam tamen sint vel ad alendum studium honestæ, legam inhonestæ, aut ineptæ. Nihil cum fidibus graculo: quia graculus auis dissona est, & ad cantum inepta. Nihil cum amaricino sui: quia vt dicit in epist. Flaccus, est amica luto sus, plusque eo delectatur quàm amaracino. i. vnguento ex amaraco hærba fragrantissima: in quam Amaracus puer versus fingitur. Versus legis datæ hi sunt quorum iam sententiam posuit. sed verba ipsa & versus Aristophanis desiderantur. Subsiciua, sicut prius: cum subcisiua aut succisiua putem rectius scribi. Sunt autem subcisiua tẽpora quæ suffuramur & subcidimus: hoc est clam præcidimus negociis necessariis.

Inscriptiones græcanicæ.

Latinæ.

Amaracinum.

Amaracus

Authoris de opere suo sententia, deque aliorum operum titulis. CAP. XI.

A Tqui iucundiora alia reperiri queunt. Ipse autem ad hoc scripsi, vt liberis quoque meis paratæ istiusmodi remissiones essent, quando animus eorũ interstitione aliqua negociorum data laxari, indulgerique potuisset. Vsi autem sumus ordine rerum fortuito, quem antea in excerpendo feceramus. Nam perinde vt librum quenque in manus ceperam, seu græcum, seu latinum, vel quid memoratu dignum audieram, itaque libitum erat: cuius generis cũque erant, indistincte atque promiscue adnotabam: eaque mihi ad subsidium memoriæ quasi quoddam literarum penus recondebam, vt quando vsus venisset, aut rei, aut verbi, cuius me forte repens obliuio tenuisset, & libri, ex quibus ea sumpseram, non adessent, facile inde nobis inuentu atque depromptu foret. Facta igitur est in his quoque commentariis eadem rerum disparilitas, quæ fuit in illis adnotationibus pristinis, quas breuiter, & indigeste, & incõdite annotationibus, tractationibus, lectionibusque variis feceramus. Sed quoniam longinquis per hyemem noctibus in agro (sicuti dixi) terræ Atticæ cõmentationes hasce ludere ac facere exorsi sumus, idcirco eas inscripsimus Noctium Atticarũ, nihil imitati festiuitates inscriptionum quas plerique alii vtriusque linguæ scriptores, in id genus libris fecerunt. Nam quia variam & miscellam, & quasi confusaneam doctrinã conquisiuerant: eo titulos quoque ad eam sententiam exquisitissimos indiderunt. Nanque alii Musarum inscripserunt, alii Syluarum. Ille κηρίον, alius κέρας ἀμαλθείας, quidam lectionis suæ. alius antiquarum lectionum. atque alius πινακίδιον, & item alius ἐγχειρίδιον. sunt etiam qui Pandectas inscripserunt. sunt autem qui διατριβάς. sunt adeo qui de disciplina regia, & de philosophia, & de natura humana, & epistolicarum quæstionum. est qui memoriales titulos fecerit. est qui studiosorũ, & de ridiculis, & περὶ ποικίλας ἱστορίας. est qui historiæ naturalis. est qui βιβλιοθήκην. est præterea qui pratũ, est item qui ἐπιφυλλίδων. est qui scripsit συγγραφὴν. sunt item multi, qui Coniectanea. Neque item desunt, qui indices libris suis fecerunt, aut epistolarum moralium, aut epistolicarum quæstionum, aut confusarum, & quædam alia inscripta nimis lepida, multasque prorsus concinnitates redolentia. Nos vero vt cœptus noster est incuriose & immeditate, ac prope etiam subrustice, ex ipso loco ac tempore hibernarum vigiliarum, Atticas noctes inscripsimus: tantum cæteris omnibus, in ipsius quoque scriptionis laude cedentes, quantum cessimus in cura & elegantia scriptionis. Sed ne consilium quidem in excerpendis notandisque

Penus.

Noctium Atticarum cur inscribat commentationes suas.

Tituli varii.

rebus idem mihi,quod plerisque illis fuit. Nanque illi omnes, & eorum maxime Græci, multa & varia lectitantes, in quas res cunque inciderent, alba(vt dicitur)linea, sine cura discriminis, solam copiam sectati conuerrebant. quibus in legendis ante animus senio aut tædio languebit, quàm vnum alterumve repererit, quod sit aut voluptati legere, aut cultui legisse,aut vsui meminisse.Ego vero cum illud Heracleti Ephesii,viri summe nobilis,verbum cordi haberem,quod profecto ita est,Introite,nam & hic dii sunt: Ipse quidé voluendis transeundisque multis admodum voluminibus per omnia semper negociorum interualla, in quibus furari ocium potui, exercitus defessusque sum. Sed modica ex iis,eaque sola accepi,quæ aut ingenia prompta expeditaque ad honestæ eruditionis cupidinem, vtiliumque artium contemplationem celeri facilique compendio ducerent: aut homines aliis iam vitæ negociis occupatos à turpi certe agrestique rerum atque verborũ imperitia vindicarent. Quæ erunt autem in his commentariis pauca quædam scrupulosa & anxia,vel ex grammatica,vel ex dialectica,vel etiam ex Geometria:quæque erunt ité paucula remotiora super augurio,& iure pontificio,non oportet ea defugere,quasi aut cognitu non vtilia, aut perceptu difficilia. Non enim fecimus altos nimis, & obscuros in his rebus quæstionum sinus:sed primitias quasdam, & quasi libamenta ingenuarum artium dedimus, quæ virum ciuiliter eruditum, neque audisse vnquam, neque attigisse, si non inutile, at quidem certe indecorum est. Ab his igitur,sicui forte nonnunquam tempus voluptasque erit lucubratiunculas istas cognoscere: petitum, impetratumque volumus,vt in legendo quæ pridem scierint,non aspernentur,quasi nota inuulgataque. Nam & quid tam remotum in literis est,quin id tamen complusculi sciant? Et satis hoc blandum est,non esse hæc neque in scholis decantata, neque in commentariis protrita. Quæ porro noua sibi ignotaque offenderint,æquum esse puto, vt sine vano obtrectatu considerent,an minutæ istæ admonitiones pauxillulæ, nequaquam tamen sint vel ad alendum studium ineptæ,vel ad oblectandum frigidæ fouendumque animum:sed eius seminis generisque sint,ex quo facile adolescant,aut ingenia hominum vegetiora,aut memoria adminiculatior, aut oratio solertior,aut sermo incorruptior, aut delectatior motio, aut in ludo liberalior. Quæ autem parum plana videbuntur,aut minus plena instructaque, petimus,inquam, vt ea non docendi magis quàm admonendi gratia scripta existiment: & quasi demonstratione vestigiorum contenti persequantur ea post,si libebit, vel libris repertis,vel magistris. Quæ vero putauerint reprehédéda,his,si audebunt,succéseant, vnde ea nos accepimus. Sedenim quæ aliter apud alium scripta legerint,ne iam statim tempore obstrepẽt:sed tractationes rerum, & authoritates hominum pensitent,quos illi,quosque nos,secuti sumus. Erit autem id longe optimum,vt qui in lectitádo,scribendo,commentando,nunquam voluptates, nunquam labores ceperunt, nullas hoc genus vigilias vigilarunt, neque vllis inter eiusdem musæ æmulos certationibus, disceptationibusque elimati sunt,sed intemperiarum negociorumque pleni sunt, abeant percunctando, scribendo,à noctibus his procul, atque alia sibi oblectamenta quærant. Vetus adagium est, Nihil cum fidibus graculo, nihil cum amaricino sui. At etiam quo sit quorundam maledicorum hominum sæuitas, & inuidentia iritatior, mutuabor ex Aristophanis Coronopesta pauca, & quam ille homo festiuissimus fabulæ suæ spectandæ legem dedit, eandem ego Commentariis his legendis dabo,vt ea ne attingat,neve adeat profestum & profanum vulgus à ludo musico diuersum.

Prouerbiũ. Et hic dii sunt. Adagium. Desiderantur versus.

Versus legis datæ hi sunt.

Volumina Commentariorum ad hunc diem XX iam facta sunt. quantum autem vitæ mihi deinceps Deûm voluntate erit,quantũq; à cura publica,& à re familiari,procurandoque cultu liberorum meorum dabitur ocium:ea omnia subcisiua & subsecundaria tempora ad colligendas huiuscemodi memoriarum delectatiunculas conferam. Progredietur igitur numerus librorum diis bene iuuantibus cum ipsius vitæ quãtuli quiq; fuerint, progressibus. Neque longiora mihi dari spatia viuendi volo, quàm dum ero ad hanc facultatem scribendi commentandique idoneus. Capita rerum quæ cuique commentario insunt,exposuimus hic vniuersa,vt iam statim declaretur, quid quove in libro quæri inuenirique possit.

PARISIIS
EXCVDEBAT IOANNES LODOICVS TILETANVS
M.D.XXXVI MENSE SEPTEMB.


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm